13.

DE

ANASTASIO BIBLIOTHECARIO

SEDIS APOSTOLICÆ

AB

ARTHUR LAPÔTRE

LUTETIÆ PARISIORUM

EDEBAT ALPHONSUS PICARD BIBLIOPOLA

82, VIA DICTA BONAPARTE, 82

1885

DE

ANASTASIO BIBLIOTHECARIO

I. Finis h
exstiteri
atque A
Annalib
mant il
2) Ana
dicta a
tatio.

I. A
propo
modu
Vitas
Anas
prim
nullu

1. I
maxin
trouve
de so

PROŒMIUM

Multa in nocte adhuc jacent, et variis agitantur controversiis, quæ ad Anastasii munus et vitam spectant, neque facile ejusmodi litem expedire quisquam possit. (Muratori, *Rerum Italicarum Scriptores*, t. III, p. v.)

I. Finis hujus thesis proponitur. — II. De Anastasii persona quæ inter eruditos exstiterit controversia. — III. Anastasium bibliothecarium eumdem esse atque Anastasium presbyterum cardinalem S. Marcelli demonstratur, 1) ex Annalibus Hincmari, 2) ex Capitulis Guntharii et Theutgaudi. — IV. Confirmant illud idem varii auctores et indicia, nimirum 1) Hadriani II Decretum, 2) Anastasii bibliothecarii scripta, 3) atque ingenium. — V. Refelluntur dicta adversariorum. — VI. Qua ratione et via hæc nostra procedat disputatio.

I. Accedenti mihi ad hanc disceptationem non is finis propositus est, ut quærerem verumne esset, quemadmodum diu existimatum est, eas summorum pontificum Vitas, quas *Librum pontificalem* nuncupare solent, ab Anastasio bibliothecario conscriptas fuisse, aut saltem primum in lucem editas. Etenim, præterquam quod nullus antiquus codex manu exaratus [1] nullumque a

1. Hæc Ludovicus Duchesne, qui in codicibus Libri pontificalis evolvendis maximam operam navavit : « Pearson parle de quelques manuscrits où se trouverait le nom d'Anastase. Je n'en connais absolument aucun, à moins qu'il ne soit question de titres de seconde main ajoutés par un lecteur, d'après l'édi-

veteribus auctoribus testimonium[1] hanc opinionem comprobant, tum ætas ipsa nonnullorum codicum, quorum unus septimi seculi est[2], duo vero alii octavi seculi[3], tum sexcenti loci quos veteres scriptores, ante Anastasii tempora, ab illis summorum pontificum Vitis in suos libros transtulerunt[4], tum denique varium in variis partibus scribendi genus, recentiores criticos impulerunt ut eam conjecturam, sine ulla auctoritate propositam, omnino abjicerent. Nunc autem pro certo habendum est celeberrimum illud opus, in prima jam parte sexti seculi inchoatum[5], continuis postea adscriptionibus Vitisque inde ex ordine adjunctis accrevisse[6]: quæ quidem Vitæ, octavo abhinc seculo, ab iis viris qui circum papam versabantur, compositæ fuerunt, imo singulæ viventibus adhuc singulis pontificibus inceptæ[7].

Ad summum quæri potest num Anastasius biblio-

tion de Mayence. » *Étude sur le Liber pontificalis.* Paris, Thorin, 1877; p. 5, n. 1.

1. Hujus enim existimationis auctor est Onuphrius Panvinius. V. Platina, *De Vitis pontificum Romanorum.* Coloniæ Agrippinæ, MDCXXVI, p. 150. Cf. Duchesne, op. cit., p. 2.

2. Id est codex Neapolitanus IV, A, 8 (v. Pertz, *Archiv*, t. V, p. 69; Bethmann, ibid., t. XII, p. 515; Duchesne, op. cit., p. 61).

3. Hi sunt cod. Leydensis Vossianus 60 (Duchesne, op. cit., p. 63) et Luccensis 490 (ibid., p. 47).

4. Ex his locis plures olim indicavit Emm. Schelestrate in sua disputatione *De antiquis Romanorum pontificum catalogis* (ap. Migne, *P. L.*, t. CXXVII, p. 199-200). Vide etiam, inter alia, quæ G. Waitz adnotavit in Historiam Pauli Diaconi (*Monumenta Germaniæ historica*, in-4°, *Script. rer. Lang.*, p. 73 sqq.). L. Duchesne nuperrime ostendit Librum pontificalem, jam seculo VI, venisse in manus Gregorii Turonensis episcopi. V. *Le Liber pontificalis en Gaule au VIe siècle*, extrait des *Mélanges d'archéologie et d'histoire* publiés par l'École française de Rome; Rome, 1882.

5. V. Duchesne, *Étude sur le Liber pontificalis*, p. 28.

6. Ibid., p. 200 sqq.

7. Ibid., p. 207, 208.

thecarius, quo tempore aulæ summorum pontificum adhærebat, illam obtinuerit provinciam ut Librum pontificalem scribendo continuaret, num idcirco ei tribuendæ sint Vitæ Nicolai I atque Hadriani II[1].

Et quidem Vitam Nicolai I ab Anastasio conscriptam fuisse, qui istius papæ erat valde studiosus, non ita absonum arbitror[2]; quanquam, cum in hoc etiam desideretur antiquitatis auctoritas, neque hactenus certa conjectura producta sit[3], abstinere se a ferendo judicio multo melius videtur. De Vita autem Hadriani II, major est etiam dubitandi locus. Quantumvis licet enim Anastasius bibliothecarius excelluerit audacia et ambitione, quis eum credat, in hac Vita, cujus ipse, scientibus omnibus Romanis, auctor esset, de virtutibus suis ingenioque prædicasse[4], ut prudentissimum atque eloquentissimum se ipse appellaverit[5]! Quod si tamen id abhorrere a moribus istius viri non admodum videa-

1. Non loquor de antiquioribus papis, quia videbitur infra Anastasium bibliothecarium, illis temporibus, non hoc loco locatum esse ut eorum Vitas conscriberet.

2. Nec desunt qui, nostra etiam ætate, huic opinioni indulgeant. V. Wattenbach, *Deutschlands Geschichtsquellen im Mittelalter*, t. I, p. 224 (3ª edit.).

3. Alii id intulerunt ex collatione styli Anastasiani cum stylo Vitæ Nicolai : « Animadvertendum est, ait Joannes Ciampini, hujus Vitæ scriptorem ubique fere adjectiva a substantivis adverbio, vel relativo, vel verbo seponere, qui sane dicendi modus Anastasianæ scriptioni valde affinis est. » *Examen Libri pontificalis;* Romæ, 1688, p. 57. At hæc, nisi fallor, fidem non faciunt. Aliorum quorumdam opinione, « hanc Nicolai I Vitam a Sedis apostolicæ bibliothecario scriptam docet frequens scrinii ecclesiastici mentio. » V. Schelestrate, *De antiquis Romanorum pontificum catalogis*, c. VIII (Migne, t. CXXVII, p. 212). Ex quo etiam argumento rem certam non licet eruere.

4. Eoque magis quod ille de se in suis scriptis modeste loqui solebat, illud exploratum habens primam commendationem a modestia proficisci. Cf. inferius, c. I.

5. « Anastasio prudentissimo bibliothecario Sedis apostolicæ », « in utrisque linguis eloquentissimus existebat ». *Hadriani II Vita*, c. LX, XLII (Vignoli, *Liber pontificalis*, t. III, p. 251, 244).

tur, sequitur ut Anastasius, cum Nicolai I Vitam, tum Hadriani II conscribere potuerit, non autem reapse scripserit.

Quæ cum ita sint, dices fortasse, amice lector : Quid opus erat in notitiam hujus bibliothecarii incumbere? quæ vero Anastasii alia exstant opera, quibus imprimis studere operæ pretium sit? Profecto græcos aliquot libellos eosdemque magis ad res ecclesiasticas quam ad litterarum studium utiles, in latinum sermonem transtulit[1]; verum ad hæc si addideris tres aut quatuor epistolas[2], eaque procemia quæ ille græcis libris a se latina voce conversis præponere solebat[3], nonne id totum habes Anastasianum opus? Quod iterum perpendere eo magis supervacaneum erat, quo plures olim litterati viri se in hoc studio, quantum satis est, collocarunt[4].

Hæc quidem jure ac merito. Itaque aliud est quod hac disputatione prosequor. Hominem, non scriptorem considero[5]; neque inquiro quid Anastasius ad litteras contulerit, sed quæ gesserit, quam indolem, quos

1. Quos fere omnes invenies ap. Migne, *P. L.*, t. CXXIX, p. 10-744, et t. LXXIII, p. 337-384.

2. V. ap. Migne, t. CXXIX, p. 737-750.

3. Sunt hæc etiam ap. Migne, t. CXXIX et LXXIII, præter duo, quæ edita reperiuntur in *Museo Italico* J. Mabillon, t. I, part. II, p. 82, 85.

4. Consulendi sunt, inter alios : Oudin, *Commentaria de scriptoribus ecclesiasticis*, t. II, p. 250 sqq. (ap. Migne, t. CXXVII, p. 9-14); Fabricius, *Bibliotheca mediæ et infimæ latinitatis*, t. I, p. 87 sqq.; et *Bibliotheca græca*, t. X, p. 602 sqq., edit. Harles; Saxe, *Onomasticon*, t. II, p. 123 sqq.; Schröckh, *Kirchengeschichte*, t XXI, p. 159; t. XVII, p. 84 sqq.; D. Ceillier, *Histoire générale des auteurs sacrés et ecclésiastiques*, t. XIX, p. 414 sqq.; Tiraboschi, *Storia della letteratura italiana*, t. III, p. 213 sqq.; Bähr, *Geschichte der römischen Litteratur*, t. III (suppl.), p. 261 sqq.; Gregorovius, *Geschichte der Stadt Rom*, t. III, p. 150 sqq. (3a edit.).

5. Quanquam ab re non alienum duxi indicem eorum quæ Anastasius scripsit, in calce hujus libri exponere.

mores habuerit. Multa sunt enim in hac parte quæ adhuc ignorantur, quæque, si illis facem prætendere nobis contigerit, historiam rerum Romanarum, ac maxime Nicolai papæ I, illustrabunt.

II. Sed antequam instituta ingrediamur, necesse est aliquam dubitationem eximere, quæ nisi prius amoveatur, aditus ad rem nostram difficiliores erunt.

De Anastasio quidem Bibliothecario hæc duo inter eruditos non faciunt controversiam, illum scilicet, dum regnaret Nicolaus I[1], abbatem monasterii S. Mariæ trans Tiberim fuisse[2]; deinde vero, Hadriani II et Johannis VIII temporibus[3], simul atque abbatiam suam retinebat, bibliothecam Sedis apostolicæ administrasse[4]. Id enim facile cogitur ex ipsius Anastasii scriptis.

Verum magna in contentione positum est an is bibliothecarius et abbas idem esset Anastasius de quo multa in variis monumentis relata inveniuntur. Hunc enim Leo IV[5] cardinalem presbyterum, Romæ, in

1. Id est ab anno 858 ad annum 867. V. Jaffé, *Regesta*, nov. ed., p. 341.

2. Hæc ipse Anastasius in *Prologo ad Vitam S. Basilii* proloquitur : « Urso venerabili subdiacono sanctæ Romanæ Ecclesiæ, seu medico et domestico domini nostri sacratissimi Papæ Nicolai, Anastasius exiguus abbas monasterii sanctæ Dei genitricis Mariæ Virginis, siti trans Tiberim, ubi olim circa Domini nativitatem fons olei fluxit, in Domino salutem. » Mabillon, *Museum Italicum*, t. I, part. II, p. 82.

3. Hadrianus II regnavit ab an. 867 ad an. 872; Johannes autem VIII, ab an. 872 ad an. 882. V. Jaffé, p. 368, 376.

4. V. *Præfationem in Synodum octavam*, in qua Anastasius Hadrianum papam II sic adloquitur : « Domino sancto et evangelico Patri Patrum Adriano summo Pontifici et universali Papæ, ego famulus vester Anastasius peccator abbas et summæ vestræ apostolicæ Sedis bibliothecarius. » (Migne, t. CXXIX, p. 10.) Atque idem ad Johannem VIII ita scripsit : « Sacræ bibliothecæ vestræ, cujus minister vestra dignatione consisto. » Anastasii *Præfatio in septimam Synodum* (Migne, ibid., p. 195).

5. Papa ab an. 847 ad an. 855. Cf. Jaffé, p. 329.

ecclesia S. Marcelli creavit, sed paulo post dignitate sacerdotali dejectum anathematis sententia mulctavit[1]. Mortuo Leone IV[2], Anastasius, quanquam esset adhuc anathemati obnoxius, de summo pontificatu adversus Benedictum III dimicavit[3]; quo in certamine superatus, ad communionem laicorum receptus est[4]. Deinde, post obitum Benedicti III, Nicolaum I ita sibi conciliavit ut is pontifex spem pristini sacerdotii ei ostenderit, si in fide Sedis apostolicæ permaneret[5]. Quod autem Nicolaus pollicitus erat, perfecit ejus successor, Hadrianus II, qui quidem, eodem die quo ipse in summum pontificem sacratus est, Anastasium inter sacerdotes recepit[6]; quanquam Hadrianus, anno post, hunc eumdem presbyterum, reum novi facinoris, iterum laicorum communione, donec innocentiam suam purgasset, ad tempus continuit[7].

1. V. *Vitam Leonis IV*, c. XCII (Vignoli, t. III, p. 128-129); Hincmari *Annales*, a. 868 (Pertz, *SS.*, t. I, p. 477-478).

2. Anno 855.

3. *Vita Benedicti III*, c. VI-XX (Vignoli, t. III, p. 146-157).

4. « Leo et Benedictus, eximii præsules... quorum unus eum deposuit, excommunicavit et anathematizavit, alter vero sacerdotalibus exspolians vestimentis, inter laicos in communione recepit. » Hadriani II *Decretum factum apud Sanctam Praxedem*, in *Annalibus* Hincmari (Pertz, *SS.*, t. I, p. 479).

5. « Decessor itaque noster sanctissimus papa Nicolaus, eum postea, si fideliter erga sanctam Romanam Ecclesiam incederet, in gremio pari modo recepisset Ecclesiæ. » Hadriani *Decretum*, ibid.

6. « Ad celebritatem missæ ipsius (Hadriani II) tam incredibilis exstitit multitudo, ut certatim de manu ejus omnibus communicare nitentibus, Theutgaudus Trevirorum archiepiscopus et Zacharias Anagninus episcopus, qui a domno Nicolao sacerdotio denudati etiam communione caruerant, simulque Anastasius, qui dudum a Leone Benedictoque pontificibus presbyterio denudatus inter laicos communicare solitus erat, ecclesiasticam communionem sub congrua satisfactione receperint. » *Vita Hadriani II*, c. X (Vignoli, t. III, p. 226).

7. « Omni communione ecclesiastica privatus existat, donec de omnibus quibus impetitur nobis coram synodo rationem ponat. » Hadriani II *Decretum*, ibid.

Hæc de illo Anastasio, quem cardinalem S. Marcelli presbyterum a primo ejus officio nominare solent. Porro ea omnia ad bibliothecarium nostrum referenda esse suadebant cum variæ conjecturæ, tum auctorum illis temporibus æqualium diserta quædam testimonia; sed quia nemo adhuc illas auctoritates et argumenta in lucem satis protulerat, et quia ex altera parte multi errores obducebant tenebras non solum rebus Romanis hujus seculi, verum etiam iis fontibus unde illarum notitia hauriatur, hinc factum est ut, nonnullis exceptis, doctissimi olim critici in contrariam sententiam abierint, duosque existimaverint Anastasios exstitisse, alium bibliothecarium et abbatem, alium presbyterum cardinalem[1].

Nostra tandem ætate, doctissimus professor J. Hergenröther, Ecclesiæ Romanæ nunc cardinalis, in ea re magis illustranda operæ plurimum consumpsit atque eruditionis[2]. Ejus autem investigationis is exitus fuit, ut Anastasium bibliothecarium haud alium esse arbitraretur ac presbyterum S. Marcelli sæpius condemnatum[3]. Quod si fortasse illi non contigit omnem veterum

1. Ita sentiunt D. Ceillier (*Hist. génér. des aut. sacrés*, t. XIX, p. 414), Muratori (*Script. rer. Ital.*, t. III, p. v), Bähr (*Gesch. d. röm. Litt.*, t. III, suppl., p. 261), Gregorovius (*Gesch. d. Stadt Rom*, t. III, p. 213), Tiraboschi (*Stor. d. letter. ital.*, t. III, p. 213), Ant. Pagi (*Notæ in Baronii Annales*, an. 868, n. XIV, ed. Lucens., t. XV, p. 142). Stabant autem pro uno eodemque Anastasio, Ant. Possevino (*Apparatus sacer*, p. 71), Fabricius (*Bibl. med. et inf. latin.*, t. I, p. 88), Vossius (*De hist. lat.*, t. II, p. 35), Schröck (*Kirchengeschichte*, t. XXI, p. 160).

2. In libro qui inscribitur *Photius, Patriarch von Constantinopel, sein Leben, seine Schriften und das griechische Schisma*, ed. Ratisbonæ, a. 1866-8, t. II, p. 228-241.

3. « Nichts steht somit unserer Annahme im Wege, dass der mehrmals entsetzte Cardinalpriester von St. Marcellus mit dem Abt und Bibliothekar Anastasius identisch ist. » Hergenröther, op. l., p. 240.

auctoritatem cognoscere, quæ esset ad causæ suæ commodum, aut diluere ea omnia quæ contra dici poterant, hanc tamen argumentationem attulit, quæ ad fidem faciendam apta esse videatur. Nec enim existimavit, quamvis Ecclesiæ Romanæ famam haud indifferenti animo perspiceret, abjiciendam esse æquabilitatem decernendi, atque, quem antea multi summis laudibus efferebant improvide[1], eumdem, re consulta melius et explorata, ausus est dicere ambitiosum, experientissimum veteratorem, atque inter Romanos tanquam alterum Photium[2].

III. Quamobrem ego te, amice lector, ad hunc scriptorem rejicere potui; eoque magis quod difficili in loco versamur, in quo, si quis doctissimus spectatissimusque præierit, multum id præstabit et voluptatis, et securitatis. Sed tamen, cum necessitas postulet ut ea de uno Anastasio sententia, non solum probabilis, verum etiam certa atque inconcussa efficiatur, quæ ego argumenta et auctoritates Marte proprio comparavi, hæc operæ pretium duxi proponere, atque hoc loco, quantum in me est, commendare, ut rem quisque suis ponderibus examinare facilius possit.

1. Porro Anastasium presbyterum, quem Hadrianus II sacerdotio iterum, propter nova facinora, ad

1. « Anastasius bibliothecarius... constans semper in fide et obsequio pontificum Romanorum. » Mabillon, *Annales ord. S. Benedicti*, t. III, p. 35. Cf. D. Ceillier, *Hist. génér. d. aut. sacrés*, t. XIX, p. 424.

2. « Wie Photius, so hatte Anastasius sich des Episcopates mit weltlichem Beistand zu bemächtigen gesucht; er hatte weit früher als jener seine Hoffnungen vereitelt gesehen: *er war zu Intriguen geneigt gleich jenem.* » Hergenröther, op. l., p. 240.

tempus dejecit, eumdem esse atque Anastasium bibliothecarium disertissime declarat Hincmarus, rerum Romanarum ac maxime earum quæ ad nostrum bibliothecarium spectant, scientissimus scriptor[1]. Is enim archiepiscopus Remensis, narrans, in suis Annalibus[2], qua ratione Anastasius, olim S. Marcelli presbyter, Eleutherium, fratrem suum, in patrando quodam scelere adjuvisset, atque ob eam causam Hadriani papæ offensam subiisset, hunc Anastasium dixit esse creatum, ineunte Hadriani II regno, ecclesiæ Romanæ bibliothecarium : « Eleutherius, inquit Hincmarus, consilio, ut fertur, fratris sui Anastasii, *quem bibliothecarium Romanæ ecclesiæ in exordio ordinationis suæ Adrianus constituerat*, Stephaniam, uxorem ipsius pontificis, et ejus filiam quam sibi rapuit, interfecit[3]. »

Quapropter, qui negant unam personam esse presbyteri et bibliothecarii, illud alterutrum necesse

1. Vixit Hincmarus circ. ab a. 806 ad. a. 882, archiepiscopus Remorum ab a. 844 ad a. 882. V. Car. von Noorden, *Hinkmar, Erzbischof von Rheims*. Bonn, 1863, p. 2, 35, 401.

2. Annalium Bertinianarum inde ab a. 861 ad a. 882 auctorem ipsum Hincmarum fuisse nonnulli quidem historici olim negarunt (v. g. D. Ceillier, *Hist. génér. des auteurs sacrés*, t. XIX, p. 375-7; *Histoire littéraire de la France*, t. V, p. 578-580); nunc autem pro certo habetur recte ac merito (v. C. von Noorden, *Hinkmar*, p. 152-3, nª 2; Wattenbach, *Deutschlands Geschichtsquellen im Mittelalter*, 3ª ed., t. I, p. 156, 218-9). Quod enim cl. abbas Le Beuf, seculo proxime elapso, aliique viri doctissimi, multa conjectura consecuti erant (v. Le Beuf, *Dissertations sur l'histoire ecclésiastique et civile de Paris*, Paris 1739, p. 432-499; G. Pertz, *Mon. Germ. hist., SS.*, t. I, p. 420-1), id vere dictum esse, recentioribus his temporibus, exploratum est. Nam Richerius, Remensis seculi decimi monachus, cujus *Historiæ* a. 1839 primum editæ sunt (ap. Pertz, *SS.*, t. III, p. 568-657), hæc in epistola ad Gerbertum Rem. archiepiscopum de Annalibus Bertinianis proloquitur: « Initium a vicino ducendum existimavi, cum res multo ante gestas, divæ memoriæ Hincmarus ante te in pontificatu octavus, suis Annalibus copiosissime annexuit. » (Pertz, *SS.*, t. III, p. 568.)

3. Hincmari *Annales*, a. 868 (Pertz, *SS.*, t. I, p. 477).

habent fingere, vel Hincmarum in errore versari, cum existimat Anastasium cardinalem ab Hadriano II creatum esse bibliothecarium, vel duos ejusdem nominis viros bibliothecæ Romanæ illis temporibus præfuisse.

a. Hæc placuit recentioribus aliquot criticis posterior enodatio[1], qua quidem haud scio an, excepta priore, nihil quidquam infelicius excogitari possit. Nam, ut eorum conjectura fert, presbyter S. Marcelli bibliothecam ecclesiæ Romanæ anno primo Hadriani II[2] rexisset, Anastasius abbas tantummodo post judicium ac condemnationem presbyteri, id est, post IV idus mensis octobris a. 868[3]. Ast autem, quemadmodum liquido constat Anastasium abbatem, inter ultima Hadriani II tempora, bibliothecam Romanam administrasse[4] (mox enim in gratiam pontificis redierat[5]), ita ipsum, ejusdem pontificatus principio, in munere jam bibliothecarii fuisse, ex certis auctoribus manifestum est.

1. Ex. gr. Joh. Mabillon (*Annales ordinis S. Benedicti*, t. III, p. 35), D. Ceillier (*Histoire générale des auteurs sacrés*, t. XIX, p. 414).

2. A mense circ. dec. a. 867 ad mens. oct. a. 868.

3. Hæc de Anastasio abbate J. Mabillon : « bibliothecarius sanctæ Romanæ ecclesiæ factus ab ipso Hadriano, post exauctoratum scilicet alterum Anastasium. » Op. cit , p. 35.

4. V. supra (p. 5, n. 4) *Præfationem in Synodum octavam*, quam Anastasius Hadriano papæ inscripsit, inter a. 870-72, cum hæc synodus octava Byzantii habita sit a mense octobri a. 869 ad mensem februarium a. 870. V. *Acta conc. œcum. VIII*, act. I et X, ap. Migne, t. CXXIX, p. 29, 147. Quin imo, Anastasius noster, enarrans ea quæ ipse Byzantii, ineunte a. 870, egerat, de se ita loquitur : « Verum ego qui Romanæ bibliothecæ curam gerebam, studium habui a Constantinopoli, » etc. (Anastasii *Notæ in Syn. oct.*, Migne, t. CXXIX, p. 39). Ex quo efficitur ut Anastasius abbas, antequam Constantinopolim proficisceretur, id est, a. 869, bibliothecarii munus obierit.

5. V. hujus libri c. VII.

Etenim utrum Anastasius abbas, post consecratum Hadrianum II, statim bibliothecarius factus sit, annon, vix uni alterive magis quam Hincmaro, archiepiscopo Remensi, compertum esse potuit. Ille enim, paulo antequam Nicolaus I moreretur [1], Actardum, episcopum Namnetensem, Romam legatum miserat [2], qui, inter alia, Anastasio abbati litteras et dona perferret [3]; sperabat enim Hincmarus per eum abbatem, quem multum gratia posse apud Nicolaum noverat, aditum ad pontificem legato suo faciliorem fore [4]. Romam autem advenerat Actardus, mortuo Nicolao, cum jam Hadrianus II in summum pontificem esset consecratus [5]; Anastasium ex composito convenerat, ejusque animos ita permulserat, ut, mense maio a. 868 [6], in Gallias cum donis ab Anastasio ad archiepi-

1. Nicolaus I excessit e vita d. 13 m. nov. a. 867. Cf. Jaffé, nov. ed., p. 368.

2. Actardus Romam profectus est post habitam synodum apud Trecas 8 kal. nov. a. 867. Is enim episcopus cum ab Hincmaro, tum a synodo Trecensi legationem acceperat. V. Hincmari *Annales*, a. 867 (Pertz, *SS.*, t. I, p. 475).

3. Exstat adhuc ea Hincmari ad Anastasium epistola, quæ inscribitur in hunc modum : « Hincmarus Remorum episcopus sanctissimo et fidissimo fratri Anastasio religioso abbati plurimam opto salutem. » (Migne, t. CXXVI, p. 257.) Hæc autem Hincmarus in extrema epistola scribebat : « ne in totum vos quantulacunque benedictiuncula visitare dimitterem, pro nostræ exiguitatis memoria mitto vobis per eum (Actardum) crusnam de pellibus variis, cum panno coloribus vario. » (Ibid., p. 258.)

4. « Vestram peto indubiam charitatem, ut domno apostolico... eum (Actardum) commendetis, et ejus necessitatibus atque rationabilibus petitionibus pro viribus concurratis. » Hincmari *Epistola ad Anastasium abbatem* (ibid., p. 258).

5. « Nicolaus papa Idus proxime præcedentis mensis decembris obiit, cui successit Adrianus papa electione clericorum et consensu Hludowici imperatoris in pontificatu. Quem Actardus Romam veniens cum supra scriptis epistolis, in apostolica sede jam ordinatum invenit. » Hincmari *Annales*, a. 867 (Pertz, *SS.*, t. I, p. 476).

6. Actardus Silvacum pervenit paulo post celebratas Rogationes. V. Hincmari *Annales*, a. 868, p. 477.

scopum Remensem deferendis rediret[1]. Quibus muneribus acceptis, Hincmarus Anastasio gratias egerat per litteras. Jam vero archiepiscopus Remensis, qui, in prioribus ad Anastasium scriptis litteris, hunc tantum vocaverat religiosum abbatem, recentiorem eam epistolam sic inscripsit : « Anastasio venerabili abbati ac bibliothecario sanctæ Romanæ ecclesiæ[2]. » Quod sane non fecisset, nisi interea per Actardum certior esset factus, abbatem Anastasium bibliothecarii munus nuper iniisse.

Ad hoc Hincmari grave testimonium accedit Hadriani papæ II gravior etiam auctoritas. Etenim, cum Hincmarus archiepiscopus, ut supra dixi, abbatem Anastasium rogavit, ut per eum legatus Actardus aditum commendationis haberet ad pontificem, de Nicolao quidem adeundo cogitabat, quem e vita excessisse nondum in Gallia erat auditum. Sed, quod Anastasius cum Nicolao non potuerat, haud dubium est quin cum Hadriano II, novo pontifice, egerit, atque Hincmarum, apud Sedem apostolicam, maximo commendaverit studio. Id ipsum in eis litteris significatur, quas ab Hadriano papa, VIII idus m. martii a. 868[3], ad Hincmarum archiepiscopum scriptas, Actardus, Roma proficiscens, secum

1. Id enim eruitur ex iis quæ Hincmarus, teste Flodoardo, ad Anastasium rescripsit, « gratiarum referens actiones pro benedictionibus sanctissimis ab eo sibi per Actardum episcopum directis, suas eidem quoque abbati mittens munerum benedictiones, quædam etiam opuscula suo labore confecta ipsi delegans. » Flodoardi *Historia Remensis ecclesiæ*, l. III, c. XXIV (*Monum. Germ. hist.*, *SS.*, t. XII, p. 535-6).

2. Flodoardi *Hist. Rem. eccl.*, ibid. Quamvis enim hæc epistola Hincmari non jam exstet integra, Flodoardi fidem sequi debemus, qui exemplar ante oculos habuit.

3. Editæ sunt ap. Migne, t. CXXII, ep. 16, p. 1271. Cf. Jaffé, *Reg.*, nov. ed., n° 2905.

tulit[1]. Itaque de ista Anastasii commendatione videamus quibus verbis summus ille pontifex Hincmaro nuntiaverit : « Licet, ait Hadrianus, frequens sanctitatis tuæ fama, quæ nunquam nisi cum laude semper exstitit, te nobis dudum fecerit manifestum, tamen ut virtutum probabiliumque morum tuorum prædicamenta liquidius agnosceremus, fratrum nostrorum, videlicet Arsenii venerabilis apocrisiarii sedis nostræ, quin et Actardi, sanctissimorum præsulum, *necnon et dilectissimi filii mei, sanctæ sedis apostolicæ bibliothecarii*, fecit Anastasii multis præconiis plena delectabilisque relatio[2]. » Vides, amice lector, ut Anastasius abbas mense martio a. 868 jam bibliothecarius Sedis apostolicæ nominetur; nisi forte arbitreris hunc Anastasium, qui tantam operam apud summum pontificem pro Hincmaro interposuit, alium esse ab Anastasio abbate quem ipse Hincmarus, ut ita ageret, litteris et muneribus sollicitaverat : quod serio vix dici potest.

Quid multa? Confitentem habemus Anastasium ipsum bibliothecarium. Is enim, qui, dum regnaret Nicolaus I, non aliud nomen in suis libellis usurpaverat quam Anastasii exigui abbatis[3], cum scripsit ad Adonem archiepiscopum Viennensem, paucis diebus post consecratum Hadrianum II[4], jam se ecclesiæ Romanæ

1. Has enim litteras sic commemoravit Hincmarus : « Alteram autem epistolam Hincmaro detulit (Actardus) laudibus et fidelitatis dilectionibus repletam, et ut ejus vice in istis partibus de Hlothario fungeretur. » Hincmari *Annales*, a. 868 (Pertz, *SS.*, t. I, p. 477).

2. Migne, t. CXXII, p. 1271.

3. V. *Præfationem in Vitam S. Basilii* supra citatam, p. 5, n. 2. Nullum opus novi quod Anastasius, ante Nicolai tempora, composuerit.

4. Hanc enim epistolam sic ingreditur Anastasius : « Triste tibi nuntium, pro dolor! nimium tristis, et gemens transmitto. Venerabilis quippe recor-

bibliothecarium professus est. Ejus enim epistolæ hæc est inscriptio: « Domino sancto Patri Adoni venerando mihi et valde diligendo archiepiscopo, *ego Anastasius sanctæ Romanæ ecclesiæ bibliothecarius* plurimam opto salutem[1]. » Patet igitur illum Anastasium, quem, ut narratum est in Annalibus Hincmari, « bibliothecarium ecclesiæ Romanæ in exordio ordinationis suæ Adrianus constituerat », nostrum esse abbatem, non alium nescio quem; ergo quidquid recentiores critici de duobus Anastasiis bibliothecariis, mala avi, conjectarunt, commenticia res est ad causæ commodum adinventa.

b. Hoc autem probe stabilito et fixo, jam perspici potest quam longe etiam a veritate desciscant qui hoc aliud effugium tentavere, nullam scilicet fidem Annalibus Hincmarianis habendam esse, ob eam causam quod auctor ille, in Galliis cum versaretur, hominem Romanum non satis notum habuerit, nec facile bibliothecarii personam a presbytero S. Marcelli potuerit discernere[2]. Nam quis credat Hincmarum archiepiscopum, qui jam abhinc viginti annis epistolarum assiduitatem, non solum cum summis pontifici-

dationis Pater et papa noster Nicolaus ab hac misera vita idibus novembris ad cælestem beatitudinem, ut credimus, ductus nos miseros et valde desolatos reliquit. » Ex quo id primum liquido constat, cum hæc scriberentur, recentem esse obitum Nicolai I. Hadrianum vero jam fuisse tum temporis consecratum ex his patet : « Habemus enim præsulem Adrianum nomine, virum per omnia, quantum ad bonos mores pertinet, valde strenuum et industrium. » Anastasii *Epistola ad Adonem* (Migne, t. CXXIX, p. 741-2).

1. Migne, ibid., p. 741.

2. « Ed è probabile che l'autor degli Annali, il qual sembra francese, confondesse egli pure, come tant'altri hanno fatto, il cardinale Anastasio di cui abbiam finora parlato, col bibliotecario di cui or dobbiam ragionare. » Tiraboschi, *Storia della letteratura italiana*, t. III, p. 213.

bus[1], verum etiam cum amplissimis Romanorum[2], servaverat, cujus legati Romæ aderant, paulo post mortem Leonis IV[3], cum maxime Anastasius presbyter de summo pontificatu cum Benedicto III decertaret, at certe cum recentissimum illud ac tumultuosum certamen esset in ore atque sermone omnium; qui deinceps, maximeque Nicolai temporibus, frequentes oratores ad Sedem apostolicam miserat[4], per quos de rebus hominibusque Romanis factus erat certior, hunc, inquam, quis sibi persuadeat ita imprudentem fuisse rerum Romanarum, ut falso existimaret Anastasium presbyterum, olim Sedis apostolicæ ereptorem, unum

1. « Scripsit autem præfatus pontifex (Hincmarus) ad eumdem papam Leonem (IV) sexies, ut ipse in quadam ad eum asserit epistola, vel septies, sua dirigens ad eum scripta. » Flodoardi *Hist. Rem. eccl.*, l. III, c. x. (Ibid. p. 482).

Hincmari ad Nicolaum exstant adhuc tres epistolæ (Migne, t. CXXVI, ep. 2, 7, 11).

2. V. Flodoardum, op. cit., l. III, c. xxi, p. 516-517. Ut vere dici possit Hincmari, viri solertissimi, perpetuam curam versatam esse in hoc, ut exploratum haberet qui Romani apud summos pontifices maxima essent auctoritate, eosque sibi devinciret. Neque injucundum est animadvertere Anastasium bibliothecarium unum ex eis fuisse, qui archiepiscopum Remensem ad id inquirendum aliquando adjuverunt. Scribebat enim Hincmarus Gregorio, Romanæ ecclesiæ nomenculatori, « asserens, quod præfatus Anastasius multa bonitatis insignia sibi de ipso suis litteris intimaverit, et quod magnam fiduciam in ipsius habere posset amicitia sinceriter mandaverit ». Flodoardi *Hist. Rem. eccles.*, l. III, c. xxiv (*Monum. Germ., SS.*, t. XII, p. 536).

3. « Missos meos cum litteris Romam direxi, quibus in via nuntius venit de obitu papæ Leonis. Pervenientes autem Romam cum præfatis litteris, et intervenientibus prædictis episcopis, domnus nomine et gratia Benedictus mihi quod nostis privilegium inde direxit. » Hincmari *Epistola ad Nicolaum I* (Migne, t. CXXVI, ep. 11, p. 85).

4. Namque, ut omittam Odonem et Luidonem, quos ex itinere Romano exceperat (v. Hincmari *Epistolam ad Nicolaum*, Migne, t. CXXVI, ep. 2, p. 256, 27, 30 D, 31 D, 42 D, 43 A), Hincmarus Egilonem episcopum multis instructum mandatis Romam legavit a. 866 (v. Hincmari *Epistolas ad Egilonem*, Migne, ibid., ep. 8, 9, 10, p. 64-76): anno autem 867, plures e suo clero ad Nicolaum misit, qui Romæ tres menses commorati sunt (v. Hincmari *Annales*, a. 867, p. 475).

eumdemque esse atque Hadriani II bibliothecarium; idque eo magis incredibile est quod Hincmarus istum Hadriani bibliothecarium, quam optime, ut probavimus, noverat, nec parva cum eo conjunctus erat necessitudine[1].

Hæc quidem, nisi fallor, satis superque ad fidem Annalibus Hincmarianis confirmandam. Verumtamen, cum ea quæ de auctore Hincmaro disputamus, ad aliam causam possint accommodari, hoc premendum etiam atque etiam est argumentum.

Etenim qui Remensem archiepiscopum errasse in personis arbitrantur, id, inter alia, non satis animadverterunt, Hincmarum, qua cum Anastasio bibliothecario jungebatur familiaritate, eadem fuisse conjunctum cum Arsenio, episcopo Hortensi, Sedisque apostolicæ apocrisiario[2], atque inter illos tres homines non dico sinceram amicitiam[3], sed frequentem usum fuisse. Jam a. 865, dum Arsenius legationem apostolicam in Francia perageret[4], rem cum illo habuerat

1. Quæ tamen necessitudo non ita intelligenda est ut Hincmarus Anastasium absolute atque ex animo dilexerit. Videbimus infra quodnam genus amicitiæ inter utrumque fuerit; sed, si quando Hincmarus ab Anastasio cavit, causa maxime est quod eum bene notum habebat.

2. Arsenium, episcopum Hortensem, eumdem esse atque Arsenium apocrisiarium Sedis apostolicæ, patet ex his Nicolai I litteris : « Scitote nos tam ad gloriosum regem vestrum quam ad vos, Arsenium venerabilem virum, Hortensem episcopum, apocrisiarium et missum apostolicæ sedis... destinasse. » *Epistola ad episcopos Galliæ* (Migne, t. CXXVI, ep. 79, p. 915). V. etiam Hincmari *Annales*, a. 865, p. 467.

3. Quod enim de Anastasio modo dicebam, de Arsenio dicendum etiam est verius. Hunc quidem Hincmarus, commodi sui causa, devincire sibi studuit, sed despectum, intimo corde, habebat, quemadmodum id constat ex iis quæ Hincmarus, in suis Annalibus, de Arsenio, viro « magnæ calliditatis et nimiæ cupiditatis », liberius locutus est. V. Hincmari *Annales*, a. 867 (Pertz, *SS.*, t. I, p. 476) et a. 868 (ibid., p. 477).

4. V. Hincmari *Annales*, a. 865, p. 467-9.

Hincmarus[1], quantaque auctoritate is apocrisiarius tum floreret apud Romanos, majore, quam vellet, documento expertus erat[2]. Itaque, cum deinde Actardum ad Nicolaum papam delegavit, ratus nihil sibi Romæ successurum, nisi prius et Anastasium abbatem, et Arsenium episcopum conciliaret, legato suo præceperat ut applicaret se ad utriusque familiaritatem. Hæc enim de Actardo dicta sunt in eis litteris, quas Hincmarus per eumdem ad Anastasium deferendas curavit : « De quo charissimo et fidissimo fratre et venerabili ac prudenti episcopo, vestram peto indubiam charitatem, ut domno apostolico *et patri nostro Arsenio*, et ceteris familiaribus vestris eum commendetis, et ejus necessitatibus atque rationabilibus petitionibus pro viribus concurratis. Et quoniam, quando ad synodum apud Trecas veni, non putavi eum cum legatione synodali ex ipsa synodo Romam iturum, talia vel ita condigna exenia mecum non attuli, ut domno apostolico et *carissimo patri nostro Arsenio*, ac vobis condigne mittere possem[3], » etc. His autem instructus mandatis, Actardus, cum Romam advenisset, nihil habuerat antiquius quam ut societatem cum istis duobus Romanis coiret, eosque adduceret ut Hincmarum in fidem clientelamque suam reciperent. Cujus rei testis est Hadrianus II, qui quidem in ea quam modo memorabam epistola, declarat apud se tres homines in causam Hincmari incubuisse, Actardum episcopum, Anasta-

1. « De præfatis ordinatis (Wulfado ejusque collegis) ab Arsenio scripto interrogatus scriptis rationem reddidi. » Hincmari *Epistola ad Egilonem* (Migne, t. CXXVI, ep. 9, p. 69).

2. V. hujus libri caput IV.

3. Migne, t. CXXVI, ep. 38, p. 258.

sium bibliothecarium, et Arsenium apocrisiarium Sedis apostolicæ[1].

Quod si ita est, ut archiepiscopus Remensis talem consuetudinem habuerit cum Arsenio et Anastasio bibliothecario, magis ac magis fit illud verum, Hincmarum non errasse, cum hunc Hadriani II bibliothecarium asseveravit fuisse olim cardinalem S. Marcelli presbyterum, ac pœnas ambitionis, Leonis IV et Benedicti III temporibus, dedisse. Nam, esto : fac duos fuisse Anastasios, quos eosdem esse Hincmarus imperite voluerit ; tamen necesse est fatearis utrumque Anastasium magna cum Arsenio episcopo familiaritate, ne quid magis in præsentia dicam, fuisse conjunctum. Id enim, ex supra dictis, de bibliothecario jam manifestum est. Quod autem ad presbyterum spectat, missum nunc facio, in eis quæ a. 868 nefarie acta sunt, quæque iterum Anastasii presbyteri famam et honores in discrimen adduxerunt, Arsenium episcopum se illius consilii ducem præbuisse[2]. Hæc enim ex Annalibus Hincmarianis eruuntur, quos auctores si nunc produxero, vereor ne lis lite dirimi, id est, Hincmarus defendi ab Hincmaro dicatur. Sed, superioribus temporibus, cum Anastasius presbyter summum pontificatum affectavit, ei jam tum aderat adjutor Arsenius, Hortensis episco-

1. V. Hadriani II epistolam supra allatam, p. 13.

2. Totius rei origo fuit scelus quoddam ab Eleutherio patratum, de quo Hincmarus ita narrat : « Quarta autem feria post initium quadragesimæ (die 10 mensis martii a. 868) factione Arsenii filius ejus Eleutherius filiam Adriani papæ ab alio desponsatam dolo decepit et rapuit ; unde idem papa nimium est contristatus. » Hincmari *Annales*, a. 868 (Pertz, *SS.*, t. I, p. 477). Id igitur accidit, duobus diebus postquam Hadrianus papa, in sua ad Hincmarum epistola Actardo commissa, hunc Arsenium laudibus ornaverat. (V. Hadriani II epistolam supra citatam, quæ quidem data est « VIII Idus Martii » a. 868, i. e. die 8 m. martii.)

pus. Ab Arsenio, ut in Libro pontificali traditum est, parata omnia, ut illud facinus non tam Anastasii fuisse, quam Arsenii, videatur[1].

Quibus positis, animadvertere velint ii scriptores qui Hincmarum arbitrantur ex his duobus Anastasiis unum inconsulte effecisse, quorsum tendat illorum conjectura. Ergo tres fuerint homines Romani, summa familiaritate inter se conjuncti, ex quibus Hincmarus, cum epistolarum consuetudine, tum ex narratione legatorum suorum qui in ista societate vixerant, duos habuerit notissimos; et is archiepiscopus tertium illius conjunctionis familiarem eumdemque propter ante acta haud obscurum, penitus ignoraverit! et ea quæ ad hunc Anastasium spectabant ad alium sibi penitus cognitum falso transtulerit! Quo sane, pace dicam doctorum virorum qui hæc ignorarunt, nihil quidquam excogitari potest absurdius.

Quamobrem, etiamsi unde uni eidemque viro tam varia fortuna obtigerit nondum satis constaret (quod, ut spero, constabit postea), tamen, hac in re, standum est Annalibus Hincmarianis, si quid adhuc valet, in re historica, certa ac prudens auctoritas.

2. Verumtamen, ne unico auctore niti videamur, ostendamus id quod archiepiscopus Remensis testatus est, ab aliis etiam testibus non minus expresse esse significatum.

Sed hoc primum ponamus, Nicolaum I, si quando

1. « Adalbertus, Bernardusque ingressi (Hortam) comites cuidam olim damnato, Arsenio cogente episcopo, se conjunxerunt presbytero nomine Anastasio. » *Vita Benedicti III*, c. VIII (Vignoli, t. III, p. 148). V. etiam c. VI, VII, p. 147. Illum autem Arsenium, de quo hic agitur, esse episcopum Hortensem, non Eugubinum, ut diu existimatum est, ostendo in capite II hujus libri.

graviores exstiterunt de ecclesiastica disciplina quæstiones enodandæ, ad Anastasii abbatis consilium et scientiam recurrisse. Namque, ut ne eam disputationem delibemus quam de hoc postea introducturi sumus[1], id ipsum, quantum ad rem præsentem satis est, certissimum habemus ex ipsa istius abbatis confessione. Narrans enim ille, in suo Procemio ad synodum VIII, omnia quæ apostolica Sedes de Photiano discidio censuerat, quot maxime decreta et litteras, in hac celeberrima hujus temporis controversia, Nicolaus papa I per annos plures emisisset, se fuisse non solum comitem illius laboris, sed quasi ducem professus est, nihilque esse fere in his scriptis quod non Nicolao I (ait item Hadriano II) de suo suppeditaverit. Cujus declarationis eo major est fides quod illud Procemium, in quo hæc dicta sunt, Hadriano papæ II adscribitur, ipsumque pontificem, rei bene conscium, Anastasius hoc loco ita compellat : « nam pene omnia quæ ad præsens negotium pertinent, quæque a Sede apostolica latino sermone prolata sunt, sive quæ in hujus synodi codice, sive quæ in aliis voluminibus continentur, *ego summis pontificibus obsecundans, decessori scilicet vestro ac vobis exposui*[2]. »

Ex hoc illud est natum quod Hincmarus, acceptis a Nicolao I litteris gravissimarum plenis criminationum[3], optimum sibi esse statuit, ut eum errorem papæ eriperet, Anastasio abbati defensionem suam exponere.

1. V. caput IV.
2. V. Anastasii abbatis et bibliothecarii *Præfationem in Synodum octavam* (Migne, t. CXXIX, p. 17). Cf. caput IV hujus libri.
3. V. Nicolai I *Epistolam ad Hincmarum* (Migne, t. CXIX, ep. 108, p. 1101 sqq.). Cf. infra, c. V.

Quidquid enim ipsi Nicolaus exprobraverat, hoc archiepiscopus Remensis, per litteras Actardo legato demandatas, apud Anastasium abbatem diluit, atque continuationem seriemque rerum haud secus edisseruit quam si hujus causæ potestas in eo homine sita esset[1] : tantum Hincmarus id exploratum habuerat Nicolaum pontificem Anastasio abbate, in scribendis apostolicis litteris, consiliario atque adjutore uti !

Quapropter, si ex altera parte illud testatum consignatumque inveniemus, Nicolai I acceptissimum consiliarium assiduumque adjutorem fuisse virum quemdam, Anastasium nomine, qui antea, propter ambitiose facta, ecclesiastica communione et sacerdotio dejectus erat, ex hoc rursus apparebit eosdem esse Anastasium bibliothecarium et Anastasium presbyterum S. Marcelli ; nisi quis maluerit pueriliter fingere duos fuisse simul Anastasios, quos æque Nicolaus I sibi in societatem ejusdem laboris adjunxerit.

Porro Nicolai I tempore, Guntharius atque Theutgaudus, hic Trevirorum, ille Coloniæ Agrippinensis archiepiscopus, qui nuper assensu suo Hlotharii regis divortium comprobaverant, judicio summi pontificis damnati sunt ac de omnibus episcoporum muneribus deturbati[2] ; sed contra pontificiam sententiam resistentes repugnantesque Nicolao I epistolam quamdam miserunt, in qua se injuria condemnatos contendebant[3].

1. Quod ut quisque magis compertum habeat, hanc Hincmari epistolam, inter appendices operis mei, edendam curavi.

2. Anno 863, circa m. octob. V. *Annales Fuldenses*, a. 863 (Pertz, *SS.* t. I, p. 375-6); Hincmari *Annales*, a. 863 (ibid., p. 460-1).

3. Annalium scriptor Fuldensis hanc epistolam in suo opere intexuit (Pertz, ibid., p. 377-8).

In hoc sane scripto plura sunt quæ suspecta merito habeantur; agebant enim isti in propria causa idque iracundius; sunt tamen alia, quibus, verborum quidem sublata injuria, assentiri necesse est; quippe quæ nec dici per ignorantiam, neque ex industria fingi potuerint. Cujus generis illud est, cum in his litteris declaratur quis ille sit quocum Nicolaus, tum in ea causa, tum in plerisque, decreta sua elucubrare solebat.

Itaque Guntharius et Theutgaudus Nicolaum papam sic adloquuntur : « Absentibus aliis metropolitanis et diocesaneis coepiscopis et confratribus nostris, extra omnium omnino consensum, tuo solius arbitrio et tyrannico furore, nosmet dampnare voluisti, subito quadam tibi cartula et inprovise porrecta, lectoris officium assumens, *assistente lateri tuo Anastasio, olim presbytero ambitus dampnato et deposito et anathematizato, cujus scelerato magisterio tuus præcipitatur furor*[1]. »

Amoveamus igitur, si placet, illud « sceleratum », quod quidem iracundiam redolet atque in majus dictum est[2] : restat ut is Anastasius, quem Nicolaus I suorum decretorum socium comitemque habebat, unus idemque fuerit atque Anastasius cardinalis presbyter S. Marcelli.

Noli enim existimare istos archiepiscopos audivisse quidem de aliquo Anastasio, assiduo Nicolai adjutore, sed, propter similitudinem nominis, abbatem cum

1. Pertz, SS., t. I, p. 377.

2. Quanquam isti archiepiscopi, ne in hoc quidem, opinione longe falsi sunt. Namque Anastasius, in ea opera quam summo pontifici navavit, impudentiam et fraudem sæpe exhibuit (v. infra c. v). Sed tamen satis erat, ut opinor, dicere « improbum magisterium ».

presbytero imprudenter miscuisse. Namque Theutgaudus atque Guntharius, dum causa eorum ageretur, Romæ aderant; ter septenos dies inter Romanos versati sunt[1], ut commodum eis fuerit cognoscere quis esset Anastasius, aut quid apud Nicolaum I valeret. Neque putandum est ab iis præsulibus personarum confusionem consilio esse factam, ut illud falsum pro vero credi posset, atque ex hoc errore major in summum pontificem redundaret infamia. Etenim, cum hæc ad Nicolaum ipsum et Romanos essent scripta, quid erat ineptius quam aliquid excogitare ex quo omnibus manifestissimum fuisset mendacium[2]?

Dicet aliquis : Nonne mirum est atque indecorum, si Nicolaus, summus pontifex, viro olim anathemate mulctato, tantam fidem habuerit? Sit profecto mirum; nos autem in re historica arbitramur, primum quærendum esse, non quid deceat, sed quid sit, neque a certis auctoribus desciscendum ob eam causam quod ea quæ inveniuntur testificata non aptissime congruunt cum iis quæ finguntur aut optantur. Ceterum, postquam rerum causas seriemque viderimus, omnis fortasse tolletur admiratio.

IV. Denique ad hæc diserta testimonia, nonnulla alia

1. « Sed nos per tres ebdomadas tuum exspectantes responsum. » Theutgaudi et Guntharii *Epistola ad Nicolaum* (Pertz, *SS.*, t. I, p. 377). Cf. Hincmari *Annales*, a. 863 (ibid., p. 460).

2. Tantum isti ab ea cogitatione aberant, ut, cum, anno sequente, ex sua ad Nicolaum epistola præcipua capitula excerpserunt, quæ ad universos episcopos mitterent, non tanti putaverunt, ea quæ de Anastasio dixerant, iterare; quamvis esset aliquid spei homines rerum Romanarum ignaros decipere. V. Theutgaudi et Guntharii *Capitula*, inserta in *Annalibus* Hincmari, a. 864 Pertz, *SS.*, t. I, p. 463-4).

proderit addere, quæ quidem per se non efficiunt Anastasium bibliothecarium et Anastasium presbyterum eosdem fuisse, sed ex quibus res jam probata erit confirmatior.

1. Etenim Hadrianus papa II, quamvis in ea sententia quam de Anastasio presbytero, mense octobri a. 868, pronuntiavit, hunc non explicate dixerit munere bibliothecarii tum temporis functum esse, tamen ita locutus est ut id intelligi jure possit. Namque, præter antiqua facinora, Leonis IV et Benedicti III temporibus patrata, Anastasius in hoc decreto accusatur quod se postea infidelem præbuerit, multa ex patriarchio Sedis apostolicæ scripta et monumenta furando[1]. Ex quo colligitur Anastasio presbytero in bibliothecam Sedis apostolicæ aditus aliquando patuisse : cujus rei nulla est admiratio si iste presbyter idem fuit qui, ineunte regno Hadriani II, factus erat bibliothecarius ecclesiæ Romanæ, quemque antea Nicolaus I socium laboris habuerat.

2. Non minus ea clara sunt quæ Anastasius bibliothecarius de se ipse declaravit. Namque in Vita S. Johannis Eleemosynarii, quam, Nicolai papæ

1. « Sed infidelitas ejus nunc in tantum apparuit, ut post deprædationem patriarchii nostri ablationemque synodalium scripturarum, quas tam super se quam super hujusmodi a sanctissimis præsulibus diversis temporibus decretas repererat, institutionem quoque venerandæ synodi ab ipsis sanctis pontificibus factam atque sub interpositione anathematis retactam violari nobis subripiendo fecerit. » V. Hadriani II *Sententiam adversus Anastasium*, in *Annalibus* Hincmari, a. 868 (Pertz, *SS.*, t. I, p. 479). Bibliothecam autem et archivum Sedis apostolicæ, saltem usque ad sec. XII, in patriarchio Lateranensi ex parte fuisse, probant, inter alia, ea quæ Deusdedit de tomis et armariis Lateranensibus memoravit in *Collectione canonum*, l. III, c. CXLIX, p. 318, 319, 321 (Venetiis, 1869). Qua de re consulendus est ill. J. B. de Rossi : *D'un tesoro di monete anglo-sassoni trovato nell' atrio delle Vestali Dissertazione epistolare*. Roma, 1884, p. 10 sqq.

temporibus, latine reddidit [1], proloquens quas ob causas, omissis altioribus curis, ad scribendi studium se contulisset, ad id adductum esse se professus est, quia noluerat in majora suis viribus iterum invadere, nec sibi arrogare inconcessum ministerium, expertus scilicet verum esse illud Salomonis : Comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud. « Cogitante me, ait, ac diu tacite solliciteque mecum considerante, quid in domo Dei commodius ac dignius operari possem, ne ea videlicet præsumerem quæ mihi ex ministerio credita non sunt, *nec rursus illa arriperem quæ ingenioli mei vires excedunt*, secundum illud Salomonis : Mel invenisti, comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud; et alibi : Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris ; ecce subito quidam strenui ac studiosi viri me cohortari voluerunt ut in latinum sermonem verterem Leontium de Vitæ residuis Joannis Alexandrini antistitis [2]. » Ex ipsius igitur confessione, Anastasius bibliothecarius, priusquam hoc otium litteratum exerceret, majora ambitione jam semel arripuerat : quod facile intelligitur, si revera idem est presbyter qui summum pontificatum ante aliquot annos affectaverat, quique erat ex eo tempore a sacerdotali ministerio prohibitus.

3. Accedit denique quod qualis arguitur Anastasius presbyter, id est, ambitiosus, callidus, fraudulentus, talem fuisse Bibliothecarium non jam negari ullo pacto

1. Inscripta est : *Ad domnum Nicolaum papam* (Migne, t. LXXIII, p. 338). V. cap. II hujus libri.

2. Anastasii *Præfatio in Vitam S. Johannis Eleemosynarii* (Migne, ibid., p. 338-9).

potest[1], ut, iis omnibus quæ de utroque seorsum explorata sunt junctis inter se et connexis, una efficiatur persona, mire sibi constans ingenio et moribus. Sed in ea re nolo esse multus, cum hæc studiorum concordia deinceps futura sit per se satis manifesta.

V. Quoniam autem auctoritates rationumque momenta produximus, quibus, ut opinor, fit certum eumdem fuisse Anastasium presbyterum atque Anastasium bibliothecarium, nunc, quæ contra disputata sunt a recentioribus criticis haud alienum videtur referre et refellere. Sunt enim ea plerumque ejusmodi quæ sententiam nostram confirment, nedum imminuant.

1. Ac primum nobis occurritur a quibusdam[2], Anastasium bibliothecarium, dum Vitas Leonis IV et Benedicti III in Libro pontificali conscriberet, inclementius in presbyterum S. Marcelli invectum esse[3]; ex quo quam longe alia sit persona presbyteri et bibliothecarii judicari potest. — At hæc ab ea opinione fluxerunt qua olim putabatur totius Libri pontificalis auctorem fuisse Anastasium bibliothecarium ; quod, ut supra diximus, nullam habet probabilitatem. Nihil est enim cur Vitæ Leonis IV et Benedicti III Anastasio tribuantur. Quod autem attinet ad Vitas Nicolai I et Hadriani II, quarum illa auctorem fortasse Anastasium habuit, hæc

1. V. caput v, vi, vii.
2. V. Hergenröther, qui ipse illud jam refutavit (*Photius*, t. II, p. 236).
3. V. *Vitam Leonis IV*, in qua Anastasius « canonice et merito depositus » dicitur (Vignoli, t. III, p. 128-9). Auctor vero *Vitæ Benedicti III* Anastasium appellat « tyrannum cruentum, Dei parvi pendentem judicium, audaciorem Saracenis, magna cum turpitudine de patriarchio ejectum » (Vignoli, p. 152, 153, 155).

autem scripta est dum is bibliothecarius in curia Romana multum valeret[1], aut nulla est in iis presbyteri cardinalis mentio[2], aut si qua de illo narrantur, hæc jam narrantur benigne, ne dicam benignius. Et quidem auctor Vitæ Hadriani II non intermisit scribere quo tempore Anastasius in ordinem sacerdotum ab Hadriano II reductus sit[3], sed cujus deinde sceleris in suspicionem inciderit, quas dederit pœnas, silentio præteriit scriptor cautissimus.

2. Aliis autem historicis aliud exsistit dubium. « Quod si ita est, inquiunt, ut Anastasius bibliothecarius fuerit ex numero sacerdotum cardinalium, quid est cur ille in suis epistolis modo se abbatem, modo bibliothecarium Sedis apostolicæ, modo utrumque simul, nunquam presbyterum nominaverit[4] ? » — Qua de causa Anastasius ipse scribens a nomine sacerdotis abstinuerit, omitto quærere; sed tantum abest ut inde aliquid colligi possit, ut hunc bibliothecarium debeamus presbyterum appellare, etiamsi non idem esset atque presbyter S. Marcelli. Exstat enim adhuc Photii patriarchæ ad eum missa epistola, cujus hæc est inscriptio : « Ἀναστασίῳ

1. Hinc illius prudentia atque eloquentia in hac Vita laudibus exornantur. V. supra, p. 3.

2. In *Vita Nicolai* nulla est Anastasii mentio.

3. « Simulque Anastasius, qui dudum a Leone, Benedictoque pontificibus presbyterio denudatus inter laicos communicare solitus erat, ecclesiasticam communionem *sub congrua satisfactione* receperint. » *Vita Hadriani II*, c. X (Vignoli, t. III, p. 226). Vides ut leviter dictum sit illud « a Leone presbyterio denudatus », cum revera Anastasius a Leone IV fuisset « excommunicatus, depositus, et anathemate vinctus ». *Vita Benedicti* III, c. VIII (Vignoli, p. 148).

4. « Il nostro Anastasio non fu mai cardinale, e il solo titolo che a lui veggiam dato ne' titoli delle sue opere, si è quello di bibliothecario della sede apostolica. » Tiraboschi, *Storia della letteratura italiana*, t. III, p. 214. Nec videtur doct. vir Anastasii Præfationes omnes legisse.

πρεσβυτέρῳ καὶ βιβλιοθηκαρίῳ Ῥώμης, Anastasio presbytero et bibliothecario Romæ[1]. »

3. Tertio ad hunc modum objici potest : « Cum ex altera parte non dubium sit quin Anastasius bibliothecarius aliquam abbatiam, Nicolai I temporibus, administraverit, ex altera autem parte certo constet presbyterum S. Marcelli ad gradum sacerdotalem non ante consecrationem Hadriani II rediisse, nonne hæc duo inter se dissident? Numquid fieri potuit ut Nicolaus I presbytero deposito cuique adhuc interdictum erat sacerdotali communione, regendum monasterium commiserit? »

Ast autem harum rerum non solum nulla est repugnantia, verum etiam id factum esse secundum consuetudinem illius temporis, imo ipsius Nicolai, ausim contendere. Etenim Zacharias, episcopus Anagninus, quem Nicolaus papa I de gradu episcoporum dejecerat omnique removerat sacro ministerio[2], ejusdem pontificis jussu, monasterio S. Gregorii ad clivum Scauri præpositus est[3], atque illi et Anastasio tam similis fortuna fuit, ut, postquam ambo simul abbates laici vixissent, ad ecclesiasticam communionem, eadem die, ab Hadriano II recepti sint[4]. Atque hanc etiam consuetudinem extra Italiam tum temporis viguisse, Hincmarum habemus testem, qui de Rothado, episco-

1. V. Migne, *P. G.*, t. CII, p. 877.
2. In. a. 863 (v. Jaffé, *Reg.*, nov. ed., p. 351), vel ex. a. 862 (v. infra c. III).
3. « Reverendæ quoque memoriæ Nicolai pontificis tempore, regimen ejusdem monasterii Zacharia civitatis Anagninæ præsule, sicut hodie superest, procurante. » Johannis Diaconi *Vita Gregorii Magni*, l. IV, c. XCIII (Migne, *P. L.*, t. LXXV, p. 236).
4. V. *Vita Hadriani II*, c. X. V. supra, p. 6, n. 6

patu dejecto, ita scripsit : « Post depositionem autem illius obtinui ut unam abbatiam valde bonam ei dominus rex et episcopi consentirent[1]. »

4. Nunc autem veniamus ad eam contradictionem, quam ego olim, cum nondum studia in hac re præcipue posuissem, imprudenter adduxi[2]. Anastasius bibliothecarius, aiebam, ad episcopum Adonem scribens, cum incidisset in mentionem Arsenii, hunc avunculum suum appéllavit[3]; Hincmarus vero, in suis Annalibus, simul atque Anastasium bibliothecarium significavit eumdem esse atque presbyterum S. Marcelli, hunc Arsenii filium aperte professus est[4]: ex quo inferebam Bibliothecarium alium esse a Presbytero, at id, fateor, parum dialectice[5]. Namque, etiamsi verum esset Anastasium Arsenii nepotem fuisse, non filium, quid aliud efficitur, nisi ut Hincmarus in hoc solum erraverit? quod sane multo minus mirum est, quam si eum fingas de ipsis personis, quas pulchre noverat, turpiter esse falsum[6]. At ne hoc quidem necessarium videtur. Exemplar enim hujus ad Adonem epistolæ tam mutilum, tam dubium apparet[7], ut ei fidem magis adhibere quam auctori, il-

1. Hincmari *Epistola ad Nicolaum papam* (Migne, t. CXXVI, ep. 2, p. 30).

2. V. A. Lapôtre, *Hadrien II et les fausses décrétales*, p. 13, n. 5. Extrait de la *Revue des questions historiques*, avril 1880.

3. « Pendet autem anima ejus (Hadriani II) ex anima avunculi mei, vestri vero Arsenii. » Anastasii *Epistola ad Adonem* (Migne, t. CXXIX, p. 742).

4. Namque eum dixit hujus Eleutherii fratrem esse, quem supra nominaverat Arsenii filium (Hincmari *Annales*, an. 868, p. 477). V. infra, c. I.

5. « Anastase le bibliothécaire, dans une lettre à Adon de Vienne, appelle Arsénius, évêque d'Horta, son oncle. Or Anastase le cardinal était fils de ce même Arsénius. » Op. cit., p. 14.

6. Id enim in ratiocinio meo claudicabat, quia ex altera parte Anastasium presbyterum Arsenii filium esse ex testimonio Hincmari affirmabam, ex altera autem parte Hincmarum de Anastasio bibliothecario testem recusabam.

7. V. ad calcem.

lorum hominum scientissimo, inconsultum esse existimem. Iis igitur quæ Hincmarus de Anastasii familia censuit, standum esse arbitror; quin etiam in hoc extremo libello aliquid de epistola Anastasii ad Adonem disputabo, ex quo fortasse hæc congruere videbuntur[1].

5. Sunt denique qui non consentaneum arbitrentur eumdem virum ab Hadriano II interdictione sacri ministerii punitum fuisse a. 868, et post annum non solum rediisse in dignitatem bibliothecarii, sed etiam legationem ab imperatore Hludowico suscepisse[2]. Quibus difficultatibus hoc rursus opponamus quod jam antea dictum est (dicendum est enim sæpius), nimirum quam sit, in re historica, alienum, certos testes rejicere propter quasdam repugnantias, quæ plerumque ab imperfecta rerum hominumque cognitione oriuntur. Quid enim obstat quominus Hludowicus imperator Anastasio, sententia quidem recens mulctato, sed tum in pristinos honores restituto, legationem dederit, qui olim hunc presbyterum, a Leone IV ter condemnatum atque adhuc anathemati obnoxium, ad Sedem apostolicam producere tentaverat[3]? Aut scienti cuilibet quan-

1. V. Appendicem II. Quod si cui conjectura mea non placebit, rogo eum ut animadvertat non idcirco illud infirmari quod de uno eodemque Anastasio probatum est.

2. Sic D. Ceillier : « Il (Anastase) assista à la huitième et dernière session (du 8e conc. œcum.), qui se tint le 28 février l'an 870, en qualité d'ambassadeur de Louis, empereur des Italiens et des Français. C'est, ce semble, une raison sans réplique de distinguer cet Anastase du prêtre du même nom, cardinal du titre de Saint-Marcel, et aussi bibliothécaire, déposé par le pape Hadrien II dans un concile tenu à Rome en 868; n'étant pas vraisemblable que ce prince eût choisi pour un de ses ambassadeurs un prêtre déposé et excommunié quelque tems auparavant. » *Hist. génér. des aut. sacrés,* t. XIX, p. 414-415.

3. Quam pertinaciter legati Hludowici imperatoris partes Anastasii tum

tum Hludowicus apud Hadrianum II potuerit, quid mirum est quod is pontifex, auctoritate imperatoris interposita, Anastasio gratiam et munus quam primum reddiderit?

VI. Sed hæc postea uberius. Hujus enim disputationis eum finem præcipue constitui, ut planum, pro meis viribus, facerem, quo nexu et vinculo ea omnia quæ ad Anastasii res gestas ingeniumque pertinent, inter se cohæreant, quæ illi prima fortunæ origo, quas ob causas, quanquam plura nefarie patravit, summa tamen gratia fuerit apud quosdam pontifices, magnasque in ecclesia Romana provincias multos annos gesserit; idque mihi proposui non ea mente ut Anastasium bibliothecarium et presbyterum S. Marcelli eosdem esse confirmarem (hoc enim satis constat), sed sperabam multa quæ hactenus, propter tenebras illis rebus obductas, intelligentiæ vim ac notionem fugerant, ex hac disputatione clariora atque conjunctiora fore.

Has autem investigationes, qualescumque sunt, vix ac ne vix quidem opus est ut præmoneam uno tantum studio, veritatis scilicet plenius assequendæ, susceptas fuisse ac productas. Ad hoc quidem operis, fateor simpliciter, cum olim primum accessi, longe aberam ut persuasum haberem Anastasio bibliothecario fuisse ingenium tam multiplex et tortuosum [1] : quod si prævi-

temporis tenuerint, narratum est in *Vita Benedicti III*, c. VIII, X, XV, XVI (Vignoli, t. III, p. 148, 150, 153, 154). Cf. infra, c. II.

1. V. ea quæ olim de Anastasio bibliothecario clementer scribebam in opusculo : *Hadrien II et les fausses décrétales*, p. 28.

dissem, haud scio an a tali incepto refugisset animus. Versari enim in fallacia et improbitate quid injucundius esse potest, cum maxime de viris rebusque agatur quos potissimum laudare pergratum esset? Verum, quemadmodum omnibus historicis, quamdiu labor investigandi instituitur, certissimum illud incumbit officium ut æquo animo conclusiones, quæcumque futuræ illæ sint, exspectent, sic certe, ad quoslibet exitus sincera pervenerit indagatio, ii necesse est ut integro animo ac libero proponantur. Tanti est enim, in rerum narratione, veritas, ut præ ceteris omnibus æstimanda videatur.

DE

ANASTASIO BIBLIOTHECARIO

I

DE ANASTASII ORIGINE, ORTU ATQUE INSTITUTIONE DISPUTATUR

I. Anastasius, non Græcus, ut multi volunt eruditi, sed Romanus fuit. — II. Illustri loco amplissimaque familia ortus est. — III. Quo anno natus sit conjicitur. — IV. Eam scientiam litterarum, præsertim græcarum, qua Anastasius a puero institutus est, perraram fuisse inter Romanos hujus ætatis ac pene singularem ostenditur.

I. Non desunt auctores iidemque eruditissimi, qui Anastasium bibliothecarium existiment Græcum fuisse, magnamque vitæ suæ partem Constantinopoli duxisse[1]. Quibus opinionibus, etsi nihil aliud sint quam conjecturæ recentiorum historicorum[2], tamen necesse est, in primo limine hujus disputationis, occurratur, sive propter auctoritatem eorum qui hæc proposuere, sive ut sit a principio mani-

1. Ita Johannes Mabillon de Anastasio bibliothecario : « Sine dubio .. fuit natione Græcus idemque abbas Sanctæ Mariæ trans Tiberim ac demum bibliothecarius », etc. (*Annales ordinis S. Benedicti*, t. III, p. 35). Haud aliter Antonius Muratori : « Anastasius, ait, origine Græcus, tum græce et latine doctissimus, et Constantinopoli diu versatus » (*Script. rer. Ital.*, t. II, p. v). Nostra etiam ætate Carolus de Smedt in eamdem sententiam abiit (v. *Introductionem generalem ad historiam ecclesiasticam*, p. 222). Hoc autem magis singulare est quod J. B. Pitra cardinalis confinxit, Anastasium nempe apud Græcos mansisse septem annos, non minus (v. Pitra, *Juris ecclesiastici Græcorum historia et monumenta*, t. II, Præf., p. XIX, n. 1).

2. Præter verba quædam Anastasii, quæ Joh. Mabillon perperam in suam partem traxit (v. infra, p. 36), nulla auctoritas, nullum argumentum in hac re allata sunt.

festum, hactenus Anastasium bibliothecarium ne doctissimis] quidem bene cognitum fuisse, atque adeo ejus Vitam multis locis, ne dicam ex integro, reficiendam esse et quasi resarciendam.

1. Itaque Anastasius quam leviter a recentioribus criticis Græcus habeatur, ex hoc primum judicari potest, quod auctorum illis temporibus æqualium nemo Græcos tam vehementer, tam aspere insectatus est quam iste bibliothecarius. Non enim solum Græcorum doctrinam, sed græcam generaliter indolem atque ingenium multis affecit conviciis, eos sine discrimine appellans astutos, dolosos, paratissimos ad omnem fraudem et fallaciam[1]; quæ sane ab homine Græco esse profecta, quantumvis licet ille Latinis partibus faverit, credi nullo pacto potest.

2. Præterea Anastasius ipse se esse Latinum, non Græcum, haud obscure significavit, qui nimirum, si quando in suis scriptis Latinos cum Græcis contulit, hæc verba « nos et Græci » solitus est usurpare. Namque, ut exemplo utar, mentionem faciens de quodam opusculo S. Maximi, quod ipse recens e græco sermone in latinum verterat, ita loquitur : « interpretati sumus ex epistola ejusdem S. Maximi ad Marinum scripta presbyterum circumstantiam de Spiritus sancti processione, ubi frustra causari *contra nos* innuit Græcos, cum *nos* non causam vel principium Filium dicamus Spiritus sancti, ut autumant » ; et paulo inferius de eodem Maximo : « pie interpretans, utriusque linguæ gnaros ad pacem erudiens, dum scilicet *et nos et Græcos*, edo-

1. « Græci... astutia sua, imo fraude communibus sanctionibus abutuntur, et ad suos libitus cuncta quæ sibi visa fuerint, etiam violenter inflectunt » ; et paulo post : « Ne ergo Græcorum suatim astutia, quin potius dolositas etiam circa præsentem synodum agat, hæc me admonendi causa dixisse sufficiat ». Anastasii *Præfatio in Synodum octavam* (Migne, t. CXXIX, p. 22, 24.) Quantopere bibliothecarius ille Romanus Græcos despexerit, ex aliis etiam argumentis patet, quæ in hac disputatione proponam.

cet secundum quiddam procedere et secundum quiddam non procedere Spiritum sanctum ex Filio[1] ».

3. Est etiam in eodem scripto alius locus, qui quidem unico fuit argumento cur Anastasius apud recentiores historicos Græcus haberetur, sed ex quo revera hunc certissime colligimus non solum natum esse inter Latinos, verum etiam latinum sermonem habuisse vernaculum. Postquam enim Anastasius bibliothecarius græca quædam opera, oratu Johannis diaconi, in latinam orationem transtulisset, eam temeritatem esse sibi confessus est, quia, cum ne perfecte quidem linguam latinam cognosceret, quæ ipsi tamen erat patria, multo minus ausus esset aliquid græcum interpretari, nisi adfuisset officium amicitiæ. Hæc enim Anastasius in epistola ad Johannem diaconum scripta : « Industriæ tuæ promiseram ex Græco me tibi sermone quædam in Latinum vecturum eloquium. Dixeras enim et, summa Veritate docente, perhibueras ecclesiasticam te ordiri non posse fidenter historiam, nisi utriusque linguæ quædam rerum gestarum conscripta series ad tuam notitiam devenisset. Quapropter, qui tantæ me imperitiæ recognosco ut *nec ipsius linguæ meæ in qua natus sum,* ne dixerim alienæ, vim penetrare sufficiam, ac per hoc nunquam interpretandi quacunque ratione conamen arripere præsumpsissem, consentiens a magistris reprehendi quam te a prædicta torpore meo texenda historia removere, satisfacere tibi ecce pro viribus maturavi[2]. »

4. Noli autem putare eam linguam, quam Anastasius hoc loco suam sibique nativam declaravit, latinam non esse, sed græcam ; namque in eadem ad Johannem diaconum epistola, si quando Anastasius de latino sermone

1. Anastasii *Epistola ad Johannem diaconum* (Migne, t. CXXIX, p. 560, 561).

2. Anastasii *Epistola ad Johannem diaconum* (Migne, ibid., p. 557).

nominatim loquitur, hanc nuncupat « linguam nostram[1] ». Neque id in serium omnino vertendum est, cum scilicet ille suam linguam patriam non esse sibi bene cognitam significat; quod quidem, pro ejus moribus, magis ad ostentationem modestiæ, quam conscientia quid ei deesset scientiæ, dictum esse arbitror. Is enim bibliothecarius, qui sæpe in rebus gestis ingenii superbi speciem ambitiosique dedit, in scriptis suis modestiam solebat præ se ferre[2], atque excusare ignorantiam suam earum rerum, quas tamen nosse persuasissimum habebat[3]. Quapropter illud minime consectarium est, quod primus olim protulit Johannes Mabillon, Anastasium illum bibliothecarium, ex ipsius confessione,

1. «Notandum, ait, quod nonnulla quæ latine fuerunt edita, Latinitas funditus mole oblivionis obruta deplorasset, nisi ex Græcorum post fonte librorum hæc hausta sitibundo pectore resumpsisset, sicut epistolam beati papæ Felicis in Petrum sententiam proferentem Antiochenum. Quinimo sicut et ipsum quoque Clementem, quem Rufinus *nostræ linguæ* redditum, restitutum et redeuntem ad Gaudentium scribens innuit : et quod latine scriptus fuerit et amissus, rursusque receptus signanter ostendit. » Migne, *ibid.*, p. 562.

2. Solenne fuit Anastasio, cum græcum aliquid verteret, dicere se ad id operis minime aptum, sed jussis paruisse : « Quem (codicem), inquit, sanctitas vestra grato suspiciens animo, mihi ad transferendum in Latinam tradidit dictionem, ad quod opus ego idoneum esse me denegavi, licet in interpretandis ex archivo in Romanum sermonem scripturis præsenti tempore quoddam conamen arripere nitar, et nonnulla jam ad ædificationem plurimorum, et præcipue decessoris vestri hortatu interpretatus edidisse cognoscar. » Anastasii *Præfatio in Synodum octavam* (Migne, t. CXXIX, p. 18). Sic etiam Petro, Gavinensi episcopo, scribebat : « Mihi præcipere voluisti, quod passionem mille quadringentorum octoginta martyrum apud Græcos habitam Latino traderem eloquio. Quod, considerata imperitia scientiolæ meæ, primum quidem hoc aggredi non præsumpsi, deinde vero, paternitati tuæ inobediens apparere refugiens, parui, et, quod jussisti, cœlitus adjutus, explevi, malens penes doctos de inscientia reprehendi, quam apud paternitatem tuam pro inobedientia culpabilis exhiberi.» Anastasii *Prologus in Passionem MCCCCLXXX martyrum* (Migne, t. CXXIX, p. 743).

3. Anastasius ita conscius erat non solum latinam linguam, verum etiam græcam percallere, ut, si qui essent translationum suarum obtrectatores, eos asperius reprehenderet quod ipsi utramque linguam ignorarent. « Scio, inquit, quosdam non scientes utriusque idiomata linguæ interpretationi meæ derogaturos, et me ea passurum quæ quondam ille cœlestis bibliothecæ cultor (S. Hieronymus) a suis æmulis pertulit », etc. Anastasii *Epistola ad Aionem* (Migne, t. CXXIX, p. 730).

rudem fuisse sermonis in quo natus erat, atque ideo græcam ejus originem esse satis manifestam [1]. Etenim, etiamsi ita verum esset, ut hæc Anastasius mente, non fronte dixerit, quæ, rogo, ista est dialectica per quam ex talibus verbis licuit græcam ejus originem inferre, cum revera Anastasius se imperitum linguæ latinæ ita sit professus, ut per argumentum illud, quod vocant *a fortiori*, manifestum faceret, quanto minus linguam græcam haberet cognitam, quippe quæ ipsi non esset patria, sed vere aliena?

5. Ex his jam constat bibliothecarium nostrum in ea regione esse natum in qua sermo latinus tum temporis vernaculus erat. Jam vero ad hæc si addideris Anastasium non solum sacerdotium a summo pontifice accepisse[2], atque presbyterum cardinalem ecclesiæ cuidam Romanæ fuisse præpositum, verum etiam Romæ, ut ipse significavit, puerum vixisse [3], hunc jam non ut Græcum, sed ut Romanum sine dubio habebis; aut, si qua manet adhuc dubitatio, hæc, aut ego fallor, tolletur, cum Anastasium viderimus ex ea familia esse ortum, quæ amplissimum locum inter Romanos tenebat.

II. Cum supra probaverim eam fuisse consuetudinem Hincmari Remensis cum Anastasio bibliothecario et Arsenio, episcopo Hortensi, ut ejus fides, in hac re, nunquam sit abroganda, nisi certior adversetur auctoritas [4], idcirco in iis quæ Annales Hincmariani de ista familia narrant, necessarium duxi acquiescere, ex hoc securior quod, probata illa

1. « In ea (Præfatione ad Johannem diac.) se origine Græcum esse satis declarat, imperitiam confessus vel ejus linguæ, in qua natus erat. » J. Mabillon, *Annales O. S. Benedicti*, t. III, p. 36.

2. V. infra, c. II.

3. Hæc enim de Vita Pseudo-Areopagitæ scripsit : « Passionem sancti hieromartyris Dionysii quondam Areopagitæ, postque Athenarum antistitis, *quam Romæ legi cum puer essem.* » Anastasii *Epistola ad Carolum Calvum* (Migne, t. CXXIX, p. 737).

4. V. Prooemium, p. 11 sqq.

Anastasii origine, causæ multorum eventorum clarius discernuntur. Igitur Anastasius parentem, non avunculum habuit Arsenium, episcopum civitatis Hortanæ, in diœcesi Romana[1], qui, ut erat tum temporis multorum Romanorum consuetudo[2], ab exercendis civilibus orsus erat, uxoremque, antequam in sacros reciperetur ordines, habuerat. Quid autem Arsenius egerit, dum laicus esset, penitus ignoratur; sed postquam in sedem episcopalem evectus est[3], eum summi pontifices, Nicolaus I et Hadrianus II, in consilium sæpe adhibuerunt atque amplissimis honoribus exornarunt, tantaque ejus fuit auctoritas tum apud sedem apostolicam, tum apud imperatorem Italiæ, ut in suffragia Romanorum, cum summus pontifex eligeretur, non semel dominatus sit; vir quidem non mediocris solertiæ, sed ambitione laborans, pecuniæ avidus, ingenii multiplicis et tortuosi. Neque mirum est si Anastasius, tali cretus sanguine, paternæ indolis aliquid in se retulit atque inter quasdam animi dotes magnam astutiam cum ambitione retinuit.

Fuit autem Anastasio germanus frater, Eleutherius, qui inter Romanos proceres eum locum obtinuit et potestatem, ut ipsam filiam Hadriani papæ II in matrimonium ausus

1. V. Hincmari *Annales*, a. 868, ap. Pertz, *SS.*, I, 477. Ibi enim Hincmarus, postquam Arsenium Hortensem episcopum Eleutherii patrem esse dixit, deinde aperta oratione narrat ejusdem Eleutherii fratrem fuisse Anastasium bibliothecarium. « Factione Arsenii, inquit, filius ejus Eleutherius filiam Hadriani papæ ab alio desponsatam dolo decipit...... Isdem vero Eleutherius, consilio ut fertur *fratris sui Anastasii, quem bibliothecarium Romanæ Ecclesiæ in exordio ordinationis suæ Adrianus constituerat...* » Ibid. Huic quidem auctoritati opponitur epistola illa ad Adonem, in qua Anastasius Arsenium avunculum suum dixisset (v. supra in Proœmio, p. 29) : sed jam præmonui ejus epistolæ exemplar non adeo esse certum, ut fidem Hincmari infirmare possit (v. ibid.). Qua de re iterum tractabo in Appendice hujus operis.

2. V. librum meum qui inscribitur : *Le pape Formose* (p. 126-7), in quo de illa consuetudine fusius egi.

3. Arsenius ecclesiæ Hortensi jam tum præerat, cum Benedictus III summus pontifex creatus est, a. 855 (v. infra, c. II).

sit ducere[1]. Hic præter ceteros notam turpitudinis, immane facinus patrando, genti suæ inussit, suorumque scelerum pœnas tandem capite dedit[2].

Ad hanc etiam familiam proxime accedebat Ado, sacerdos Romanus, qui, cum Anastasius, anno 868, in suspicionem homicidii venisset, hunc reum facere gravissimoque lædere testimonio non dubitavit[3].

Denique, si illud probatur quod conjectura sumus assecuti, Anastasius bibliothecarius consobrinum habuit alterum Adonem, archiepiscopum Viennensem, cujus mater, ut opinamur, Arsenii Hortensis soror erat[4]. Quanquam, quod ad bonos mores attinet, tantum abest ut Adonem episcopum cum Anastasio aut cum Arsenio exæquare possimus, ut eum Galli in numerum sanctorum retulerint.

Constat igitur bibliothecarium nostrum non solum ex stirpe Romana, sed etiam illustri loco ortum fuisse.

III. Quo autem tempore et anno Anastasius natus sit nullibi certo præfinitum reperies. Verumtamen quia ex altera parte eum novimus sacerdotio auctum fuisse a. 847[5], ex altera vero per leges ecclesiasticas tum vetari ne quis presbyter sacraretur nisi annum ageret tricesimum[6], hoc primum cogitur Anastasium non natum esse post annum 817. Atque id non multo ante evenerit necesse est;

1. V. Hincmari *Annales*, l. c.
2. V. Hincmari *Annales*, ibid. et infra, c. VI.
3. V. Hincmari *Annales*, ibid., p. 479.
4. V. Appendicem.
5. V. infra, c. II.
6. Cf. *Synodi Neocæsariensis* can. 11; *Syn. Trullanæ* c. 14; *Concilii Agathensis* c. 17; *Conc. Arelatensis III* (alias IV) c. 1; *Conc. Aurelianensis III* c. 6; *Conc. Toletani IV* c. 20. Summi quidem pontifices jam concesserant ut aliquando sacerdotes consecrarentur annos nati viginti et quinque (v. Zachariæ papæ I *Epist. ad Bonifatium episc. Moguntinum*, ap. Jaffé, *Bibliotheca rerum Germanicarum*, t. III, ep. 80, p. 224), sed hoc tantum ecclesiis recens constitutis, propter penuriam clericorum, indulgebatur.

ea enim eruditio et disciplina qua Anastasius instructus erat, argumento est illum a pueris ad ecclesiasticos honores fuisse reservatum, ex quo veri simile est hunc juvenem, cum maxime tantis propinquitatibus subniteretur, ad sacerdotium ut primum ætatem legitimam attigisset evectum fuisse. Quapropter cum Anastasium dicimus in lucem editum esse anno circiter 817, a re ipsa non distamus longissime [1], eo magis quod, si eum fingamus pluribus ante annis natum, vix intelligitur quomodo ejus pater Arsenius ita adhuc viribus anno 865 valuerit, ut tum Gallias Germaniamque sedis apostolicæ legatus peragraret [2].

IV. Inter alias res quæ Anastasio bibliothecario ad augendam fortunam profuerunt, quæque illi, quamvis multa nefarie commiserit, magnam in ecclesia Romana auctoritatem conciliarunt, ea certe fuit litterarum latinarum, ac præcipue græcarum scientia, qua fuerat a pueritia excultus; sed ne quibusdam Anastasius videatur inter æquales non ita doctrina eminuisse, qui ex hac tantum fructum caperet, quo in statu illis temporibus fuerint apud Romanos studia, græca præsertim, non abs re alienum est hic breviter inquirere.

1. Porro una est omnium eruditorum sententia Romanos, septimo seculo octavoque, ab ingenuo litterarum cultu incredibiliter excidisse [3]. Quos inter, ecclesiasticæ doctrinæ

1. Quod idem fere J. Hergenröther visum est, qui quidem inter annos 812 et 817 natum esse Anastasium conjecit. V. *Photius*, t. II, p. 240, n. 86.

2. V. Hincmari *Annales*, a. 865, ibid., p. 467-9; *Fuldenses Annales*, a. 865, ibid., p. 379; Reginonis *Chronicon*, a. 866, ibid., p. 573-5, et infra, c. III.

3. De litterarum statu qui ea ætate apud Romanos fuit, consulendi sunt : W. Giesebrecht, *De litterarum studiis apud Italos primis medii ævi seculis*, Berolini, 1845, p. 5 sqq.; Gregorovius, *Geschichte der Stadt Rom im Mittelalter*, 3a ed., t. II, p. 386 sqq.; Muratori, *Antiquitates Italicæ*, t. III, dissert. XLIII, p. 809 sqq.; Tiraboschi, *Storia della litteratura italiana*, t. III, p. 95 sqq. Quorum scriptorum ultimi duo, quanquam agnoscunt illitteratos fuisse Romanos, tamen Romam id temporis supra omnes alias Italiæ urbes eruditam asserunt (Muratori, ibid., p. 811; Tiraboschi, ibid., p. 95). Sed hoc, ut

parte quadam excepta, omnia ferme studia perierant [1]. Etsi scholas aliquot, in quibus pueri elementa quædam docerentur [2], Romæ tum exstitisse constat, ex his tamen nulla effloruit scientia. Nullus enim ea ætate Romanus scriptor, nullum, si Librum pontificalem additamentis perpetuo auctum [3], aut Librum diurnum id temporis editum [4], omittis, in quavis scientiarum materie tentatum opus [5], eoque

opinor, benignius dictum est quam verius. Si quis enim seculi VIII Romanos æqua lance conferat, non dico cum Neapolitanis aut Siculis, qui nunquam ab antiquitatis cultu omnino defecerant, sed cum Langobardis a barbarie recentibus, hic profecto W. Giesebrecht opinioni assentiri non dubitabit multo verius dicentis : « Romam, hoc tempore, barbarie barbariorem » (op. cit., p. 5).

1. Excipiendæ autem sunt sacrorum musicorum disciplinæ, quibus Romani, in hac ceterarum artium ruina, se maxime dederunt, ut bene cantare atque memoria psalmos tenere summorum pontificum maxima laus evaserit. Hæc enim in *Libro pontificali* referuntur de Leone II : « cantilena ac psalmodia præcipuus » (*Vita Leonis II*, Vignoli, I, 287); de Benedicto II : « sic cantilena a puerili ætate.... exhibuit » (*Vit. Benedicti II*, ibid., p. 292); de Sergio I : « capax in officio cantilenæ » (*Vit. Serg.* I, ibid., p. 302); de Gregorio III : « psalmos omnes per ordinem memoriter retinens » (*Vit. Greg. III*, ibid., t. II, p. 40); de Leone III : « tam in psalterio quam in sacris divinis Scripturis pollens » (*Vit. Leon. III*, ibid., p. 236); de Paschali I : « tam in psalterio quamque in sacris paginis... eruditus » (*Vit. Pasch. I*, ibid., p. 320); de Sergio II : « eum (Leo III) scholæ cantorum ad erudiendum communibus tradidit litteris, et ut mellifluis instrueretur cantilenæ melodiis » (*Vit. Sergii II*, t. III, p. 36-7). Et quidem jam erat, seculo octavo, de illis cantorum scholis præclara fama, ut Stephanus, Neapoleos consul et præsul, Romam juvenes miserit qui in cantu sacro erudirentur. V. Johannis diaconi *Gesta episcoporum Neapolitanorum*, c. XLII, p. 425 (*Monum. German.*, in-4, *Script. rer. Lang.*).

2. Legitur enim in *Vita Hadriani I* : « Dum appropinquasset (Carolus Magnus), fere uno milliario a Romana urbe, direxit (pontifex) universas scholas militiæ una cum patronis simulque et pueris qui ad discendas litteras pergebant. » (Vignoli, II, p. 188-9.)

3. Vide supra p. 2.

4. De *Libro diurno*, inter a. 685 et 741 composito, vide E. de Rozière, *Liber diurnus*, Paris, 1869, p. XXI, sqq.

5. Omitto etiam quatuor libros Gregorianorum Dialogorum, qui de latino idiomate in græcum translati sunt a. 742-752 ; id enim gessit Zacharias papa I (cf. *Vitam Zach. I*, ap. Vign., II, p. 84, et Johannis Diaconi *Vitam S. Gregorii*, l. IV, c. LXXV, ap. Migne, *P. L.*, t. LXXV, p. 225), qui natione Græcus erat (cf. *Vit. Zach.*, p. 58). Gregorovius quidem sententia (*Gesch. d. Stadt Rom*, t. II, p. 389, n. 1), doctori cuidam Romano adscribenda essent *Epigrammata de artibus liberalibus*, s. VIII° confecta (ap. Mai, *Classicorum auctorum*, t. V,

ignorantiæ ventum est ut nemo jam inveniretur in aula summorum pontificum qui latine scriberet[1].

Hæc certe ad finem usque octavi seculi. Postquam vero Franci Italiam in suam potestatem redegerunt, litterarum cultus, qui in Galliis magnopere vigebat, in Romanos parum redundasse visus est. Roma turpe sibi esse existimavit si superaretur a barbaris; ac fortasse timens ne deinceps, adveniente magis ac magis ad sedem apostolicam virorum apprime eruditorum frequentia, doctrinæ famam apud eos amitteret, atque ex altera parte, ab imperatore Hlothario stimulata, e tanta ruina erigere se tandem

p. 420-425, et Dümmler, *Poetarum latinorum medii ævi* t. I, part. II, p. 408-411). At plura reperiuntur indicia, quæ, ut eruditi quidam jam animadverterunt, versus illos in Galliis ab auctore Hiberno conditos esse vehementer suadent (v. *Histoire littéraire de la France*, t. VI, p. 497, et Dümmler, op. cit., p. 394, 408, n. 1). Quantum vero, illis temporibus, musarum amor Romæ torperet, cum significant multa alia, tum ea quæ de epitaphio Ceadwallæ Anglorum regis narrantur (v. Gregorovius, ibid., p. 391, et Mai, op. cit., p. XLIV), atque illud incompositum carmen, quod Hadriani I nomine ad Carolum Magnum missum est (ap. Dümmler, op. cit., p. 90-91).

1. Si quis nosse cupiat qua latinitate, seculo VIII, curia Romana uteretur, *Codicem Carolinum*, inter alia, perlegat, in quo sexcentos hujusmodi colliget flores : « offerta, multa exercita » (v. *Epistolam Gregorii III*, Jaffé, *Bibl. rer. Germ*, t. IV, p. 14, 15), « conversetis » (*Epist. Zachariæ I*, p. 19), « abstollatis, præstate » (*Epist. Stephani II*, p. 42, 58), « adferuit, ipsud, de mano, missuum, conferitis, infertas, offeruimus, silesimus, adgreduit » (*Epist. Pauli I*, p. 73, 87, 88, 89, 92, 93, 94, 128, 132), « conferta, prestitutum, experectus » (*Epist. Constantini II*, p. 150), « satisfacti sumus, pulchrissimas » (*Epist. Stephani III*, p. 156, 159), « nullo (dativ.), abstulta, sinissemus, marmores, spiritalem armam, recordavit, audeunt, pro vestros nobilissimos proles, per toto orbe, ad vestris obtutibus, cum nefandissimi Græci, de eumdem patrimonium, inter monachos et abbatibus, in eodem sanctuarium, venerunt usque in loco, ad nos emisit fidelissimis missis » (*Epist. Hadriani I*, p. 229, 200, 233, 268, 271, 277, 299, 221, 228, 233, 226, 229, 213, 433, 231, 256), « suscepti (p. suscipientes), illic dieximus, cum missum nostrum, jubeamini (p. jubete), duas naves exierunt vacuæ » (*Epist. Leonis III*, p. 311, 313, 314, 326). Quæ esset, Zachariæ I temporibus, Romanorum imperitia in arte scribendi, testis etiam est epistola quædam Theophylacti, archidiaconi ecclesiæ Romanæ, ad Bonifatium arch. Mogunt. missa (ap. Jaffé, *Bibliotheca rerum Germanicarum*, t. III, p. 198-9). Denique consuli possunt, in *Libro pontificali*, Vitæ summorum pontificum seculo VIII compositæ (Vignoli, t. II).

incepit. Eugenius enim papa II, eodem maxime tempore quo Anastasius educabatur, celebrem illum canonem promulgaverat, per quem præcipiebatur ut « in universis episcopiis subjectisque plebibus et aliis locis in quibus necessitas occurrebat, magistri et doctores constituerentur, qui studia litterarum liberaliumque artium habentes, dogmata assidue docerent[1] ».

Atque Romanos, ab ineunte seculo nono, magis excultos fuisse documento sunt et Vitæ Romanorum pontificum, quorum jam auctores minus barbare scribebant[2], et apostolicæ litteræ a curia Romana profectæ[3]. Verumtamen multum abfuit ut Romani eamdem scientiam assequerentur ad quam vicini populi pervenerant. Dum enim Gallia Germaniaque multis abundarent auctoribus[4], qui omnia fere litterarum studia exercerent, philosophiam, historiam, theologiam, poesim, interea Roma, humanitatis olim domicilium et caput, vix gloriari poterat tres aut quatuor scriptores eosdemque scribendi genus non ita doctum secutos[5];

1. Pertz, *Leges*, t. II b, p. 17, c. XXXIII; cf. ibid., p. 13, c. V, VI; p. 15, c. VII. De illo canone v. Giesebrecht, *De litterarum studiis apud Italos*, p. 11. Quem etiam revocavit Leo papa IV. V. Coleti, *Sacrosancta concilia*, t. IX, p. 1126 et 1132.

2. V. *Vitas Sergii II, Leonis IV, Benedicti III, Nicolai I et Hadriani II* (Vignoli, t. III).

3. E. g., epistolæ Leonis IV, quæ, quanquam non emendate omnino scriptæ sint, tamen a barbarie superioris seculi longius absunt (v. Migne, t. CXV, p. 655 sqq.; *Neues Archiv*, t. V, p. 376 sqq.). De epistolis Nicolai I et Hadriani II agam in hoc opere.

4. De quibus commemorare satis erit Alcuinum, Theodulphum Aurel., Angilbertum Corb., Florum Lugd., Prudentium Trec., Rodulphum Fuld., Johannem Scotum, Walafridum Strabonem, Hrabanum Maurum, Ratramnum, Paschasium Radbertum, Lupum Ferrar., Adonem Vienn., Hincmarum, etc.

5. Tres tantum auctores Romanos novimus qui libros, nono seculo, in lucem ediderint : Gaudericum episcopum Veliternensem, qui scripsit *Vitam cum translatione S. Clementis* (v. Mabillon, *Museum Italicum*, t. I b, p. 78, 79); Johannem Diaconum, *S. Gregorii Magni Vitæ* auctorem (ap. Migne, *P. L.*, t. LXXV); quibus annumerari potest Formosus episc. Portuensis, cui olim vindicabam orationem quamdam a. 869 habitam (v. *Hadrien II et les fausses*

ut, cum exorta est, Photii causa, celeberrima illa Latinorum et Græcorum controversia, Franci in Græcos multa atque erudite satis scripserint[1], Romani vero nihil.

Itaque, in hac doctorum virorum egestate, Anastasius bibliothecarius, quamvis ejus eruditio non longissime pateret, magnam tamen auctoritatem facile inter æquales obtinuit. Verum nihil ei melius evenit quam quod græcæ litteræ, quibus ipse excultus fuerat, ab aliis Romanis tum temporis neglectæ jacebant.

2. Profecto inter eruditos constat Romanis, a seculo etiam septimo, datam esse studendi græcæ linguæ facultatem, eisque quasi fontes perennes patuisse, ex quibus, si animus adfuisset, græcarum litterarum notitiam haurire potuerunt. Namque, ut omittamus ea tempora, cum Italia

décrétales, p. 39-48). De Gauderico in quæstione versatur utrum locus ille, in quo narratur qua ratione fuerit corpus S. Clementis Romam a Cyrillo et Methodio allatum, quemque Bollandiani typis primum mandarunt (v. *Acta Sanctorum*, Mart., p. 15), ad eam Vitam Clementis pertineat, quam quidem constat inter omnes a Gauderico fuisse compositam, an potius hic locus, quemadmodum significavit Jacobus a Voragine (*Legendæ Sanctorum*, mens. nov., p. 225, Venetiis, a. 1516), Leoni Ostiensi adscribendus sit. Hanc *Translationem* quam vocant, episcopo Veliternensi adjudicavit J. Martinov idque multa opera probare nuperrime adortus est (v. *La légende italique des SS. Cyrille et Méthode, Revue des questions historiques*, juillet 1884, p. 110 sqq.), sed ille mihi concidisse in mala causa videtur. Quod autem ad Johannem diaconum attinet, sunt qui eum arbitrentur (e. g. editores Benedictini operum S. Gregorii, ap. Migne, *P. L.*, t. LXXV, p. 38, 39; D. Ceillier, *Histoire générale des auteurs sacrés*, t. XIX, p. 425; Bähr, *Geschichte der römischen Literatur*, suppl., t. II, p. 435) non Romæ fuisse eruditum, sed antequam Romanæ ecclesiæ diaconus inserviret, in Casinensi cœnobio vixisse monachum : quæ opinatio, non solum prolata est sine ullo argumento aut probabili conjectura, verum etiam male concordat cum ipsius Johannis testimonio, qui, in *Vita S. Gregorii*, sermonem agens de consuetudine quadam Romana, hanc, cum esset puer, comperisse oculis profitetur : « dum adhuc pubesceremus, ait, oculis nostris conspeximus » (lib. IV, c. L, ap. Migne, *P. L.*, t. LXXV, p. 207).

1. E quibus fuere Ratramnus Corbeiensis monachus (v. *Contra Græcorum opposita*, Migne, t. CXXI, p. 225 sqq.), Æneas Parisiensis episc. (v. *Librum contra Græcos*, Migne, ibid., p. 685 sqq.), et Odo Bellovacensis episc. (v. Flodoardi *Hist. Rem. eccl.*, l. III, c. XXIII, ap. Pertz, *Mon. Germ.*, SS., t. XIII, p. 529-530), cujus opus jam non exstat.

ab imperatoribus Byzantinis regeretur, tantaque Græcorum multitudo in Urbem convenirent, ut ex eis efficeretur schola illa militaris quæ ad Diaconiam S. Mariæ in *Cosmedin* congregari solebat[1], postquam, octavo seculo exeunte, disrupta sunt inter Italiam et imperium Byzantinum omnia vincula, Romana civitas ne Græcis quidem colonis caruerat. Romam enim ab Oriente migraverant multi monachi, qui, cum exarsisset Iconomachorum furor, exsulatum potius abierant quam cultu imaginum cessarent. Quibus Paulus papa I monasterium in propriis exstructum domibus, sanctorumque Stephani et Sylvestri nomine Dei numini dicatum, colendum concesserat[2]. Neque dubium est quin, inter illos monachos, optimarum artium studium viguerit; nam, cum Paulus papa I libros colligendos, quos ad Pippinum Francorum regem mitteret, curavit, nihil fere latine scriptum inventum est, plura vero reperta sunt græca opera, quæ ad diversas scientias pertinebant[3].

1. De *Schola Græcorum* cf. Platner, *Beschreibung der Stadt Rom*, t. III, part. I, p. 279 sqq., 671; Gregorovius, *Gesch. d. Stadt Rom*, t. II, p. 403. Habetur autem dubitatio an schola Græcorum per totum seculum octavum Romæ exstiterit; ea enim non apparet inter alias scholas quæ Carolo Magno obviam processerunt (cf. *Vitam Leonis III*, Vign. II, p. 250). Sed, quidquid sit de seculo octavo, eamdem scholam, seculo nono ad finem vergente, restitutam esse certum videtur. Namque, Formosi papæ temporibus, Græci Arnulfo regi obviam fuisse dicuntur ab annalista Fuldensi : «Omnis ergo senatus Romanorum vel Græcorum scola cum vexillis et crucibus ad pontem Malvium venientes» (Pertz, *SS.*, t. I, p. 411).

2. Cf. *Vitam Pauli I* (Vign., t. II, p. 129) ; Pauli I *Epistolam ad Johannem abbatem* (Migne, LXXXIX, 1190-6) ; *Vitam Nicolai I*, c. XIV (Vign., III, 178). Hoc autem monasterium cur deinde S. Dionysii Areopagitæ vocatum sit non sine probabilitate conjectavit Platner (*Beschreibung der Stadt Rom*, t. II, part. II, p. 203).

3. Scribebat enim ad Pippinum regem Paulus I (a. circ. 758-763) : «Direximus itaque excellentissime præcellentiæ vestræ et libros, quantos reperire potuimus : id est antiphonale et responsale, insimul artem gramaticam, Aristolis (Aristotelis), Dionisii Ariopagitis, geometricam, orthografiam, grammaticam, omnes Greco eloquio scriptas, nec non et horologium nocturnum.» Ap. Jaffé, *Bibliotheca rerum Germanicarum*, t. IV, p. 101-102. Ex his tamen colligere non ausim nullum latinæ antiquitatis opus, Romæ, temporibus illis, fuisse. Aderant, ut

Atque id fortasse multo verius de tempore illo dicendum est quo Anastasius pubescebat, paucis nimirum annis postquam, vetere de imaginibus renascente inter Græcos discordia[1], Romam exire iterum cœperunt orthodoxi monachi, iidemque, ut videtur, doctrina clariores. Ita enim exules Græci ad Urbem affluebant ut tria alia monasteria summi pontifices eis concesserint[2]. Quod vero ad doctrinam spectat, tanta de Græcis monachis fama erat inter Romanos

veri simile est, nonnulla ejus generis, sed Romanos, utpote de his parum sollicitos, latuerunt. Etenim, seculo nono, Lupus, abbas Ferrariensis, Benedictum papam III rogavit ut codices aliquot Romanos sibi commodaret, nimirum: Tullium de oratore, duodecim libros institutionum oratoriarum Quintiliani, qui uno nec ingenti volumine continebantur; Donati commentarium in Terentium et commentarios beati Hieronymi in Jeremiam in codice venerandæ veritatis exscriptos. V. Lupi abbatis Ferrariensis *Epistolam ad Dominum Apostolicum* (Benedictum III), ap. Migne, t. CXIX, p. 579. Non me quidem fallit Lupum Ferrariensem leniter a Gregorovius irrideri, quod eos libros Romæ asservatos fuisse sibi ingenue finxerit (v. Gregorovius, *Gesch. d. Stadt Rom*, t. III, p. 143). At vero Germanus scriptor, si hanc epistolam attentius perlegisset, atque in ea observasset abbatem Ferrariensem non solum certos auctores a pontifice Romano postulasse, sed etiam eos codices quibus illi continebantur accurate descripsisse, minime, ut opinor, dubitasset quin Lupus eos solum libros sibi commodandos flagitaverit, quos ipse suis oculis tunc Romæ viderat, cum legatione quadam, tempore Leonis IV, fungeretur. De hac Lupi legatione vide eamdem epistolam (ibid., p. 578 B). Neque abs re est hic appellare Johannem papam VIII, qui in epistola ad Hludowicum imperatorem missa Ciceronem citavit (ap. Deusdedit, *Collectio canonum*, p. 417, can. 103), in alia vero ad episcopos regni Hludowici scripta, Terentium (Migne, CXXVI, ep. 22, p. 670 A).

1. Regnante videlicet imperatore Leone V, a. 813-820; cf. Muralt, *Chronographie byzantine*, t. I, p. 401 sqq.

2. I. e. cœnobium Sanctæ Praxedis a Paschali papa I Græcis concessum (v. *Vitam Paschalis I*, Vign., II, p. 327), monasterium SS. Stephani et Cassiani, in quo « sanctæ conversationis plures Græcos genere instituit monachos » Leo papa IV (v. *Vitam Leonis IV*, c. XXX, Vign., III, p. 86). Quo vero tempore et a quo pontifice Gregorianum ad Clivum Scauri cœnobium Græcis commissum sit, non liquet. Id, plurimorum sententia, Stephani II aut Pauli I temporibus factum fuerit (v. Mabillon, *Annales O. S. Benedicti*, t. II, p. 181, et editores opp. S. Gregorii, ap. Migne, LXXV, 256). At mera conjectura est. Quod si vero in conjecturam ire necesse erit, rem libentius Gregorio IV adscribam. (V. Johannis diaconi *Vitam S. Gregorii*, lib. IV, c. LXXX-LXXXV, ap. Migne, t. LXXV, p. 228-231.)

ut auctor *Vitæ Sergii II* eos appellaverit doctissimos [1] : quorum nempe unus erat Methodius presbyter [2], ad sedem deinceps Byzantinam evectus sacrisque ornatus infulis [3], quique, Romæ dum viveret, Pseudo-Areopagitæ res gestas græce conscripsit [4].

Verum enim vero erraret maxime, mea quidem sententia, qui, ex hac perpetua colonorum atque exulum Græcorum præsentia, græci sermonis studium atque scientiam inferret in ipsos Romanos multum dimanasse. Sexto enim seculo, quanquam alia studia nondum omnia jacerent, tamen græcarum litterarum cura ita Romæ relicta est, ut Gregorius Magnus, vir suæ ætatis facile eruditissimus, græcæ linguæ rudis omnino et expers fuerit, quemadmodum id ipse in epistola quadam ad Eusebium, episcopum Cæsariensem, scripta, his verbis confessus est : « Nam nos, ait, nec græce novimus, nec aliquod opus græce aliquando conscripsimus [5]. » Quid igitur dicam de septimo atque octavo seculo, cum ipsa latinitas penitus exstincta videretur? In hac quidem barbarie, præter papas Græci generis [6], duobus tantum summis pontificibus, Leoni II et Gregorio III, hoc laudi in Libro pontificali datum est, quod litteris cum latinis, tum

1. « ... Doctissimos Græcos imperatorias audes decantantes cum dulcisonis earumdem laudum vocibus ipsum regem gloriose susceperunt. » V. *Vitam Sergii II*, c. IX, Vign., III, 42.

2. Romam, Leone papa III, circa annum 815, Methodius venit bique degit ad a. circiter 821. V. S. *Methodii Vitam*, auctore coævo, c. IV, V, ap. Migne, *P. G.*, t. C, p. 1248; S. Theodori Studitæ *Epist. ad Epiphanium*, ap. Migne, *P. G.*, t. XCIX, ep. 35, p. 1209; Nicolai papæ I *Epistolam ad Michaelem imp.*, ap. Migne, *P. L.*, t. CXIX, p. 946 D.

3. V. Gams, *Series episcoporum*, p. 439.

4. « Hujus autem passionis textum beatus Methodius... edidit, pauca de multis præcedentibus scriptis excerpens. » V. Anastasii *Epistolam ad Carolum*, ap. Migne, t. CXXIX, p. 738.

5. V. Gregorii M. epistólam a Johanne Diacono in sua Gregorii M. Vita citatam, l. IV, c. LXXXI, ap. Migne, t. LXXV, p. 227-8.

6. Hi sunt Theodorus (Vignoli, I, 253), Johannes V (ibid., p. 315), Johannes VI (ibid., p. 317), Zacharias (ibid., II, p. 58).

græcis studuissent; at ille Siculus, hic Syrus erat[1]; neque quisquam eorum paparum qui ex clero Romano ad sedem apostolicam evecti sunt eadem laude in Annalibus pontificiis exornatur.

Non Romanus neque Romæ eruditus erat Hadrianus ille, quem, ut legimus apud Bedam, græcæ pariter et latinæ linguæ peritissimum, Vitalianus papa in Britanniam misit[2]. Is enim, natione Afer, antequam Romam a summo pontifice arcesseretur, monasterium Niridanum prope Neapolim regebat[3]. Quod autem Hadrianus papa I duos homines, qui lingua græca fortasse uterentur, ex urbe Roma ad synodum œcumenicam septimam legavit[4], non idcirco sententia nostra infirmari videtur; nam ex his legatis unus saltem Græcus erat[5]; atque in ecclesia Romana tanta erat, temporibus illis, penuria eorum qui utramque linguam penitus haberent cognitam, ut Acta hujus concilii nemo ex græco sermone in latinum potuerit apte convertere. Ille enim qui hanc curam susceperat, sive quia esset Græcus vocum latinarum infrequens, sive propter imperitiam græci sermonis quæ homini Romano fuisset, eam translationem confecit, quæ, teste ipso Anastasio, vix ac ne vix quidem intelligi possit[6]. Sed hæc ante Anastasii tempora;

1. « Leo junior natione Siculus, græca latinaque lingua eruditus. » Cf. *Vitam Leonis II* (Vignoli, t. I, p. 287). « Gregorius, natione Syrus, ... græca latinaque lingua eruditus. » Cf. *Vitam Gregorii III* (Vignoli, II, p. 39).

2. Beda, *Historia Anglorum*, l. IV, c. II. Cf. *Vitam Vitaliani papæ* (Vignoli, t. I, p. 269-270).

3. Beda, ibid.

4. I. e. Petrus, archipresbyter ecclesiæ Romanæ, et Petrus, hegumenus monasterii S. Sabæ (v. *Vitam Hadriani I*, Vignoli, t. II, p. 229), qui, in concilio Nicæno II, non egisse per interpretem videntur. V. *Acta concilii Nicæni II*, act. II (Coleti, t. VIII, p. 766, etc.).

5. Græcum erat monasterium illud S. Sabæ quod Petrus administrabat, V. Mabillon, *Annales O. S. B.*, t. II, p. 289.

6. « Interpres pene per singula, relicto utriusque linguæ idiomate, adeo fuerit verbum e verbo secutus, ut quid in eadem editione intelligatur, aut vix aut

nunc autem illud videamus, quod nostra maxime intersit, num scilicet æquales bibliothecarii nostri, qui quidem latinis litteris paulo eruditiores erant, græcarum etiam litterarum meliorem notitiam ac ætas superior habuerint.

Vulgo, inter seculi noni Romanos, Johannes diaconus atque Ursus subdiaconus, Nicolai papæ I medicus, citantur tanquam græci sermonis periti[1] : quo nihil incautius dici potuit. Ad priorem enim quod attinet, est certum testimonium ex quo eum constet græcæ linguæ prorsus expertem fuisse : qui nimirum, cum græcis aliquot operibus uti in suis componendis libris cuperet, ea legere non potuerit, antequam essent ab Anastasio bibliothecario in latinum sermonem translata[2].

Atque idem omnino dicendum est de Urso, Nicolai I medico, quem recentiores critici falso existimant Vitam S. Basilii apocrypham e græco sermone in latinum convertisse. Errorem autem præbuit quod in paucis codicibus manuscriptis huic Vitæ S. Basilii latine redditæ Prologus quidam præscriptus est[3], cujus auctor se Ursum nominari eamque translationem jussu Gregorii, ducis Neapolitani, adortum esse declarat[4]. Quis sit Ursus ille, qui hunc

nunquam possit animadverti », etc. Anastasii *Præfatio in Synodum VII* (Migne, t. CXXIX, p. 195).

1. V. Gregorovius, *Geschichte der Stadt Rom*, t. III, p. 151 ; Hergenröther, *Photius*, t. II, p. 233-4.

2. V. Anastasii *Epist. ad Johannem levitam*, ap. Migne, CXXIX, p. 557-8, et supra, p. 34.

3. Quem primum Bollandiani ex codice Casinensi typis mandarunt (Junii, d. 14, t. II, et ap. Migne, *P. G.*, t. XXIX, p. CCXCIII). Alium etiam Prologum Rosweydus ex codice quodam bibliothecæ Vallicellanæ edidit, quem ab Urso Romano compositum opinatus est (v. ap. Migne, *P. L*, t. LXXIII, p. 293); sed hoc scriptum, ut jam animadvertit Joh. Mabillon (*Museum Italicum*, t. I, part. II, p. 81), nihil aliud est quam Anastasii bibliothecarii in eamdem S. Basilii Vitam Præfatio. Cf. Anastasii *Præfationem* (*Museum Italicum*, ibid., p. 82).

4. « Cujus (Basilii) vitam et præclara miracula, cogis me Ursum, omnium

Prologum confecerit, quæri potest; at certe non idem est atque Ursus, Romanus medicus. Mitto quam sit parum veri simile ut dux Neapoleos, cum maxime eo tempore multi viri linguæ græcæ latinæque periti in hac urbe degerent [1], ad scientiam Romani cujusdam confugerit; at tantum abest ut Ursus medicus Vitam S. Basilii transtulerit de græco, ut ipse Anastasio fuerit ejusdem Vitæ voce latina convertendæ suasor et auctor, quemadmodum in eo Prologo scriptum est quem item bibliothecarius in fronte libelli sui præposuit [2]. Quis igitur credat hunc Ursum, postquam Vitam S. Basilii ab Anastasio translatam acceperat, ad eamdem Marte proprio transferendam mox esse aggressum, remque ipsius oratu a viro linguæ græcæ

christianorum ultimum infimumque sacerdotem, o Gregori clarissime, filius atque nepos, frater patruusque ducum, nec non et loci servator Neapoleos, quo de attica in latinam linguam transferam. » (Migne, *P. G.*, t. XXIX, p. CCXCIV.) Gregorius I, de quo hic agitur, civitati Neapolitanæ præfuit ab a. 862 ad a. 867. V. A. di Meo, *Apparato cronologico agli annali del regno di Napoli*, p. 171-2.

1. Ut dux ipse Gregorius, atque ejus parens Sergius I, utraque lingua essent eruditi : « Litteris tam græcis quam latinis favorabiliter eruditus est, ita ut si casu librum græcis exaratum elementis sumeret, latine hunc inoffense cursim legeret et latinos libros in græco expedite sermone rimaret. » Hæc de Sergio, in *Vita S. Athanasii Neapol.;* sic autem de Gregorio : « Vir per omnia strenuus, et in græca latinaque lingua peritissimus. » (*Monum. Germ.*, in-4, *Script. rer. Langob.*, p. 441 ; Muratori, *Script. rer. Ital.*, t. II, part. II, p. 1055.)

2. Anastasianus Prologus, quem Joh. Mabillon primum ex codice Vaticano edidit (*Mus. Italicum*, t. I, p. 81), inscribitur in hunc modum : « Urso venerabili Subdiacono sanctæ Romanæ Ecclesiæ seu Medico et Domestico domini nostri sacratissimi Papæ Nicolai Anastasius exiguus abbas. etc. Beati Basilii Cæsareæ Cappadociæ Præsulis vitam me in latinam vertisse dictionem *secundum postulationem tuam* cognosce. » (*Mus. Ital.*, ibid., p. 82.) Neque objicias Ursum eamdem curam potuisse ante Anastasium suscipere; namque bibliothecarius, in suo Prologo, aperte significat Vitam S. Basilii, antequam ipse eam interpretaretur, non inventam fuisse Romæ latine scriptam : « denique licet ejus (Basilii) quædam salutifera scripta sermo latinus haberet, vita tamen illius quam sit admirabilis hactenus ignoravit »; et paulo post : « Verum diligenter inquirens, nihil scriptum de vita hujus sancti apud Latinos inveni, nisi duo miraculorum ejusdem. » (*Mus. Ital.*, ibid.)

scientissimo jam perfectam de integro fecisse[1]? Adde quod ex eodem Anastasii scripto colligi potest Ursum medicum in græcis litteris fuisse peregrinum, atque ob eam causam bibliothecarium rogasse ut Vitam S. Basilii in latinum verteret, quia ipse eam græce non poterat intelligere[2]. Denique, cum Ursus Romanus ex ordine subdiaconorum fuerit[3], alter contra se infimum sacerdotem nuncupavit[4]; nec etiam credibile est eum medicum quem, Nicolai temporibus, virum gravem fuisse ex ejus officio judicari potest, quemque tum revera Anastasius « venerandum » appellabat, ipsum deinde, cum Vitam S. Basilii transferret, se juvenem dixisse lectoresque orasse ut ætati suæ puerili veniam darent[5]. Quapropter, si quis sibi persuadeat Ursum quemdam exstitisse, qui Vitam S. Basilii de græco in latinum converterit, quod ego valde dubito[6], hunc saltem

1. Et id nondum mortuo Nicolao I, siquidem Ursi Prologus Gregorio duci inscribitur, qui a. 867 supremum diem obiit. V. di Meo, op. cit., p. 172.

2. Sic enim Ursum alloquitur Anastasius : « Et ne forte dicas illum (Basilium) docuisse et non fecisse; *jam nunc scies* quia fecit quod docuit, et *de cetero* habebis quod imiteris. » Anastasii *Prologus ad Ursum medicum* (*Mus. Ital.*, ibid.).

3. V. Anastasii *Prologum ad Ursum medicum* (*Mus. Ital.*, l. c., et supra, p. 50, n. 2).

4. V. Pseudo-Ursi *Prologum* (Migne, l. c., et supra, p. 49, n. 4).

5. « Humiliter ergo veniam a lectoribus postulamus ut... ignoscant ætati puerili fragilitatique humanæ. » Pseudo-Ursi *Prologus* (Migne, *P. G.*, t. XXIX, p. CCXCIV).

6. Etenim Johanni Mabillon assentior, qui existimavit Vitam illam S. Basilii, quæ Urso vulgo tribuitur, nihil aliud esse quam Anastasii bibliothecarii interpretationem (*Mus. Italicum*, l. c., p. 81). Ursi vero Prologum, quem quidem J. Mabillon non noverat, subditicium esse persuasum habeo; ad quem conficiendum falsarius quidam eo ipso Anastasii Prologo, inter alia, usus est. Nam, præter nomen Ursi, quem iste ab Anastasiano Prologo sumpsisse videtur, Nicolaum etiam induxit in sua commenta, atque, quemadmodum Ursum medicum et subdiaconum in infimum sacerdotem mutavit, ita etiam Nicolaus papa apud illum habetur ut præsul Græcorum et philosophus : « Perreximus, ait, ad dominum Nicolaum, præsulem peritissimum Græcorum atque philosophum » (Migne, *P. G.*, t. XXIX, p. CCXCIV). Quod autem ille se ait a Gregorio duce incitatum fuisse ad scribendum, id vehementer suspicor sumptum de Vita

agnoscat non esse Ursum, medicum Romanum, sed alium, nescio quem, qui in regione Neapolitana fortasse vixerit.

Quæ igitur exempla a recentioribus criticis allata sunt, ut ex eis probaretur quantum inter Romanos græcæ litteræ, nono seculo, floruerint, non solum pro ea causa nihil agunt, sed in contrariam sententiam conducunt, cum præsertim Johannes diaconus, quem jam linguæ græcæ expertem fuisse constat, in illis fuerit paucissimis Romanis, qui, cum Anastasio bibliothecario, famam aliquam doctrinæ obtinuerint.

Verum id etiam magis patebit ex iis quæ sequuntur. Namque ab anno 860 ad annum 879 tres a summis pontificibus legationes, ad Photianam litem dirimendam, Constantinopolim missæ sunt, quibus sane primores ecclesiæ Romanæ præerant, Rhadoaldus nimirum et Zacharias, Portuensis ille, hic Anagninus episcopus, in priore quidem legatione[1]; in altera vero Donatus et Stephanus, hic Nepesinus, ille Ostiensis episcopus, atque Marinus diaconus[2] cui in posterum summi antistitis dignitatem novimus obtigisse[3]; ac demum in tertia, episcopi Ostiensis et

S. Theodori martyris a Bonito, ecclesiæ Neapolitanæ subdiacono, conscripta a. circiter 872, ut videre est ex sequente collatione :

BONITUS	PSEUDO-URSUS
Gregorius *Parthenopensis loci servator* non solum industriam, verum etiam originem trahens, videlicet *nepos ac proles, frater ac patruus extans Parthenopensium ducum*..... Quapropter me Bonitum indignum subdiaconum Eccles. Neap. compulit quatenus... (Cf Capacii *Hist. Neapolit.*, t. I, p. 129.)	Cogis me Ursum, omnium christianorum ultimum infimumque sacerdotem, o Gregori clarissime, *filius atque nepos, frater patruusque ducum, nec non et loci servator Neapoleos*. (Migne, *P. G.*, t. XXIX, p. CCXCIV.)

1. V. *Vitam Nicolai I*, c. XXXIX (Vign., III, 193). Cf. A. Lapôtre, *Le pape Formose*, p. 121 sqq.

2. V. *Vitam Nicolai I*, c. LXX, p. 211; *Vitam Hadriani II*, c. XXXIV sqq., p. 238 sqq.

3. V. A. Lapôtre, *Le pape Formose*, p. 177 sqq.

Anconitanus, Eugenius et Paulus, cum Petro cardinali presbytero[1]. Porro horum legatorum nemo ita linguam græcam didicerat ut græce aut loqui aut audire potuerit.

Etenim ab ipso Anastasio bibliothecario accepimus ne unum quidem verbum ex græcis scriptis, quæ Constantinopoli recitata sunt, a Rhadoaldo et Zacharia intellectum fuisse[2]. Donatus vero ejusque socii, teste eodem Anastasio, verba ad summum aliquot, eaque non satis plane ceperunt, in colloquio græco quod Byzantii, anno 870, cum Orientalibus legatis habuerunt : totam vero sermonis rationem mente percipere prorsus nequierant[3]. Denique ad Petrum quod spectat ejusque comites, ex Actis synodi Byzantinæ a. 879 habitæ, cerni potest hos sedis apostolicæ legatos non nisi per interpretem in concilio egisse[4].

Quæret aliquis unde Anastasius, dum Romani plerique a græcarum litterarum studiis cessarent, tamen illarum sibi potuerit tantam scientiam comparare. Ego quidem vehementer suspicor eum juvenem a Græcis monachis esse institutum, atque ex hoc fonte singularem quamdam, ut

1. V. *Johannis VIII epistolas*, ap. Migne, t. CXXVI, ep. 246, 247, p. 867-8.

2. « Misit (Nicolaus I) Constantinopolim missos, Radoaldum scilicet Portuensem et Zachariam Anagninum episcopos, atque litteras... Pervenientibus igitur missis apostolicæ sedis Constantinopolim, et concilio congregato, Græci epistolas suscipientes, quidquid in eis erat pro Ignatio vel contra Photium inverterunt, subtraxerunt, et in concilio legi minime pertulerunt : missis Romanis quid legerent, quidve non legerent, nullatenus intelligentibus... » V. Anastasii *Præfat. in Synodum VIII*, ap. Migne, *P. L.*, t. CXXIX, p. 12.

3. « Factum est ut quidquid Romani assererent nec Orientis loci servatores nec Vulgares missi intelligerent; et rursus quidquid Orientales dicerent, nec Romani loci servatores nec Vulgarorum missi cognoscerent. Dum videlicet nullus adesset nisi unus imperatoris interpres, qui nec Romanorum nec Orientalium loci servatorum voces aliter audebat edere, nisi ut jam imperator ad subversionem Vulgarorum imperarat. » Ibid., p. 21.

4. Πέτρος ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ καρδινάλις τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου, διὰ Λέοντος βασιλικοῦ πρωτοσπαθαρίου καὶ ἑρμηνέως διελάλεσεν οὕτως. V. *Acta concilii Constant. a.* 879 *habiti*, sess. II, ap. Coleti, t. XI, p. 360.

temporibus illis, eruditionem hausisse. Verumtamen, cum nihil argumenti in promptu habeam, rem profligare non ausim.

Ut ut sit, hæc mihi jam obtinuisse videor ad quæ tota hujus capitis ratio spectabat, quæque hactenus multis tenebris circumfusa erant, scilicet Anastasium bibliothecarium Arsenio parente nobilissimaque Romanorum familia ortum esse, atque eum fuisse non dico solum omnium Romanorum[1], sed pene unum ex primoribus cleri Romani qui linguam græcam percalluerit. Quæ duo necessarium duxi fusius proponere, ut ex eis jam melius intelligatur quæ fuerit Anastasianæ fortunæ origo, quas ob causas is bibliothecarius magnam auctoritatem in ecclesia Romana habuerit.

1. Namque ipse Anastasius alium quemdam (fueritne ille Græcus an Latinus, nescio), in Actis S. Martini papæ latine vertendis, adjutorem sibi assumpsisse confessus est : « Verum, ait, hujus operis media in aliis implicitus ipse non transtuli, sed ab alio petitu meo interpretata, postmodum in quibusdam correxi. » Anastasii *Epistola ad Martinum episc. Narniensem* (Migne, t. CXXIX, p. 585). Atque in Vita Hadriani II, mentio est virorum utraque lingua eruditorum, quibus Acta synodi Photianæ legenda tradita sint (Vignoli, t. III, p. 237); quanquam hic præcipue agi de Anastasio nostro veri simile videatur.

II

ANASTASIANI INGENII PRIMA FACINORA

I. Anastasius, ut primum presbyter S. Marcelli cardinalis a Leone IV constituitur, obedientiam abjicit. — II. Quæ causa fuerit cur inter Anastasium et Leonem papam IV tanta exarserit contentio. — III. Anastasius, electo jam Benedicto III, Urbem invadit summumque pontificatum vi occupare conatur. — IV. Quos hujus facinoris conscios præcipue habuerit. — V. Num Anastasius, ab ea ambitione destitutus, ad bonam frugem se receperit, et quonam munere functus sit.

I. Anastasius ad vitam publicam, si ita loqui fas est, primum accessit anno 847, cum sacerdos a Leone papa IV sacratus est atque S. Marcelli ecclesiæ presbyter cardinalis constitutus[1].

Vix autem munere suo fungebatur novus ille sacerdos, quum subito ecclesiam suam, injussu pontificis, deseruit, Romaque clandestina fuga erupit[2]. Quo audito nuntio, incredibile est quanto ardore, quanta instantia summus

1. « Anastasius, inquit Leo IV, presbyter cardinis nostri quem nos in titulo B. Marcelli martyris atque pontificis ordinavimus. » V. *Acta concilii Romani a.* 853 *habiti*, ap. Coleti, IX, 1135; cf. *Tomum concilii Romani a.* 850 *hab.* in Hincmari *Annalibus*, a. 868 (Pertz, I, 477). Cum ex altera parte Leo papa IV ad sedem apostolicam evectus sit a. 847 (Jaffé, 2ª edit., p. 329), ex altera autem Anastasius jam esset presbyter cum Roma fugit a. 848 (v. notam seq.), necesse est ut is sacerdos creatus fuerit a. 847, aut summum ineunte a. 848.

2. « Instigante ac suadente diabolo, Anastasius presbyter cardinis nostri... contra statuta Patrum propriam ecclesiam deserens. » *Acta conc. Rom. a.* 853 (Coleti, t. IX, p. 1135). Id autem a. 848 evenisse constat; namque, in concilio Romano a. 850 mense decembri habito, hæc de fugitivo Anastasio dicuntur : « Qui nunc illuc latitando in ipsa demigratione, per biennium moratus est », et mense Junio a. 853 : « Ecce jam per quinquennii tempus in alienas parochias discurrit. » (Pertz, t. I, p. 477-8).

pontifex, ut desertorem presbyterum ad ecclesiam suam reduceret, elaboraverit, quam crebris, quam severis pœnis eum percusserit. Tria enim concilia, eademque et numero et dignitate episcoporum conspicua, quæ de Anastasii causa statuerent, Leo IV convocavit ipseque præsens moderatus est : primum quidem, Romæ, anno 850, mensis decembris die sexto decimo, in quo hunc S. Marcelli presbyterum sacra communione prohibuit[1]; secundum deinde, Ravennæ, anno 853, mensis Maii die undetricesimo, quod, instante pontifice, severius etiam consuluit atque Anastasium sub anathematis vincula conjecit[2]; tertium denique, generale concilium, ac Romæ iterum, eodem anno 853, die mensis decembris octavo, in basilicam S. Petri congregatum, cujus sententia hic jam excommunicatione atque anathemate perculsus presbyter a sacerdotio tandem ita dejectus est, ut nullus ei deinceps restitutionis locus relinqueretur[3].

Per annos saltem quinque, Leo IV ab insectatione hujus fugitivi non conquievit, legationes solemnes ad eum mittendo[4], regiam potestatem ad auxilium devocando, modo Hlotharium imperatorem, modo Hludowicum ejus filium enixe rogando, ut manum Anastasio injicerent vique ducerent ad concilium[5]. At omnis irritus labor. Anastasius, spreta summi pontificis auctoritate, ad judicium nunquam

1. V. *Acta conc. Rom. a.* 853 *hab.* (Coleti, IX, 1135), et *Tomum conc. Ravenn. a.* 853 (Pertz, I, 478). Cf. Jaffé, *Regesta*, p. 233.

2. V. *Tomum conc. Ravenn. a.* 853, l. c.

3. V. *Acta conc. Rom. a.* 853, l. c., et *Vitam Leonis IV*, c. XCII (Vignoli, III, 128-9). Cf. Jaffé, p. 233. Atque in codice quodam Londinensi plura ex *Registro* Leonis IV excerpta recens inventa sunt a P. Ewald, inter quæ una est epistola ad hanc synodum spectans. V. *Neues Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde*, t. V, p. 388, n. 30.

4. « Qui (Anastasius) venire vellet neque per apostolicas litteras, neque per tres vocatus episcopos, Nicolaum videlicet, Petronacium et Joannem. » *Vita Leonis IV* (Vignoli, t. III, p. 129). Cf. Leonis IV *Epistolam ad missos imperatorum* (Coleti, t. IX, p. 1135), et *Epist. ad Anastasium* (ibid., p. 1136).

5. V. Leonis IV *Epist. ad missos imperatorum* (Coleti, t. IX, p. 1135), et *Acta conc. Rom. a.* 853 (ibid., p. 1137).

adest, ter quaterque e manibus persequentium, velut anguis, elabitur[1], atque plerumque in Istria latet[2]; donec tandem, audita morte Leonis IV, in provinciam Romanam remigrat, ad nova facinora paratissimus.

II. Hæc quidem, quod spectat ad ipsa facta, omnibus eruditis nota sunt nec ullas habent tenebras; sed quæri potest ex qua causa hæc Leonis IV in insectatione Anastasii nata sit tanta pertinacia. Quod si nihil aliud in hac re actum esset, quam desertoris unius presbyteri culpa, id certe, quanquam causa erat potentis familiæ, non eum tumultum, non eas iras concitasset. Porro in illo decreto quod Leo IV, Ravennæ, a. 853, contra Anastasium fecit, locus quidam est antea, ni fallor, non satis exploratus, qui tamen nostram interrogationem solvere videtur. Summus enim pontifex, verbis gravissimis, id inter alia vetat, quominus Anastasio apostolicam sedem affectanti quisquam auxilium præbeat, aut si quis fuerit ejus consilii particeps, hunc anathemate obstrictum iri pronuntiat : « Omnes, ait, qui ei in electione, quod absit, aut pontificatus honore adjutorium præstare aut solatium quodcumque voluerint, simili anathemati subjaceant[3]. »

Quam eamdem rem etiam spectare videtur Leo IV in his litteris, quas, eodem anno, ad Anastasium mittendas curavit, cum nempe fugitivum presbyterum adhortatur, ut ne vanam spem alat neque adulatoribus aurem præbeat, sed, spretis terrenis rebus, ad supernas adspiret[4]. Itaque vix

1. « Jam quinquennii tempus huc illucque latitans velut anguis discurris. » Leonis IV *Epistola ad Anastasium* (Coleti, ibid., p. 1136).

2. « Ecce jam per quinquennii tempus in alienis parochiis, id est, Aquilejensibus, velut ovis errans degere ac temere inhabitare præsumpsit. » Leonis IV *Epist. ad missos imperatorum* (Coleti, ibid., p. 1135). Anno autem 853 Anastasius Clusium accessit (ibid.).

3. V. *Tomum conc. Ravenn. a.* 853 (Coleti, IX, 1145); Hincmari *Annales*, a. 868 (Pertz, I, 478).

4. «Te ne vana spes decipiat, caducæque adulationes subvertant. Sed ter-

dubium est quin Anastasius ejus ambitionis, qua deinde ad summum pontificatum nisus est, signa jam tum manifesta dederit multosque habuerit sui consilii participes[1]. Immo veri simile est Anastasium Roma tam præcipitem fugisse sive quia, patefactis iis artificiis, quibus ad apostolicam sedem occupandam uti jam cœperat, tum intellexerit pœnam sibi a Leone IV parari, sive quia speraret fore ut, extra Romam, patris sui Arsenii et imperatoris Hludowici auxilio adjutus, sua consilia ad eventum facilius produceret.

Id enim, ut obscuritas hujus facti longius depellatur, non inutile erit animadvertere, Hludowicum, Hlotharii filium[2], quem, ut ex multis deinceps argumentis patebit, et Arsenius, Hortensis episcopus, et ipse Anastasius, obstrictum maxime habuerunt, in hac etiam prima causa, partes presbyteri desertoris adversus summum pontificem tenuisse, non quidem aperte (nondum enim ille, vivo parente, summam rerum, pro libitu, administrabat[3]), sed occulto adminiculo, ut, quamvis Anastasium comprehendere facillime posset, nunquam tamen eum ad judicium adduci serio jusserit[4]. Hinc Leonis IV et Anastasii presby-

renis mente actibus erigens, ea quæ superna infinitaque permanent, inquiescibili intuitu anhelare memento. » Leonis IV *Epist. ad Anastasium* (Coleti, t. IX, p. 1136).

1. Etenim Leo IV Anastasium, inter alia, accusat quod « plurimos sua læsione pestifera maculasset ». Leonis IV *Epist. ad missos imperat.* (Coleti, ibid., p. 1135).

2. Hic jam a. 844 cum res Italicas, tum Romanas, parentis arbitrio, administrabat. V. *Vitam Sergii II* (Vignoli, t. III, p. 41-43), et Prudentii *Annales*, a. 844 (Pertz, t. I, p. 440).

3. Hlotharius vita excessit a. 855. V. Prudentii *Annales*, a. 855 (Pertz, SS., t. I, p. 449).

4. Quanquam Hludowicus « mente alacri », ut ait Leo IV, promiserat se jussurum desertorem illum sacerdotem comprehendi, tamen quotiescumque imperatoris legati a summo pontifice interrogati sunt cur Anastasium ad concilium non adduxissent, responderunt se eum invenire non potuisse : quod certe vix credibile est. V. *Acta conc. Rom.* a. 853 (Coleti, t. IX, p. 1135 D, 1137 A).

teri multo gravius exarsit contentio, eo magis quod is pontifex, quem quidem Romani ad sedem apostolicam, injussu imperatoris, produxerant[1], Hlothario ac maxime Hludowico male acceptus erat, atque ipse factioni magis nobilium Romanorum quam Francorum imperatorum favere videbatur[2].

His igitur initiis Anastasius vitam publicam orsus est; hic ejus ætatis quasi primus actus. At illa quæ deinde patravit, ejus ingenium indolemque magis etiam illustrant.

III. Etenim septimus erat circiter annus ex quo excommunicatus ille presbyter errantem vitam in exsilio agebat, cum Leo papa IV supremum diem obiit[3]. Haud mora. Clerus Romanus Romanique proceres, qui Hludowici imperatoris fautores prævertere cupiebant, Benedictum presbyterum in summum pontificatum legunt[4], decretoque, ut solebat, composito, legatos ad imperatores mittunt qui novam electionem denuntient[5].

Jam vero hi legati Eugubium pervenerant, cum obvius eis fuit Arsenius, Anastasii parens[6]. Nec enim iste, mortuo Leone IV, otiosus fuerat, sed paraverat omnia ut filium suum de exsilio reductum ad sedem apostolicam produ-

1. V. *Vitam Leonis IV*, c. VIII (Vignoli, t. III, p. 70).

2. V. ea quæ, in *Vita Leonis IV*, de Gratiano, magistro militum et superista narrantur (Vignoli, t. III, p. 140). Atque etiam notatione dignum est, auctorem ejusdem Vitæ hoc Leoni IV laudi dedisse quod « suos Romanos proceres diligebat ». (Vignoli, ibid., p. 121.)

3. Die septimo decimo mensis Julii a. 855. Cf. Jaffé, p. 339.

4. « Leo quidem ubi hac luce subtractus præsul occubuit, mox omnis clerus istius Romanæ protectæ sedis universique proceres cunctusque populus ac senatus... uno consensu unoque eum conamine Benedictum... pontificem promulgaverunt eligere. » *Vita Benedicti III* (Vignoli, t. III, p. 145).

5. *Vita Benedicti III* (ibid., p. 146). Hlotharius autem jam moriturus erat (v. Prudentii *Annales*, a. 855, Pertz, t. I, p. 449); quapropter Hludowicus rem totam, arbitratu suo, gerere potuit.

6 « Ipsum autem qui deducebant legati decretum, fuerunt hi, Nicolaus videlicet Anagninæ antistes ecclesiæ, et Mercurius magister militum, Arsenio Eugubii (*mss.* Egubio; vid. infra, p. 62) obviantes episcopo ad invicem

ceret. Itaque Arsenius legatos Romanorum allicit, conciliat, ita denique agit, ut illi, relicta Benedicti causa, partes presbyteri S. Marcelli cardinalis secuturos esse promittant[1].

Erat autem urbs Horta, in qua tum Anastasius morabatur, paratus ad omnem eventum. Hortam igitur mox adveniunt missi duo imperatoris Hludowici, Adalbertus et Bernardus comites[2], quibus cum paulatim se conjunxissent multi Romani qui a causa Benedicti defecerant[3], omnes simul conjurati, Horta egressi, Romam progrediuntur, urbemque invadunt[4].

Tum Romæ misceri confusum prœlium, in quo Anastasius se totum patefecit. Duobus enim Hludowici II legatis fretus, excommunicatus iste sacerdos basilicam S. Petri invadit, ad decreta Leonis IV contra ipsum facta, quæque in porta basilicæ proscripta legebantur, recta via tendit, eaque ipse manibus lacerat et incendit[5]. Quid? in *Libro*

confabulari cœperunt. » *Vita Benedicti III* (Vign., III, 147). Quod si animadverterimus qua in urbe Arsenius legatis Romanis occurrerit, hunc probabiliter conjiciemus non Horta, a domicilio suo, sed ab imperatore Hludowico tum temporis venisse.

1. « Qui (Arsenius) callidis eos sermonibus liniens, corda eorum mollire cœpit, beatique (Benedicti III) fidelitatem jam fati declinaverunt electi : cum quibus etiam consilium studuit confirmare, ut depositum anathematizatumque Anastasium, quod divina nullatenus permittebat clementia, pontificatus infula perornarent. » *Vita Benedicti III* (Vign., III, 147).

2. « In eam (Hortam nimirum) Adelbertus, Bernardusque comites cuidam olim damnato, Arsenio cogente episcopo, se conjunxerunt presbytero nomine Anastasio. » Ibid., p. 148.

3. « Hortamque properantes urbem, fidelitatis sacramentum, quod fecerant almifico Benedicto, parvipendentes obliviscentesque electo, damnato se conjunxerunt depositoque presbytero. » Ibid., p. 149.

4. « Urbe deinde exeuntes ab Horta juxta basilicam beati Leucii martyris pervenerunt », etc. Ibid., c. IX-XI, p. 149-151.

5. « Qui (Anastasius) virtutibus Leonianam cum ipsis Cæsaris legatis ingrediens urbem, Apostolorum repente, quam non debuerat, Principis introire basilicam, Dei parvipendens judicium, audacter invasit. Imagines enim confregit, ignique concremavit, et synodum, quam supra sanctuarii januas b. memoriæ Leo pingi papa jusserat, destruxit. » Ibid., c. XII, p. 151.

pontificali narratur, Anastasium, Sarracenis scelestiorem, « Domini Jesu Christi ejusque semper virginis Genitricis iconam bipenni, quod non debuerat, ad ima dejecisse, pro quo detestabili opere orthodoxæ cuncti cultores fidei lacrymas fundentes ingemiscebant, et tristitia replebantur ac mœrore[1] ». Quibus nefarie patratis, patriarchium Lateranense vi et armis oppugnatur; franguntur portæ omni telorum genere, ingreditur Anastasius atque in solio pontificali, veluti cruentus tyrannus, considit[2]. Deinde, ipso jubente S. Marcelli presbytero, exturbatur Benedictus, electus pontifex, exuitur vestimentis pontificalibus atque custodibus arcte asservandus traditur[3]. Per tres solidos dies conjurationis hujus principes, ac præcipue missi duo imperatoris, omnibus modis satagunt ut populus Romanus ab electi candidati causa desciscat, Anastasianasque ad partes transeat[4]. At frustra : fidem Benedicti III plerique Romanorum ita firmiter retinent, ut, post irritos conatus, victus tandem Anastasius, atque ab omnibus fere relictus, Roma turpiter expellatur[5].

IV. Hæc autem fusius in *Vita Benedicti III*, ad quam, ne sim longior, lectorem rejicio. Verumtamen, cum propter quædam verba hujus Vitæ corrupta Arsenium episcopum

1. Ibid., c. xii, p. 151.

2. « His itaque peractis, hostili virtute ipse Romam depositus ingreditur presbyter, celeriterque ad Lateranense properavit cum iniquissimis ejus sequacibus, et sæculari potentia patriarchium, multisque telorum generibus januas ejus aperiens, tyrannus veluti cruentus, eas introivit, solioque, quod nec manibus contrectare debuerat, resedit. » Ibid., c. xiii, p. 152.

3. Ibid., c. xiii, xiv, p. 152.

4. « Augusti sæpius dicti legati frementes, magnaque tumentes superbia pervenerunt, et impetu facto absidam in qua episcopi psallentes residebant cum clero, leones veluti ferocissimi, conscenderunt, erectisque baculis eos conabantur elidere ensibusque punire dicentes : Adquiescite, et vestro consensu pontificali Anastasius culmine subrogetur. » Ibid., c. xv, xvi, xvii, p. 153-5.

5. « Illico prædictus Anastasius magna cum turpitudine de patriarchio ejectus atque expulsus est. » Ibid., c. xviii, p. 155.

Hortensem Anastasiani sceleris participem fuisse negatum sit, cum præterea maximi sit momenti, ad ea quæ in hoc opere ulterius disputabo, perspicue detegere quinam hujus conjurationis rectores fuerint, nunc liceat mihi errorem quemdam dissipare, qui impedimento fuit quominus ea in re Arsenii Hortensis internosceretur manus.

Omnium enim consensu historicorum, illam pro Anastasio conjurationem duxit non Arsenius Hortensis episcopus, Anastasiique pater, sed nescio quis Arsenius quem Eugubinum episcopum fingunt[1]. Hujus autem opinionis origo est in Vita Benedicti III locus quidam, depravatus quidem in codicibus manuscriptis, at in editis male sanatus. Namque in illo codice Libri pontificalis (Vaticano 3764, Vignoli cod. Vat. I) cujus ad exemplar editores omnes, ni fallor, recentiorum pontificum Vitas typis mandarunt[2], sic scriptum est : « Nicolaus videlicet Anagninæ antistes ecclesiæ, Mercurius atque magister militum, Arsenio *Egubio* obviantes episcopum ad invicem confabulari cœperunt[3]. » Porro illud « Egubio » corruptum esse constat; sed facilis, ut opinor, emendatio est. Ibi enim significari in qua urbe Arsenius in colloquium congressumque legatorum Romanorum venisset, non autem cujus urbis esset episcopus, ideoque « Eugubii », non « Egubio » legendum esse, manifestum faciunt non solum hujus sententiæ forma et ratio, verum etiam alius locus in quo idem auctor de illo eodem colloquio, quod legati Romani cum Arsenio habuerant, rursus mentionem agitans, sic loquitur : « Consilium, quod *Eugubio*, ut prætulimus,

1. V. ex multis, Baronius, *Annales*, a. 855, n. XXXVIII; Gregorovius, *Geschichte der Stadt Rom*, t. III, p. 117; Hergenröther, *Photius*, t. II, p. 231; Jaffé, *Regesta*, p. 341.

2. V. L. Duchesne, *Étude sur le Liber pontificalis*, ch. IX, p. 121.

3. V. Vignoli, III, p. 147, inter « variantes lectiones ».

cum Arsenio statuerunt, adimplere cupientes[1]. » Cujus posterioris sententiæ tam clara est significatio, ut hoc « Eugubio », quod iterum in codice Vaticano male scriptum est, ipsi editores Libri pontificalis recte in « Eugubii » mutaverint[2]. At cum in priore loco, nescio qua mente decepti, pro illa lectione manuscripta « Arsenio Egubio », typis mandaverint istud « Arsenio Eugubino[3] », hinc factum est ut id facinus, non sine magna totius rei perturbatione, personæ ficticiæ adscriptum sit; ex quo etiam Arsenius aliquis, qui revera nusquam apparuit, nunc in episcoporum Eugubinorum numero ab omnibus auctoribus falso reponitur[4].

Verumtamen latere in ea opinione errorem jam suspicari quisque vehementer poterat, tum quia Arsenius Hortensis, utpote Anastasii parens, multo veri similius auctor facti censendus erat, tum præcipue quia aliter sentientibus vix intelligebatur cur Arsenius ille ficticius, cum esset episcopus Eugubinus, Hortam nihilominus quasi conjurationis domicilium elegerit, cur Hortæ conjurati omnes cum Anastasio se junxerint, atque in eadem urbe plures dies, dum omnia pararentur, remanserint[5].

Quid multa? Quod si recentiores critici, propter vitiosam illam codicum lectionem, quis fuisset vere Arsenius

1. Vignoli, III, 148.

2. « Consilium, quod *Eugubii,* ut prætulimus, cum Arsenio statuerunt, adimplere cupientes. » Vignoli, III, 148; Bianchini, ap. Migne, *P. L.*, t. CXXXVIII, p. 1346.

3. Ita in editis legitur hic locus : « Nicolaus videlicet Anagninæ antistes ecclesiæ et Mercurius magister militum, *Arsenio Eugubino* obviantes ad invicem confabulari cœperunt. » Vignoli, III, 146-7; Bianchini, ap. Migne, t. CXXVIII, p. 1346. Notandus est Baronius, qui, cum in priore loco « Eugubii » recte legisset, tamen in posteriore, cujus significatio multo etiam est clarior, « Eugubino episcopo » legere maluerit. Baronius, *Annales,* a. 855, n. XXXVIII.

4. V. gr. ab Ughelli (*Italia sacra,* t. I, p. 635); Gams (*Series episcoporum,* p. 699).

5. *Vit. Bened. III,* c. VIII, IX (Vign., p. 148-9), et supra, p. 60.

non perspexerunt, auctores contra antiquissimi, scriptis ducti melioribus, non in eumdem errorem lapsi sunt. Seculo enim undecimo, Deusdedit, ecclesiæ Romanæ cardinalis presbyter, ex hac Benedicti III Vita, in suam canonum collectionem, plura excerpens, locum illum de quo loquimur, ita summatim transcripsit : « Hic (Benedictus papa III) dum esset electus, factione episcoporum Radoaldi Portuensis et *Arsenii Hortensis* actum est ut a legatis imperatorum Hludowici et Lhotarii cardinales cogerentur multis injuriis et comminationibus, imo et gladiorum super se evaginationibus, Anastasium, quem IV Leo deposuerat, sibi promovere pontificem [1]. » Vides ut auctor facti Arsenius Hortensis a Deusdedit appelletur, ex quo liquet in eo Libri pontificalis manuscripto codice, quem scriptor ille veterrimus ante oculos habebat, non ita fuisse ut recentiores finxerunt, atque id quod conjiciendo inveneram, tandem certissimo, licet oblique cognito documento, comprobari.

Neque ad propositum nostrum alienum erit lectores admonere, inter præcipuos Anastasiani facinoris conscios, maximas partes habuisse Rhadoaldum, episcopum Portuensem. Is enim, qui in ecclesia Romana tertius erat a summo pontifice, non solum ad Anastasium jam tum defecerat cum Romanorum plerique partes Benedicti III tenerent [2], sed etiam, postquam seditiosi ceteri, mutato tandem animo, victam Anastasii causam deseruerant, ipse pæne solus in incepto consilio obstinate hæserat. Qua-

1. V. Deusdedit, *Collectio canonum*, l. I, c. CCVIII, ed. Martinucci, p. 136.

2. « Urbe deinde exeuntes ab Horta (Anastasius ejusque fautores) juxta basilicam beati Leucii martyris pervenerunt, insultantes et gloriantes in sua virtute, cum quibus Radualdus Portuensis episcopus, Tudertinæque urbis Agatho antistes aderant, qui clam Roma discesserant urbe; et eidem anathematizato tetra irretiti caligine se junxerant, obscurati sensu, mente et anima. » V. *Vit. Benedicti III*, c. IX, p. 149.

propter, cum Benedictus III, mensis septembris die undetricesima, episcopalem consecrationem accepit, Rhadoaldus, cujus erat officium, ut episcopus Portuensis, summos pontifices, cum episcopis Ostiensi et Albanensi, ordinare, ab eo munere jure meritoque exclusus est[1].

V. Jam vero post tot tantaque commissa, justitiæ consentaneum videbatur ut severiores de Anastasio ejusque fautoribus pœnæ sumerentur, ac nova in eos conjicerentur anathemata. Id vero nequaquam contigit. Freti, ut probabile est, imperatoris auxilio et gratia, neque Arsenius episcopus Hortensis, neque Rhadoaldus Portuensis præsul e dignitate sua ejecti sunt. Ad Anastasium autem quod pertinet, non modo ejus pœna non facta est gravior, verum etiam latas in eum a Leone IV sententias mitigatas esse accepimus. Quanquam enim Benedictus papa III presbyterum Sancti Marcelli in ordinem sacerdotum noluit restituere, eum tamen, excommunicatione qua tum tenebatur ex parte antiquata, ad communionem inter laicos accipiendam in posterum recepit[2].

Nostris autem temporibus cardinalis Hergenröther conjecit Anastasium, iis patratis sceleribus, in monasterium secessisse, ibique, postquam monachus aliquandiu vixisset, scientia et meritis obtinuisse ut dignitate abbatis ornaretur[3]. Cui opinioni assentiri nullo modo possum. Quanquam enim certo constat Anastasium, Nicolao saltem papa, monasterium S. Mariæ administrasse[4], non ideo ex hoc colligi

1. « Portuensis vero episcopus prohibitus ab ecclesia ordinationem, quam debuerat, super eum (Benedictum III) nullatenus fecit, quod anathematizato se junxerat, ac in perjurii voraginem ciciderat, atque manebat. » *Vita Benedicti III*, c. xx, p. 157.

2. « Sacerdotalibus exspolians vestimentis, inter laicos in communione recepit. » V. Hadriani II decretum in Hincmari *Annalibus*, a. 868 (Pertz, I, 479[10].)

3. Hergenröther, *Photius*, t. II, p. 234.

4. V. Prooemium, p. 5.

jure potest ambitiosum illum virum se ad bonam frugem vitæque religiosæ modestiam recepisse. Namque, ut ante diximus, si qui essent ab episcopali aut sacerdotali dignitate dejecti, atque inde quæstus muneris sui amisissent, sæpe fiebat ut eis, non tam ad honores quam ad cibaria, lauta quædam abbatia cum suis reditibus concederetur [1].

Quod ipsi Anastasio (quanquam incertum est utrum Nicolai I an Benedicti III largitione) multo veri similius est obtigisse, eo magis quod mox perspiciemus quæ ista fuerit Anastasiana correctio, et quo pacto ab ambitione et fallacia is abbas ad verecundiam fidemque migraverit. Id unum concedamus Anastasium, adversa edoctum fortuna, ab ambitiosis consiliis, dum vixit Benedictus III, prudenter temperasse, otiosumque tempus, quo necessario fruebatur, in aliis studiis consumpsisse. Narravit enim ipse Anastasius ad quod novum occupationis genus, ne rursus in vetitam cupiditatem recidere videretur, animum intenderit, qua ratione ab amicis suis fuerit adductus ut linguæ græcæ scientiam, qua præ ceteris æqualibus pollebat, ad communem conferret utilitatem, græcisque operibus in latinum sermonem vertendis operam daret. Quæ verba Anastasii, ex quibus supra confirmabam eumdem esse bibliothecarium atque presbyterum S. Marcelli, non alienum est hoc loco repetere. « Cogitante me, ait, ac diu tacite solliciteque considerante, quid in domo Dei commodius ac dignius operari possem, ne ea videlicet præsumerem quæ mihi ex ministerio credita non sunt, nec rursus illa arriperem quæ ingenioli mei vires excedunt, secundum illud Salomonis : Mel invenisti, comede quod sufficit tibi, ne

1. V. supra, p. 28-29; cf. Thomassin, *Discipline de l'Eglise*, part. II, l. I, c. LIX, n. 5 (ed. gall.). Hinc illud « abbatiam valde bonam », quod Hincmarus, scribens ad Nicolaum I, ex industria usurpavit, ut ne accusaretur a summo pontifice quod Rothado nullas opes, pro amisso episcopatu, reliquisset. V. supra, p. 29.

forte satiatus evomas illud; et alibi : Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; ecce subito quidam strenui ac studiosi viri me cohortari voluerunt ut in latinum sermonem verterem Leontium de Vitæ residuis Joannis Alexandrini antistitis [1]. »

In hac igitur obscuritate et otio Anastasius tres annos quieverat, cum, Benedicto III vita functo, e tenebris ad lucem tandem rediit, atque iterum prospero fortunæ flatu usus est.

1. V. Anastasii *Præfationem in Vitam S. Johannis Eleemosynarii*, ap. Migne, t. LXXIII, p. 337. Hæc quidem Præfatio inscribitur Nicolao papæ; sed opus ipsum, ab Anastasio, Benedicti III temporibus latine redditum ex parte saltem fuisse propius est fidem.

III

DE NICOLAO PAPA I EJUSQUE FAMILIARIBUS ENODATA QUÆDAM QUÆSTIO

I. Nicolaus I quam famam obtinuerit, breviter exponitur. — II. Hunc pontificem ad sedem apostolicam Hludowici imperatoris auxilio et factione constat esse productum. — III. Quo fuerit honore et gratia apud Nicolaum I Rhadoaldus, episcopus Portuensis. — IV. Idem quæritur de Arsenio, episcopo Hortensi. — V. Conclusio investigationis.

I. Niçolaus I, mense aprili anni 858, pontifex maximus factus est[1]. Huic autem papæ quam famam confecerint cum recentiores quidam historici, tum etiam veteres, quibus eum laudibus multi sint prosecuti, nemo est eruditorum qui nesciat[2] : ut Nicolaus, in ecclesia Romana, sanctus hodierno die habeatur, ejusque festus dies celebretur solennis[3]. Et

1. V. Jaffé, p. 342 (2a ed.).

2. De Nicolao I, præter ejus Vitam in Libro pontificali ab auctore æquali adscriptam (Vignoli, t. III, p. 170-217), et Regesta a Ph. Jaffé composita (p. 342-368), possunt etiam ex recentioribus scriptoribus consuli : A. Thiel, *De Nicolao papâ I legislatore ecclesiastico commentationes duæ historico-canonicæ*, Brunsbergæ, 1859; H. Lämmer, *Papst Nikolaus der Erste und die byzantinische Staats-Kirche seiner Zeit*, Berlin, 1857; Gregorovius, *Geschichte der Stadt Rom*, t. III, p. 122-139, 153-157; A. von Reumont, *Geschichte der Stadt Rom*, Berlin, 1867, t. I, p. 202-205; Dümmler, *Geschichte des ostfränkischen Reichs*, t. I, passim, sed potissimum p. 651-658; D. Ceillier, *Histoire générale des auteurs sacrés*, t. XIX, p. 160-192; C. von Noorden, *Hinkmar Erzbischof von Rheims*, 1863, p. 234-237 ; quamvis non sit una sententia omnium, sed alii aliter de Nicolao judicent.

3. Mensis novembris die tertio decimo. V. *Martyrologium Romanum*, d. 13 m. nov.; et *Breviarium Romanum*, in parte hiemali.

quidem de illo prædicatur maxime animi quædam firmitas ac vis, qua, spreto omni metu, patrocinium æquitatis constanter arripuit, nec cuiquam inique facienti, ne regibus quidem, pepercit[1]. Summorum profecto pontificum nemo ea ætate tam sæpe, tam vehementer, auctoritatem suam defendit, laudavit, longe diffudit[2].

Quocirca multis scriptoribus incredibile visum est, apud talem pontificem magna fuisse gratia Anastasium, illum presbyterum, qui non modo auctoritatem sedis apostolicæ antea contempserat, verum etiam nunquam est voluntate omnino aut ingenio mutatus; ex quo duos Anastasios confingere maluerunt quam tantulum eam opinionem, quam de Nicolao papa conceperant, inflectere. Nobis vero qui Anastasium a Leone IV excommunicatum, eumdem esse atque Nicolai I consiliarium ex certissimis monumentis ostendimus[3], pernecesse erat inquirere qua ratione iste sacerdos apud pontificem hujus famæ et indolis gratiosus evaserit. Quam inquisitionem ita effecisse speramus, ut non solum solvatur hæc nostra interrogatio, sed et universa hujus pontificatus historia nova quadam luce illustretur. Quod si qui existimabunt non eamdem factam esse ex iis Nicolai I speciem, quæ ipsis antea videbatur, dolebimus quidem, tamen ea quæ diligenter investigando vera esse invenimus, nec tacere licet, nec minuere, cum præsertim

1. Notum est illud Reginonis de Nicolao I : « Denique post beatum Gregorium usque in præsens nullus præsul in Romana urbe pontificali honore sublimatus illi videtur æquiparandus. Regibus ac tyrannis imperavit, eisque ac si dominus orbis terrarum auctoritate præfuit », etc. Reginonis *Chronicon*, a. 868 (Pertz, *SS.*, t. I, p. 579). Quibus ea consentiunt quæ Liutbertus, Moguntinus archiepiscopus, Hadriano papæ II, Nicolai successori, non sine acerbitate quadam, scribebat a. 871 : « Decessor vester, vir apostolici vigoris — juxta nomen suum victor populorum — beatissimus Nicolaus, non pecuniæ cupiditate sed omnimoda ejus inlectus rationabilitate », etc. Liutberti *Epistola ad Hadrianum II* (Jaffé, *Bibliotheca rerum Germanicarum*, t. III, p. 333).

2. V. inferius, c. V.

3. V. nostrum Proœmium.

esse queat, in hac re, societas veritatis cum reverentia Romanæ sedis.

II. Multa in eo pontifice digna sunt quæ diligentius perpendantur, sed nihil magis admirationem facit, quam quomodo ille et quibus auxiliis summum obtinuerit pontificatum. Hunc enim Nicolaum, cui laudi maxime datum est quod regibus ac tyrannis imperavit, perinde ac si esset dominus orbis terrarum [1], quique revera Hludowico imperatori non semel est adversatus, ejusdem imperatoris potestate factioneque ad sedem apostolicam evectum fuisse constat.

Primum testem habemus Prudentium, episcopum Trecensem, atque scriptorem illis temporibus æqualem, qui, in suis Annalibus, rem ita narravit : « Benedictus Romanus pontifex moritur, Nicolaus *præsentia magis ac favore Hludowici regis et procerum ejus* quam cleri electione substituitur [2]. » Quæ verba non ita premenda videntur, ut non clerus Romanus suffragia tulisset ; sed partes imperatoris Nicolao maxime favisse, tum ex hoc testimonio, tum ex Libro pontificali comprobatur [3].

Etenim, ut in Vita Nicolai relatum est, Hludowico imperatori sic statutum ac deliberatum erat se Romanorum suffragiis interponere, ut, quanquam recens Roma discessisset, tamen, audita morte Benedicti papæ III, ad Urbem quam citissime redierit, ibique eo usque remanserit donec

1. Reginonis *Chronicon*, l. c.

2. Prudentii *Annales*, a. 858 (Pertz, *SS.*, t. I, p. 452).

3. Quanquam scriptor pontificius, servata, ut par erat, verecundia, non adeo ingenue fatetur animos Romanorum ab imperatore fuisse præoccupatos. Recte igitur Carolus Bayet : « Le chroniqueur franc le mieux informé de ce temps dit que Nicolas devint pape plutôt par la faveur de Louis et de ses grands que par l'élection du clergé. Et si le biographe pontifical n'avoue point si nettement la vérité, du moins il la laisse entendre. » *Les élections pontificales sous les Carolingiens au* VIII[e] *et au* IX[e] *siècle*, p. 34. Extrait de la *Revue historique*, a. 1883.

Nicolaus, antea diaconus, in summum pontificem cooptatus esset et consecratus[1]. Fuisse vero eum candidatum, cui Hludowicus suffragaretur, satis superque significant insignes illæ amoris notæ ac benevolentiæ quas Nicolaus, ut primum delectus est, ab imperatore accepisse in eodem Libro pontificali dicitur. Et quidem Hludowicus non solum in consecratione Nicolai interfuit[2], sed etiam, sacris rite confectis, novum pontificem, quod ad eum diem nunquam usu venerat, coronari jussit[3]. Quid? Plures dies summa studia

1. « Eo autem tempore, invictissimus Roma Hludowicus Cæsar discesserat. Qui ejus (Benedicti III) cum transitum cognovisset, condolens, et concitus ad eam reversus est. » *Vita Nicolai* (Vignoli, t. III, p. 173).

2. « Postmodum vero a nobilissimorum cœtibus, cunctoque etiam populo in basilicam beati Petri apostoli deductus præsente Cæsare consecratus est. » *Vita Nicolai* (Vignoli, t. III, p. 173.)

3. « Qui (Nicolaus) densis optimatum populique agminibus circumdatus cum hymnis et canticis spiritalibus in patriarchium iterum Lateranense perductus est. Coronatur denique. » *Vita Nicolai* (ibid., p. 174). Antea vero non esse Romanæ consuetudinis uti summi pontifices coronarentur, id colligitur ex Libro pontificali, in quo, cum narrantur consecrationes superiorum paparum, nulla habetur coronationis mentio. Neque id obtinuisse Nicolai I successores satis demonstrant Vitæ illæ, quæ exstant adhuc, Hadriani II et Stephani V. Quapropter, pace dicam doctorum virorum, qui in aliam abiere sententiam (v. *Bullettino di archeologia cristiana*, 1864, p. 3), hæc Nicolai I coronatio, nono seculo, singulare aliquid fuit, iisque auctoribus assentior qui dicunt nihil tale, ante seculum duodecimum, institutum jure fuisse. (V. Hinschius, *Das Kirchenrecht der Katholiken und Protestanten*, 1869, p. 209; Zöppfel, *Die Papstwahlen von 11 bis zum 14 Jahrhundert*, 1871, p. 262.) Quod si quæratur quamobrem Nicolaus solus tali honore fuerit ornatus, causam esse existimo Hludowici imperatoris præsentiam et favorem, qui nempe id pro Nicolao I facere voluerit, quod olim Constantinus, ut tum Romæ ferebatur, Silvestro papæ concessisset. In illo enim celeberrimo scripto, quam vocant *Donationem Constantini*, sic decretum ab eo imperatore gestumque narratur: « Decrevimus itaque et hoc, ut isdem venerabilis pater noster Silvester, summus pontifex, vel omnes ejus successores, pontificis diadema, videlicet *coronam quam ex capite nostro concessimus* ex auro purissimo et gemmis pretiosis uti debeant et eorum capite ad laudem Dei pro honore beati Petri gestare. Ipse vero beatissimus papa super coronam clericatus quam gerit ad gloriam beati Petri omnino ipsa ex auro non est passus uti corona, frigium vero, candido nitore splendidam resurrectionem dominicam designans, ejus sacratissimo vertici manibus nostris posuimus, et *tenentes frenum equi illius* pro reverentia beati Petri stratoris officium illi exhibuimus. » (Hinschius,

officii mutuo inter papam et imperatorem constiterunt, convivia, munera, amplexus, osculationes.

Sed ne rem dicendo videar amplificare, audiamus scriptorem ipsum pontificium : « Tertio igitur consecrationis ejus die cum Augusto convescens ophistico famine resplendebat, claritateque plenus epulabatur in Christo. Finitoque convivii apparatu consurgit, Cæsaremque spiritalem, et veluti carissimum deosculans filium, immenso circumdedit amore. His itaque gestis, serenissimus Imperator urbe discessit, sedemque in loco, qui Quintus dicitur, conlocavit. Beatissimus autem Præsul hoc audiens dilectionis ejus compulsus plenitudine atque amoris ad eumdem cum proceribus et optimatibus locum Romani nominis properavit. Excellentissimus quem cum vidisset Augustus obvius in adventum ejus occurrit, frenumque Cæsar equi pontificis suis manibus adprehendens pedestri more, quantum sagittæ jactus extenditur, traxit. Cum quo imperiale ingressus tentorium salubribus ad invicem fruebantur eloquiis. Mensisque epulis perornatis pariter cibum speciali sumpserunt alacritate, satiati scilicet. Satiatis itaque eis, mensisque remotis, plura serenissimus Cæsar beato præsuli contulit dona. Quibus susceptis equum conscendens, unde discesserat, conabatur reverti. Augustus ejus amore fretus imperialis equi superscandens cathedram ovanti cum eo incedebat animi voluntate, ad quemdam quidem cum

Decretales Pseudo-Isidorianæ, p. 253.) Itaque veri simile est per falsam illam Donationem, quam constat ante Nicolai tempora esse confectam (v. C. Bayet, *La fausse donation de Constantin*, Paris, 1884), Hludowicum ad id impulsum fuisse ut Constantinum assumeret in exemplum, eumque papam, in quo tantam spem posuerat, summo honore coronationis decoraret, eo magis quod Hludowicus non solum coronari Nicolaum voluerit, sed etiam, ejusdem Constantini ficto ductus exemplo, « frenum equi pontificis suis manibus adprehendens pedestri more traxerit ». *Vita Nicolai* (Vignoli, t. III, p. 175). Cf. A. Thiel (*De Nicolao I comment. duæ hist.-canon.*, 2ª diss., p. 37), apud quem hanc eamdem opinionem jam adumbratam reperi.

pervenissent spatiosissimum itineris locum, Imperator equo descendit, equumque pontificis iterum, ut meminimus supra, traxit, dulcissimisque se osculis ad invicem perornantes luciflue gratulati sunt[1]. »

Quæri profecto potest, Nicolaus, antequam papa delegeretur, quam de se opinionem fecerit, quam spem attulerit Hludowico ejusque partibus ut isti eum creari summum pontificem tantopere expeterent, creatoque lætarentur; præsertim cum is imperator, instigante, ut videtur, ambitiosa inquietaque conjuge Engelberga[2], hoc sibi fixum perseveranter habuerit jura omnia imperatorum, ut in ceteris Italiæ partibus, sic Romæ exercere[3], atque ideo eos tantum papas voluerit qui famam facilitatis haberent atque obsequii. Sed hæc aliis scrutanda magis relinquo; id enim obtinui, quod ad rem meam satis est, Nicolao videlicet recenti pontifici fuisse magnam gratiam cum fautoribus Hludowici II, eorumque adjumento et artibus ad summos Ecclesiæ honores pervenisse.

Jam vero, cum ex altera parte constet Anastasium, presbyterum S. Marcelli cardinalem, multum potuisse apud imperatorem Hludowicum, cumque ejus pater Arsenius, Hortensis episcopus, per totum Nicolai pontificatum,

1. *Vita Nicolai* (Vignoli, t. III, p. 174-5).

2. Engelberga, cum rem publicam multo magis quam decebat, tum etiam Romanam ecclesiam sæpe contendit regere; nec quidquam sic cordi habuisse videtur quam ut rebus se virisque ecclesiasticis interponeret. V. Hincmari *Annales*, in a. 864, 869, 872 (Pertz, *SS.*, t. I, p. 463, 481, 493, 494), atque incertum illum auctorem qui scripsit *De imperatoria potestate in urbe Roma* (Pertz, *SS.*, t. III, p. 721). Quibus confer ea quæ egomet attigi in disputatione inscripta : *Hadrien II et les fausses décrétales*, p. 50-51 (extrait de la *Revue des questions historiques*, avril 1880).

3. « Hic (Hludowicus), quia magis Italiam habitare elegit, vicinior factus est Romæ, ubi et ampliori quadam usus est potestate, habens strenuos viros ejus urbis, scientes antiquam imperatorum consuetudinem, et intimantes cæsari. Qui suggerebant illi repetere antiquam imperatorum dominationem, et nisi ob reverentiam beatorum apostolorum dimitteret, pro certo faceret. » *De imperatoria potestate libellus* (Pertz, *SS.*, t. III, p. 721).

non modo ejusdem Hludowici consiliarius ac præcipue amicus fuerit, sed etiam inter Romanos constitutus tanquam vicarius Imperii ac minister[1], id saltem jam conjectura probabile est factionis illius imperatoriæ, quæ Nicolao favisse dicitur, præcipuos auctores fuisse Anastasium ejusque familiares. Hinc Anastasii, excommunicati olim presbyteri, nova illa, Nicolao pontifice, fortuna, quam quidem multi historici incredibilem arbitrantur, sed quæ revera nunc demum consentanea omnino apparet. Quid enim est veri similius quam ut is pontifex, beneficiorum non immemor, studiosos sui et fautores in amicitiam favoremque receperit? Quod si nihilominus quibusdam adhuc videatur non is fuisse Nicolaus I, qui benevolentiam suam tam imprudenter collocaret, etsi a minuenda fama tanti pontificis refugio, longius tamen progrediar, qualemque ille se gesserit erga duos homines, cum Anastasio non solum amicitia aut propinquitate conjunctos, sed etiam Anastasianæ olim seditionis insignes duces, ex pluribus argumentis manifestum faciam; ex quibus etiam, id quod jam de Nicolao, cliente hujus familiæ, conjectavi, vere dictum esse videbitur.

III. Vidimus enim in superiore capite hujus libri[2], cum Anastasius presbyter sedem apostolicam vi et armis occupavit, Rhadoaldum, episcopum Portuensem, ejus partibus

1. « Constituit (Hludowicus) denique consultu Romanorum principum in urbe Roma Arsenium quemdam episcopum, sanctitate et scientia adornatum et apocrisiarium sedis Romanæ, deditque illi adjutorem Iohannem diaconum et archicancellarium suumque secretarium. » *De imper. potest. libell.* (ibid.). De quo testimonio admoneamus necesse est, auctorem illum ignoti nominis imperatorum quidem partibus adhærere neque in laudando aut vituperando servare semper æquabilitatem judicii, rerum tamen narrationem, earum saltem quæ sunt noni seculi, multo verius quam quidam existimant expressisse; siquidem is libellus non exeunte seculo decimo, ut vulgaris opinio fert, sed circa annum 896, conscriptus esse videatur. At hæc fusius in opere quod scripsi de *Formoso papa*.

2. V. p. 64-5.

tam obstinato animo adhæsisse ut, ceteris Romanis ad verum papam redeuntibus, ipse pæne solus ereptoris castra ad extremum tenuerit. Porro hunc eumdem socium Anastasiani facinoris Nicolaus I instituit sedis apostolicæ consiliarium, hunc deliciosum suum prædicavit[1], huic, nulla ratione habita cum veterum, tum etiam recentiorum proditionum, duas commisit maximi momenti legationes, donec tandem rebellantem eum ab omni dignitate et gratia necesse habuerit repellere. Sed hæc subtiliter persequamur[2].

Quod si ullo tempore magna causa in summorum pontificum judicio ac potestate versata est, ea quæ de Photio patriarcha, Nicolai I temporibus, exstitit, tanta fuit tantique periculi, ut exinde universæ Ecclesiæ perturbationes profluxerint ac vix sanabile discidium. Quanquam enim in principio nihil aliud agebatur in hac causa quam utrum Photius, judicato decessore ejus Ignatio, verus patriarcha dici posset, an Ignatius, qui immerito ab episcopatu esset deturbatus, jus suum retinere deberet, tamen brevi tempore, varias ob causas quas memorare non hic locus est, res a privata utilitate ad communem illam conflictionem declinavit, in qua Græci cum Latinis de fide et disciplinis christianis quam acerrime dimicarunt. Itaque cum primum Byzantini oratores Romam advenerunt, anno 860, summum pontificem rogantes ut et ordinationem Photii et

1. Hæc enim Nicolaus, scribens ad episcopos Franciæ : « Reverentissimos nunc dirigere missos decrevimus, Rhadoaldum scilicet atque Joannem episcopos, *deliciosos et consiliarios nostros.* » (Migne, t. CXIX, ep. 21, p. 802.) Atque in alia epistola : « Nostros duos venerabiles episcopos, Rhadoaldum videlicet sanctæ Portuensis ecclesiæ, et Joannem sanctæ Ficoclensis ecclesiæ antistites, *deliciosos nostros...* direximus. » (Migne, ep. 19, p. 800.)

2. Qua in re sæpe utor Nicolai I litteris, quanquam postea ostendam Anastasium, harum litterarum scriptorem, plura in eas insinuasse, quæ magis suum quam Nicolai animum demonstrent. At in rem præsentem cum nihil afferam quod non summo pontifici fuerit et probatum et perspectum, ex hoc certe quid ille sentiret et vellet colligere fas est.

Ignatii amotionem confirmaret[1], Nicolaus I, quem quidem quantæ cautionis essent Græca quævis negotia latere non poterat, judicium, ante causam perfecte cognitam, ferre recusavit, statuitque legatos mittere Byzantium, qui ipsi rem præsentem inspicerent, atque, audita utraque parte, nulla tamen dicta sententia, ad sedem apostolicam referrent[2].

Hoc erat, ut opinor, magnæ prudentiæ consilium; sed videte quibus tum Nicolaus confiderit, quos homines præcipuo honore habuerit! Ex cuncto episcoporum ordine duos viros elegit, ad hanc provinciam, ut ipsi videbatur, magis idoneos, quorum unus erat Zacharias, antistes Anagninæ civitatis, alter autem, episcopus ille Portuensis, Rhadoaldus[3]. Qui utinam propter emendatos unice mores, non amice etiam præoptatus esset! At vero nec mutatum eum ingenio aut moribus ipsa res declaravit.

1. Hujus legationis mentio est in *Vita Nicolai I* (Vignoli, t. III, p. 181-2), in *Actis conc. œcum. oct.*, act. IV (Migne, t. CXXIX, p. 73), in *Vita Ignatii* (Coleti, *Concilia*, t. X, p. 705), in litteris Nicolai ad imperatorem Michaelem scriptis (Coleti, t. IX, p. 1363). Cf. *Le pape Formose*, p. 121-122.

2. « Præcipiens (Nicolaus) ut quicquid de sacris imaginibus quæstio afferret synodice diffinirent, et ipsius Ignatii patriarchæ Photiique neophyti causam solemniter inquirerent tantum, et sibi renunciarent. » *Vita Nicolai*, c. xx (Vignoli, t. III, p. 182-3). « Nostræ sedis legatos apostolica auctoritate fultos de pluribus prædicti viri Ignatii patriarchæ criminibus intentatis indagandum, et nobis renuntiandum direximus, suspendentes videlicet sententiam expulsionis reverendissimi viri Ignatii, vel Photii receptionis, non in legatorum nostrorum, sed specialiter in nostro examine. » Nicolai *Epistola ad Michaelem* (Coleti, t. IX, p. 1300). Cf. ejusdem papæ *Epistolam ad Orientales patriarchas* (ibid., p. 1289) : *Epist. ad Michaelem* (ibid., p. 1348); *Epist. ad clerum Constant.* (ibid., p. 1371).

3. « Destinavimus autem Vestræ Serenitati *reverendissimos et sanctissimos* episcopum Rhadoaldum videlicet sanctæ Portuensis ecclesiæ, atque Zachariam Anagninæ sanctæ ecclesiæ. » Nicolai *Epist. ad Michaelem imper.* (Coleti, t. IX, p. 1296). « Duos episcopos qui nobiscum erant, quique ad hoc tantum perficiendum opus idonei nobis esse videbantur, Rhadoaldum scilicet et Zachariam, una cum ecclesia quæ apud nos est, datis litteris tam ad Augustum quam ad Photium direximus. » Nicolai *Epistola ad clerum Constantin.* (Coleti, t. IX, p. 1371). Cf. Nicolai *Epist. ad Michaelem* (ibid., p. 1348), *Epist. ad Orient. patriarchas* (ibid., p. 1289); et *Vitam Nicolai I*, c. xx (Vignoli, t. III, p. 182).

Postquam enim ambo legati Constantinopolim venissent, non modo societatem cum Photio habuerunt atque in sacris ritibus vetitam communionem, verum etiam, Photianorum capti muneribus[1], litem ipsam non dubitarunt dirimere, sedenteque in urbe Byzantina frequentissimo concilio, Ignatium jure ac merito condemnatum depulsumque dignitate judicarunt[2].

Ex his sane jam perspici potest Rhadoaldum episcopum Portuensem, quanquam olim cum Anastasio rebellantem, tamen magna in laude fuisse et in gratia cum Nicolao. Quid vero ex iis quæ acta sunt post novam illam proditionem?

Atqui Rhadoaldus ejusque collega, cum Romam, ineunte anno 862, regressi sunt[3], nihil habuerunt antiquius quam ut famam comprimerent infidelitatis suæ, summumque pontificem multa ementiendo deciperent[4]. Quæ quidem

1. « Pecunia illic corrupti more Vitalis atque Miseni. » *Vita Nicolai* (ibid.). Δώροις μὲν παρὰ Φωτίου. *Epistola Styliani ad Stephanum V* (Coleti, t. X, p. 904).

2. « At illi euntes, spretis monitis nostris, contemptis epistolis sibi a nobis coram tota ecclesia nostra datis, immo postposito timore Dei, sicuti postea claruit, in contrarium verterunt omnia quæ sibi fuerunt imperata. Denique et cum Photio adultero, ac ecclesiæ invasore, atque neophyto, quod sibi multipliciter prohibitum fuerat, in sacrosancta mysteria communicarunt, et Ignatium, virum senem et sanctum... Græcorum factioni perniciosissimæ concinnantes damnaverunt et sacerdotalibus infulis exspoliatum ab ecclesiæ regimine modis omnibus expulerunt. » Nicolai *Epist. ad Orient. patriarchas* (Coleti, t. IX, p. 1290). Cf. *Epist. ad cler. Const.* (ibid., p. 1373), *Epist. ad Michaelem* (ibid., p. 1349); Nicetæ *Vitam Ignatii* (ibid., t. X, p. 709); Ignatii *Libellum ad Nicolaum I* (ibid., p. 769); *Acta syn. Byzant.* (Deusdedit, p. 505-513.)

3. Litteræ enim illæ, quas Nicolaus paulo post regressos eos legatos, cum ad Michaelem imperatorem, tum ad Photium scripsit, datæ sunt die 18 mensis aprilis a. 862. Cf. Jaffé, *Regesta*, n. 2690, 2691.

4. « Porro præfati missi nostri tandem reversi, nihil aliud renuntiavere nisi depositum Ignatium et Photium in sede Constantinopolitana firmatum. » Nicolai *Epistola ad Orientales patriarchas* (Coleti, t. IX, p. 1290). Cf. ejusdem papæ *Epist. ad cler. Const.* (ibid., p. 1374). Illi vero postea, teste etiam Nicolao, multa ad excusationem finxerunt, asseverantes se « minis imperatoriæ potestatis fuisse deterritos », et « horrendis terroribus impulsos » (v. Ni-

istorum fallacia vix credibile est quo pacto potuerit apud Nicolaum succedere.

Etenim, duobus tantum diebus post eos reduces ex itinere Byzantino, Romam etiam ab urbe Constantinopoli venerat Leo a secretis, et Acta recentis concilii Byzantini, et Michaelis imperatoris litteras ferens[1], quibus cuncta rerum gestarum series cuilibet legenti innotescere plane poterat[2]. Ad hæc accesserat ipsius Leonis testimonium, qui semel ac sæpius præsens coram summo pontifice cœtuque Romanorum præsulum Rhadoaldo et Zachariæ exprobravit versutiam, eosque fuisse Ignatianæ condemnationis participes firmissime affirmavit[3]. Quid?

colai *Epist. ad cler. Const.*, Coleti, t. IX, p. 1373; Nicolai *Epist. ad Michaelem*, ibid., p. 1349). Aiebant etiam passos esse se «continuas pediculorum comestiones», ac sibi «per centum dierum spatia omnium nisi suorum alloquendi facultatem fuisse denegatam». Nicolai *Epistola ad Photium* (Coleti, ibid., p. 1307).

1. «Post duos vero dies legatus a nobis imperialis, nomine Leo a secretis, susceptus, duo volumina obtulit : quorum unum depositionis Ignatii gesta continebat, alterum autem de sanctis habebat imaginibus acta. Detulit præterea idem Leo imperiales litteras deprecantes, quatenus et in depositione Ignatii et in confirmatione Photii consensum præberemus et subscriberemus.» Nicolai *Epist. ad Orient. patriarchas* (Coleti, ibid., p. 1290). Cf. Nicolai *Epist. ad cler. Constant.* (ibid., p. 1374).

2. Quod ipse Nicolaus postea confessus est, ad clerum Constantinopolitanum scribens legatorum suorum infidelitatem non statim sibi fuisse manifestam, «*quamvis*, ait, *hoc et illa concilia, quæ imminentibus illis Constantinopoli celebrata sunt, videlicet tam id quod adversus patriarcham Ignatium, quam id quod pro sacris imaginibus collectum est, patenter innuerint, et imperialis epistola clare denuntiaverit*» (Coleti, t. IX, p. 1375). Atque hoc etiam nunc perspicere quivis possit; Acta enim ejus concilii, in quo Ignatius a Rhadoaldo et Zacharia damnatus est, ex parte adhuc exstant sermone latino apud Deusdedit (*Collectio canonum*, p. 505-512), de quibus ego plura dixi in *Formoso* meo (*Le pape Formose*, p. 123-4). Quod si cui idonea esse videtur ea excusatio, quod Nicolaus, in græca lingua peregrinus, hæc tantum græce scripta tum temporis habuerit, hoc non nobis grave est, nec obest consilio nostro.

3. Id etiam ex confessione Nicolai comperimus, qui se ait legatos suos non proditores existimasse, «quamvis hoc... Leo a secretis regius, his negantibus, in facie sæpissime, atque constantissime, coram nobis et primoribus ecclesiæ nostræ jam dixerit». Nicolai *Epist. ad cler. Constant.* (Coleti, t. IX, p. 1375).

Interea ad sedem apostolicam accesserunt cum Græci plures monachi[1], tum Theognostus, monasterii cujusdam Byzantini archimandrita, vir Ignatianis partibus addictissimus[2], qui non modo ea quæ Constantinopoli gesserant legati duo Romani oculis comperta habuerat, sed etiam Romam attulerat gravissimum quoddam facti documentum. Reddidit enim Nicolao libellum illum qui exstat adhuc græcis litteris[3], in quo Ignatius se a Rhadoaldo et Zacharia, tanquam auctoritate sedis apostolicæ, fuisse condemnatum gravissime querebatur[4].

At frustra omnia : episcopus ille Portuensis, tot ac tantis indiciis oppressus, Nicolai pontificis non solum offensam nullam subit, sed novis etiam provinciis statim præponitur multisque ornatur laudibus. Hæc enim, ut supra dixi, ante medium annum 862. Porro post dies aliquot, in judicio sedis apostolicæ alia causa versata est, quæ, quemadmodum Ignatiana res, et summam habebat difficultatem et prudentiam. Rex enim Hlotharius, dimissa Thietberga uxore legitima, Waldradam antea jam concubinam matrimonio sibi rite junxerat. Omnem rem a prima origine hic narrare longum est, neque ad

1. V. *Le pape Formose*, p. 142.

2. Ζήλῳ κινηθεὶς ὁ μοναχὸς Θεόγνωστος ὁ ἀρχιμανδρίτης, καὶ διὰ κοσμικῆς στολῆς λαθραίως καὶ αὐτὸς εἰς Ῥώμην ἐπιδημεῖ. Styliani *Epist. ad Stephanum V* (Coleti, t. X, p. 905). Hunc autem Romam advenisse exeunte circiter a. 861 testis est Hadrianus papa II, qui ad Ignatium scribens, mense Augusto a. 868, hæc de Theognosto ait : « apud memorias apostolorum per septem ferme annorum curricula ut hospes et advena demoratus ». Hadriani II *Epist. ad Ignatium* (Migne, *P. L.*, t. CXXII, p. 1278). Cf. *Le pape Formose*, p. 142-3.

3. Id est in illa quam vocant *Epitome concilii VIII*, et quæ est apud Coleti, t. X, p. 681 sqq. Hoc autem Ignatii scriptum Romam a Theognosto fuisse allatum declaratur in ejusdem titulo, in quo est sic : Λίβελλος περιέχων πάντα τὰ κατὰ τὸν μέγαν Ἰγνάτιον, πεμφθεὶς πρὸς Νικόλαον πάπαν Ῥώμης προσωποποιηθεὶς ὑπὸ Θεογνώστου μοναχοῦ καὶ ἀρχιμανδρίτου τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, καὶ ἐξάρχου Κωνσταντινουπόλεως εἰς ὄνομα Ἰγνατίου τοῦ πατριάρχου. (Coleti, t. X, p. 765-7.)

4. V. Coleti, ibid., p. 769.

propositum nostrum spectat[1]; id tantum dicamus, Nicolaum papam I, postquam longas moras fecisset, hanc litem anno 862, tempore autumnali, statuisse dirimere[2]. Quapropter duos legatos delegit, qui in Franciam proficiscerentur, atque ipsi, cum generali synodo in urbem Mettensem congreganda, causam diligentissime audirent sententiamque dicerent ex bono et æquo[3].

Re quidem vera non dubium est quin Nicolaus ad hoc tantæ cautionis negotium viros integerrimos, quos neque dona principum, neque episcoporum artes ab officio obeundo dimoverent, in animo habuerit designare. Sed, o mentem inclinatam benevolentia! illum ipsum episcopum Portuensem, nuperrime a Michaele imperatore Photianisque præsulibus corruptum, huic novæ legationi aptissimum judicavit, idque eo maxime tempore cum esset Rhadoaldus, si non manifestus proditionis, at certe positus in suspicione gravissima, atque, ut ita dicam, in media accusatione. Missus est enim Rhadoaldus in Franciam die 23 mensis novembris anni 862[4], tumque is erat tanti factus a summo

1. Hujus negotii brevis complexio est in epistola quadam Nicolai I ad episcopos Germaniæ scripta (v. Migne, t. CXIX, p. 1164 sqq.); atque ex recentioribus historicis nonnulli omnia accurate et ordine exposuerunt, e. gr. Hefele (*Histoire des conciles*, t. V, p. 434-6, 462-5, 472-492, 509-528), et in primis E. Dümmler (*Geschichte des ostfränkischen Reichs*, t. I, p. 446-459, 476-8, 503-515, 571, 575-79, 596, 598, 600-3, 611-614, 666-9, 677-685).

2. V. Dümmler, op. l., p. 477-8; Hefele, op. l., p. 473-4.

3. « Qui... subtili cuncta indagatione, rectaque valde inquisitione, secundum Deum et venerabiles sanctorum Patrum institutiones, examinare ac definire decertent. » Nicolai *Epistola ad Carolum Calvum* (Migne, t. CXIX, p. 799). V. etiam, ibid., p. 798-803, ep. 17, 19, 21, et *Commonitorium ad legatos* (Migne, ibid., p. 1179), quod quidem missum est, quemadmodum epistola illa quæ vicesima est apud Migne, postquam legati in Franciam venissent (v. notam proximam).

4. Apostolicæ litteræ Rhadoaldo proficiscenti datæ sunt : « IX Kalendas Decembris, indictione XI ». V. Nicolai *Epist. ad Hlotharium* (Migne, t. CXIX, p. 798; Jaffé, n. 2698); *Epist. ad Carolum Calvum* (Migne, p. 799; Jaffé, n. 2699); *Epist. ad Hludowicum imp.* (Migne, p. 800; Jaffé,

pontifice, ut, in litteris apostolicis quas ferendas profecturus acceperat, eum Nicolaus appellaverit « deliciosum suum, episcopum sanctissimum, virum pollentem scientia et strenuitate »[1].

Quæ sane sanctitas atque strenuitas, cujus essent generis mox apparuit clarissime. Quod enim Rhadoaldus Byzantii jam patraverat, hoc in Francia non dubitavit committere. Hic rursus regiis corrumpitur muneribus[2], hic litteras a Nicolao datas rursus dissimulat[3], idem, in synodo Mettis habita, ratum ac justum esse pronuntiat Hlotharii regis adulterium[4]. Accedit ut Rhadoaldus, non Johannes lega-

n. 2701); *Epist. ad episc. in concilio Mettensi const.* (Migne, p. 803; Jaffé, n. 2702); *Epist. ad Carolum Calv.* (Migne, p. 804; Jaffé, n. 2703). Has quidem litteras Rhadoaldus ejusque collega sibi in Franciam ingredientibus ablatas esse dixerunt (v. Nicolai *Epist. ad episc. in regno Hludowici constit.*, Migne, t. CXIX, p. 1166); quo audito, Nicolaus ad eos quatuor alias epistolas misit quarum duæ adhuc exstant, id est, *Commonitorium ad Rhadoaldum et Johannem*, et *Litteræ ad episcop. Germaniæ et Galliæ* (v. Migne, ep. 157 et 20, ibid., p. 1179 et 800; Jaffé, n. 2726, 2725). Mihi vero cogitanti istos legatos ne eas quidem litteras quas a Nicolao novissime acceperant legendas, in synodo Mettensi, dedisse (v. infra, n. 2), maxima suspicio est astutiæ causa esse mentitos.

1. « Legatos nunc, sicut diximus, nostros duos venerabiles episcopos, Rhadoaldum videlicet sanctæ Portuensis ecclesiæ et Joannem sanctæ Ficoclensis ecclesiæ antistites, *deliciosos nostros*... direximus. » Nicolai *Epist. ad Hludowicum II imper.* (Migne, ibid., p. 800). « En, Christo juvante, *stenuitatis pollentes scientia atque doctrina*, reverentissimos nunc dirigere missos decrevimus, Rhadoaldum scilicet atque Joannem episcopos, *deliciosos et consiliarios nostros.* » Nicolai *Epist. ad episcopos in conc. Mett. residentes* (Migne, ibid., p. 802-3). « ... præsentibusque legatis, Rhadoaldo videlicet et Joanne, reverentissimis et sanctissimis episcopis, deliciosis nostris. » Nicolai *Epist. ad Carolum Calv.* (ibid., p. 803).

2. « In qua synodo (Mettensi) præfati missi, corrupti muneribus, epistolas domini apostolici occultantes nihil de his quæ sibi commendata fuerunt secundum sacram auctoritatem egerunt. » Hincmari *Annales*, a. 863 (Pertz, *SS.*, t. I, p. 460). « Sed corruptis, immo et favorem suum traductis legatis nostris, quod libuit, patravit (Hlotharius). » Nicolai *Epist. ad episc. in regno Hludowici constitutos* (Migne, ibid., p. 1166).

3. Hincmari *Annales*, l. c. Cf. Hefele, *Histoire des conciles*, t. V, p. 479.

4. Hincmari *Annales*, l. c. Hæc autem synodus habita est « circa medium mensem Junium » (ibid.).

tus alter, dux ejus proditionis fuisse videatur. Adventius enim episcopus Mettarum, qui aderat in hac synodo, totam facti invidiam in episcopum Portuensem rejecit[1].

Verum vero Rhadoaldum Portuensem, cum in Franciam profectus est, eam famam sanctitatis apud Nicolaum retinuisse eo magis mirum est quod, illo episcopo vix Roma egresso, Zacharias, antistes Anagninæ civitatis, qui ejusdem legationis Byzantinæ particeps fuerat cum Rhadoaldo, cujusque scelus, ut ipse Nicolaus deinceps declaravit, non majus, sed par omnino erat[2], subito in judicium a summo pontifice vocatus est[3], atque, scriptis illis, quæ jam pridem erant in manibus Romanorum, latine recitatis,

1. Scribens enim ille Nicolao papæ I, postquam Arsenium Hortensem, qui tum in Galliis legatione apostolica fungebatur, multis extulisset laudibus, incidit in mentionem concilii Mettensis hoc modo : « O utinam Radoaldus quondam legatus vester, sicut iste (Arsenius), decertasset, et nobis per omnia vestra mandata denudasset. » Adventii *Epist. ad Nicolaum* (Baronius, *Annales*, a. 865, n. LVII).

2. Anno enim post hæc tertio, Nicolaus papa, reddens rationem cur Rhadoaldo tandem eamdem pœnam constituisset, qua prius affecerat Zachariam, hoc modo causatus est : « Dignum quippe fuit, ut par iniquitas par gigneret utrique judicium, et æqualitas esset in retributione, quibus parilitas exstitit in transgressione » Nicolai *Epistola ad clerum Constant.* (Coleti, t. IX, p. 1375).

3. Quo tempore fuerit de Zacharia judicatum, necesse est hoc loco dicere diligenter. Ac primum id hiberno anni tempore actum esse constat inter eruditos (v. Jaffé, *Regesta*, p. 350; Hefele, t. V, p. 481); narravit enim Nicolaus eam synodum, ad quam Zacharias vocatus erat, primum fuisse congregatam ad Sancti Petri, deinde vero, « propter frigidiorem locum », in basilicam S. Salvatoris esse translatam (v. Nicolai *Epist. ad cler. Constant.* citatam paulo inferius, p. 83, in nota 1). Præterea accepimus Photium ejusque fautores a Nicolao primum damnatos fuisse in synodo habita undecima indictione, quæ a mens. sept. a. 862 ad mens. sept. a. 863 pertinet. Est enim sic in *Actis concilii œcumenici VIII :* « Ab undecima enim indictione damnavit eos synodice sanctissimus papa Nicolaus » (Migne, t. CXXIX, p. 67). Itaque, cum sit Zachariæ causa, quemadmodum ex litteris Nicolai manifestum est, judicata in eadem synodo quæ primum Photianos damnaverat (v. Nicolai *Epist. ad cler. Constant.*, Coleti, t. IX, p. 1376 sqq.; *Epist. ad Orient. patr.*, ibid., p. 1308 sqq.), sequitur ut is Rhadoaldi collega in jus vocatus fuerit anno 862 exeunte aut ineunte a. 863; dicam fortasse verius exeunte a. 862, prima videlicet hieme; sic enim intelligitur facilius quo pacto episcopi, ingravescente frigore, in alium locum migraverint. Ex quo jam perspici potest quam cito,

ex eis factus est proditionis manifestus, condemnatusque et episcopatu dejectus. De Rhadoaldo Nicolaus sententiam ferri noluit : « quia, ait, propter absentiam haberi ad præsens non poterat[1]. »

Nihil est quidem, meo judicio, quod Nicolaus I arguatur malitiose in hac re egisse, utque a solo Zacharia pœnas sumeret, exspectasse ex industria dum procul abesset Rhadoaldus. Nec tamen satis est, ad eam rem explicandam, id quod pontifex de se suaque animi commutatione ad Byzantinos scribi jussit[2], primum legatis suis illatum cri-

post egressum Roma Rhadoaldum, voluntatem immutaverit Nicolaus; siquidem episcopus Portuensis non in Franciam profectus est ante diem 23 mensis novembris a. 862. V. supra, p. 80, n. 4.

1. Audiatur de his Nicolaus, cujus in litteris sic narratur ex quo et quando ipse legatorum suorum perspexerit scelus, cur, absente Rhadoaldo, in solum Zachariam statuerit : « Sed procedente tempore, murmur multorum ab aliis partibus Romam venientium, quinimmo persecutiones a fautoribus Photii commotas fugientium, sensim eosdem cœpit episcopos muneribus fuisse corruptos diffamare, et quod communicassent Photio, et deposuissent Ignatium, divulgare. Quo audito, nimio dolore repleti, qualiter ab Ecclesia Christi, cui divina dignatione præsumus, non habente maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sinistram procul fac remus suspicionem, videlicet, ne in hanc saltim tenuis subsannandi oriretur occasio, cogitare cœpimus, et mente revolvere. Tunc convocato multarum provinciarum occidentalium regionum sanctissimorum episcoporum cœtu, et collecta sancta synodo in ecclesia Dei, in qua beatus Petrus apostolorum princeps redolet et virtutibus emicat, deinde propter frigidiorem locum in ecclesia Salvatoris, quæ ab auctore appellatur Constantiniana et quæ prima in toto terrarum orbe constructa est, ibique recitatis omnibus scripturis de græco sermone in latinum conversis, tam videlicet nefanda synodo, quæ per jam fatum Leonem a secretis apostolicæ sedi delata est, quam etiam imperiali epistola : in quibus omnibus existimata depositio Ignatii continebatur; et deductus in medium Zacharias tunc episcopus, quia Rhadoaldus propter absentiam haberi ad præsens non poterat, et discussus, et diligenter examinatus, inventus est in depositione Ignatii et communione Photii omnino culpabilis, in quo idem Zacharias se obnoxium recognoscens proprio ore ac proprio scripto se Constantinopolim a sede apostolica directum iisse et quæ sibi a nobis agenda fuerant injuncta neglexisse... Tunc decernente sancta nobiscum synodo, depositionis et excommunicationis suæ sententiam præfatus Zacharias accipiens, foveam quam aliis præparavit incidit. » Nicolai *Epist. ad cler. Const.* (Coleti, t. IX, p. 1375). Cf. *Epist. ad Orient. patriarchas* (ibid., p. 1307-1308).

2. V. Nicolai *Epist. ad cler. Const.* (ibid., et supra in n. 1).

men non sibi fuisse manifestum, sed, cum Romam ex Orientis partibus fama venisset eorum proditionis, tum se esse mutatum sententia atque in proditores sævire cœpisse. Namque, ut jam probavimus[1], ante Rhadoaldum Roma egressum, nihil Nicolaum pupugerat Leonis a secretis testimonium, nihil Ignatii ad sedem apostolicam provocatio, nihil Theognosti oratoris crebra concursatio et contentio[2]. Quocirca hujus immutatæ voluntatis ea causa est verior, nimirum episcopum Portuensem, ut erat magnæ apud Nicolaum auctoritatis, omnem vim accusandi, dum præsens adstabat sedi apostolicæ, frangere valuisse, at, postquam abiisset procul, ruisse indignationem Romanorum liberius; qua commotus pontifex necesse habuerat rem diligentius inquirere, ac demum, causa audita, opinionem falsam abjicere ac Rhadoaldi fiduciam.

Quanquam ne post hæc quidem Nicolaus in episcopum Portuensem adeo celeriter consuluit; quemque constat in puniendo neque mollem nec tardum fuisse, idem papa a judicando Rhadoaldo rursus plus annum abstinuit, severitatemque factam quodam modo necessariam mitigavit omnibus condimentis indulgentiæ. Etenim Rhadoaldus, Romam ex Francia regressus, ante hiemem anni 863[3], ea quæ Mettis nuperrime egerat, dissimulare quidem non potuit; sed tum Romam arcessiverat duos archiepiscopos Germaniæ, Theutgaudum Trevirensem et Guntharium Coloniensem, sperans se cum iis amplissimis præsulibus ipsum summum pontificem Hlothario adultero conciliare

1. P. 78-79.

2. Præter Ignatii appellationem, quam Nicolao obtulerat, Theognostus monachus, ut primum Romam venisset, in lacessendo de hac re summo pontifice et creber et acerbus fuit. Hæc enim de illo Hadrianus papa II : « A die adventus sui usque ad præsens... Ecclesiæ vulnera et horum medelam exiger non destitit. » Hadriani II *Epistola ad Basilium imper.* (Migne, *P. L.* t. CXXII, p. 1276). Cf. Lapôtre, *Le pape Formose*, p. 143.

3. V. Hincmari *Annales*, a. 863 (Pertz, *SS.*, t. I, p. 460).

posse[1]. Ad hanc sane flagitiosam voluntatem nequaquam accessit Nicolaus; quinimmo cum Guntharium, tum etiam Theutgaudum, fautores illos regiarum libidinum[2], perpetuo mulctavit anathemate deque omnibus honoribus episcoporum dejecit[3]. Episcopum vero Portuensem, ejusdem criminis reum, summus pontifex ne judicari quidem voluit, iterum excusans ejus absentiam; quanquam tum Rhadoaldus non officio, ut antea, sed contumacia aberat; is enim, ante judicium aliquot diebus[4], nocte sese dederat in fugam[5]. Et quidem sex menses circiter Nicolaus exspectavit donec fugitivo episcopo Romam repetere liberet, nec quidquam aliud interea egit nisi jussit eum remigrare ad sedem apostolicam[6].

1. V. Hincmari *Annales* (ibid.). Cf. *Vitam Nicolai,* c. XLVII (Vignoli, t. III, p. 197).

2. V. ex multis, Nicolai *Epist. ad episc. in regno Hludowici constit.* (Migne, t. CXIX, p. 1164 sqq.)

3. V. *Nicolai Vitam,* c. XLVII-L (Vignoli, ibid., p. 197-9). Inveniuntur autem hujus concilii decreta in quadam Nicolai epistola, quam in suos *Annales* transcripsit Hincmarus. V. Hincmari *Annales,* a. 863 (Pertz, I, 460-462). Vide etiam Nicolai *Epistolam ad episcopos in regno Hludowici constit.* (Migne, t. CXIX, p. 1166-1170). Hanc vero synodum constat habitam fuisse circa diem 30 mensis octobris a. 863. V. Jaffé, *Regesta,* p. 351.

4. Id est mense octobri a. 863. V. notam superiorem.

5. « Noctu fuga lapsus disparuit. » Hincmari *Annales* (ibid.). Quam novam Rhadoaldi contumaciam suamque indulgentiam, ipse Nicolaus narrandam in suis litteris curavit in hunc modum : « Igitur rediens Rhadoaldus a Galliis, ubi non minora quam in Constantinopolitana urbe perperam gesserat, et collegam suum tale quid pertulisse cognoscens, quin potius conscientia propria stimulatus, expavit. Quod nos intuentes ne quid formidaret, illum admodum sumus hortati, subjungentes duntaxat præter examen synodi nihil in illum nos esse moturos : sed neque ei sine culpa prolata, fore aliquid adversi laturos : sed quia fugit impius nemine persequente, dum nihil mali et sufficientibus nostris frueretur bonis, ante tempus synodi, ante sui purgationem, ecclesiam et parochiam propriam deserens ad alias diœceses, examen utique subterfugiendo, se contulit. In quibus diutius eo morante, apostolico moderamine freti, canonicam, quam merebatur, ultionem, super eum inferre distulimus; ne videlicet ad vindictam faciles, vel videremur esse præcipites. » Nicolai *Epist. ad Orientales patriarchas* (Coleti, t. IX, p. 1312).

6. « Quamobrem destinatis in diversa loca cum epistolis, id est ubi solus illum rumor latitare fatebatur, missis nostris, videlicet sanctissimis episcopis,

Redit tandem Rhadoaldus, at rebellans apertius interque armorum strepitum et terrorem. Namque, ineunte vere anni 864, Hludowicus imperator, comitante, ut solebat, ambitiosa ejus conjuge, civitatem Leoninam cum gladio ingressus erat; id enim obtinere quacumque arte statuerat ut episcopi recens ejecti, Guntharius maxime et Theutgaudus, in suos honores a summo pontifice restituerentur [1]. Ergo tum misceri omnia magno tumultu; sacerdotes verberari, stuprari sacræ virgines, monasteria, templa, aræ violari [2]. Quæ dum miserabiliter agerentur, repente, in ædibus S. Petri, ante conspectum summi pontificis obtulit sese Rhadoaldus, non clementiam quidem efflagitans, sed quasi suum repetens ore durissimo [3].

Quid tum vero Nicolaus? Tertium moram vindictæ et impedimentum facit. Namque antea, cum de Zacharia Anagnino antistite, aut de Gunthario Theutgaudoque ageretur, eorum causa, ne interesset dilatio, coram præsulibus ecclesiæ Romanæ aut proximarum aliquot provinciarum disceptata tantum fuerat [4]; at de Rhadoaldo Portuensi Ni-

ratum eum duximus convocari. Sed ille diversas latebras penetrando, utpote filius noctis et tenebrarum, qui opera lucis et diei semper refugiens, causam suam ad manifestationem justitiæ solis deduci formidat, quousque valuit, nobis obedire despexit. » Nicolai *Epist. ad Orient. patriarchas* (Coleti, t. IX, p. 1312).

1. V. Hincmari *Annales*, a. 864 (Pertz, I, 462-3).

2. V. Hincmari *Annales* (ibid., p. 463-4). Cf. *Vitam Nicolai*, c. L (Vignoli, t. III, p. 199-200).

3. « Et cum nos inter furentium adversariorum linguas et manus apud beatum Petrum apostolum degeremus, ipse (Rhadoaldus) insperatus super nos hostis, inter hostes irrupit. » Nicolai *Epist. ad Orient. patriarchas* (Coleti, ibid., p. 1312).

4. Guntharium quidem et Theutgaudum coram episcopis Romanæ tantum ecclesiæ esse condemnatos, Nicolaus his verbis confessus est : « coram episcoporum nostrorum cœtu, qui nobiscum aderant, atque coram ipsis Theutgaudo scilicet et Gunthario... depositionis sententiam dedimus. » Nicolai *Epist. ad episc. in regno Hludowici constit.* (Migne, t. CXIX, p. 1167). Quod etiam ipsi archiepiscopi, tanquam contra canones patratum, Nicolao acerbissime exprobrarunt (v. *Capitula Theutgaudi et Guntharii*, ap. Pertz, *SS.*, t. I,

colaus existimavit rem esse denuo inquirendam in concilio generali, ad quod nimirum ex longinquis partibus Occidentis arcesserentur plures episcopi, quodque ob eam ipsam causam in multos menses oportebat rejicere [1].

Interea vero episcopo Portuensi per summum pontificem licebat stare suo statu et fortuna, suisque, ut antea, amicis et opibus frui; id tantum prohibitus erat fugam, injussu papæ, capessere [2]. Quibus tamen imperatis non paruit Rhadoaldus, sed, cum instaret indicta dies concilio, profugus ex diœcesi Portuensi abiit [3]. Quod cum Nicolaus audivisset, intellexit rei absentiam perpetuo excusari non

p. 464 et 377). Quod autem ad Zachariam spectat, qui, quemadmodum supra diximus, una cum Photio damnatus est, Nicolaus et Byzantinis et Orientalibus patriarchis nuntiavit id factum fuisse « convocato multarum provinciarum occidentalium regionum sanctissimorum episcoporum cœtu » (Nicolai *Epist. ad clerum Constant.*, Coleti, t. IX, p. 1375; cf. *Epist. ad Orient. patriarchas*, ibid., p. 1308); at hæc a pontifice, nisi malis ab Anastasio (v. infra, in c. V), nimis magnifice dicta videntur. Nicolaus enim, ad hoc concilium non modo Gallias aut Germaniam convocasse non legitur, verum etiam cum sit de Zacharia statutum, ineunte a. 863 aut verius a. 862 exeunte, paucis videlicet diebus post egressum in Franciam Rhadoaldum (v. supra, p. 82), fieri nequaquam potuit ut, hoc dato temporis intervallo, Romam ex longinquis regionibus et episcopi vocarentur et venirent.

1. Id est, ad kalendas novembres a. 864. Namque ea est synodus quam Nicolaus, teste Hincmaro, « Romæ convocat circa kalendas novembris, indicans se in ea eorumdem olim archiepiscoporum (Theutgaudi et Guntharii) depositionem denuo confirmaturum, et tractaturum de causa Lotharii et Ignatii, Constantinopolitani episcopi ». Hincmari *Annales*, a. 864 (Pertz, I, 466).

2. « ... Admonuimus eum, quatenus sicut prius nullam in partem sine nostra licentia a Romana discederet urbe : sed in ea residens, sine timore suis licenter utens, et amicos ac homines suos libere possidens, tempus synodi qua purgandus esset, intrepidus exspectaret, sciens profecto nihil se injustum ante, vel post, præter examen synodicum, fore passurum : sed in justitia, quam haberet, esse mansurum. Insuper etiam sciret, si quoquam a Romana sine licentia nostra discesserit urbe, quia ex tunc esset depositus et excommunicatus. » Nicolai *Epist. ad Orient. patriarchas* (Coleti, t. IX, p. 1312-3).

3. « Sed spretis satisfactionibus nostris, atque sententiis in se prolatis, immo spretis sanctorum patrum constitutionibus, sine licentia nostra propriam ecclesiam despolians, et lupinis dentibus oves sibi creditas deserens ad alias diœceses, imminentem synodum fugiens, discessit. » Nicolai *Epist. ad Orient. patriarch.* (Coleti, ibid., p. 1313).

posse, veritusque ne ecclesia Romana, « nondum habens maculam, propter personam in tantis prævaricationibus diffamatam, horrendo nævo[1] » macularetur, tandem aliquando omnem abjecit clementiam. Itaque congregantur in basilicam Constantinianam episcopi multi, quaque jam pridem fuerat Zacharias, eadem sero Rhadoaldus punitur excommunicatione omnique sacerdotali dignitate dejicitur[2].

Hæc autem acta sunt circa kalendas novembres anni 864[3], id est, post legationem Rhadoaldi Byzantinam anno quarto, septimo autem anno ex quo Nicolaus sedem apostolicam obtinere cœperat. Tanta Romæ fuerat, temporibus illis, auctoritas viri illius, qui olim cum Arsenio episcopo Hortensi conjuratus, Anastasium cardinalem S. Marcelli presbyterum in summo pontificatu occupando adjuverat; adeo jam constat istius factionis homines Nicolai papæ benevolentiam et favorem sibi conciliasse !

IV. Hæc de Rhadoaldo episcopo. Auctor vero et princeps ejusdem seditionis, Arsenius, Hortensis episcopus Anastasiique pater, qua sit, Nicolao papa I, fortuna usus et favore, quibus functus muneribus, multo etiam utilius est indagare.

Anastasius jam tum bibliothecarius ecclesiæ Romanæ,

1. Nicolai *Epist. ad Orient. patriarch.* (Coleti, ibid., p. 1312.)

2. « Quapropter convocata sanctissimorum episcoporum numerosa et venerabili synodo in superius memorata ecclesia Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, auctoritate Dei omnipotentis, et beatorum Petri et Pauli apostolorum principum, et omnium simul sanctorum, quorum regulas et decreta multipliciter violavit, necnon et nostri apostolatus judicio, deposuimus eum, et a corpore et sanguine Christi excummunicavimus. » Nicolai *Epist. ad Orient. patriarch.* (ibid.).

3. Rhadoaldum quidem paulo ante esse condemnatum, anno nempe medio, opinatur Hefele (*Histoire des conciles*, t. V, p. 488); at id Ph. Jaffé circa kalendas novembres accidisse multo verius existimabat (*Regesta*, p. 355), propterea quod episcopus Portuensis, ut ex narratione Nicolai compertum est (v. supra, p. 87), fugam tum capessiverat cum ea synodus immineret, quam ex altera parte novimus vocatam esse in kalendas novembres (p. 87, n. 1).

cum scriberet ad Adonem, Viennensem episcopum, confessus quidem est Arsenium aliquando a recta regione deflexisse partesque tenuisse Hludowici imperatoris, sed fuisse ejus defectionis causam, quod multa in eum infeste fecisset Nicolaus[1]. Non veri simile est quantum, in hac re, parentis studio, Anastasius vera cum falsis confuderit. Arsenium enim ad imperatorem, propter infensum sibi Nicolaum, aliquando defecisse, falso ita dicitur, ut ante illum papam, quemadmodum supra scriptum est[2], is Hortensis episcopus, Hludowici princeps factionis in urbem Romam invasisset, ut ab ipso Nicolao, annos fere novem, amplissimas tenuerit dignitates, ut ejusdem papæ offensionem nullam subierit, nisi extremo illius pontificatu, postquam nempe Arsenius tot ac talia fecisset, quæ jam nec tolerari possent neque celari.

Erat, temporibus illis, inter Romanos magistratus, unus apocrisiarius sedis apostolicæ, cujus erant partes personam gerere summi pontificis agereque illius auctoritate cum imperatore ac regibus[3]. Ad hoc munus obeundum, is interdum peregre proficiscebatur[4], sed rebus ibi compositis, Romam redibat, in qua urbe, cum maxime seculo nono summi pontifices in re publica aliarum nationum sæpe ver-

1. «... Arsenii, quamvis idem, eo quod inimicitias multas obeuntis præsulis pertulerit, ac per hoc imperatori faveat, a studio ecclesiasticæ correctionis paululum refriguisset. » Anastasii *Epistola ad Adonem* (Migne, t. CXXIX, p. 742). Hanc autem epistolam paucis diebus post Nicolaum mortuum scriptam esse constat. V. supra, p. 13-14.

2. V. p. 59 sqq.

3. De apocrisiariis Romanis consulendus est J. Roy (*Du rôle des légats de la cour de Rome en Orient et en Occident du* IV[e] *au* IX[e] *siècle*), cujus disputatio continetur volumine XXXV collectaneorum inscriptorum : *Bibliothèque de l'École des hautes études.*

4. Præter Arsenium, quem nos infra in Gallias Germaniamque legatum esse narrabimus, invenimus etiam in Annalibus Hincmarianis, Johanne papa VIII, missum fuisse ad Carolum Calvum Leonem, Gavinensem illum episcopum, qui recte ab Hincmaro appellatur «apocrisiarius ac nepos apostolici ». Hincmari *Annales*, a. 876 (Pertz, I, 500).

sarentur, erat tum apocrisiarius sedis apostolicæ quasi regni minister a rebus præcipue quas vocant externorum [1]. His igitur muneribus et dignitati Nicolaus Arsenium Hortensem præposuit. Factus est a Nicolao pater Anastasii et apocrisiarius et consiliarius ecclesiæ Romanæ [2]; qui, cum esset, eodem tempore, Hludowici imperatoris vicarius et familiaris [3], jam perspici potest quantam vim in rebus Romanis, quod pondus habuerit.

Ac re quidem vera ad Arsenium, Nicolao papa, multa venerunt magnique momenti negotia. Hic primum, ineunte illo pontificatu, in Gallias missus est; de qua legatione hoc unum novimus, grandem pecuniam, quæ ex patrimoniis ecclesiæ Romanæ redibat, in ea regione ab Arsenio esse coactam, sed eum nihil aut tantulum retribuisse summo pontifici, quod ei fures, dum in Galliis versaretur, magnam thesauri partem surripuissent [4]. At in hoc vehementer suspicor ipsum furem fuisse Arsenium, non modo quia ille, ex

1. Hoc tantum de seculo nono; nam, superioribus ætatibus, et erant aliquando plures simul apocrisiarii sedis apostolicæ, et illi apud exteros principes commorabantur; quos ideo æquipare solent verius iis legatis pontificiis qui hodierno die vocantur *nuntii* (*nonces*). V. J. Roy, op. cit., p. 255.

2. Arsenius, cui antea solum nomen dabatur episcopi Hortanæ civitatis, a Nicolao papa jam constanter appellatur apocrisiarius et consiliarius sedis apostolicæ. V. Nicolai I epistolas aliosque æquales auctores, quos in notis sæpissime appellavi.

3. V. supra, p. 74.

4. Ea profecto excusatione Arsenium se apud pontificem defendisse, ex hoc colligo quod, post aliquot annos, rursus in Gallias veniens is apocrisiarius, ut in Hincmarianis Annalibus scriptum est, « epistolam Nicolai papæ plenam terribilibus et a modestia sedis apostolicæ antea inauditis maledictionibus detulit, *super eos qui ante hos annos eidem Arsenio multam thesauri summam prædantes abstulerant*, nisi satisfaciendo quæ tulerant ei reddere procuraverint». Hincmari *Annales*, a. 865 (Pertz, I, 469). Primam illam Arsenii legationem plerisque historicis non notam esse fateor, at, præter verba Hincmari quæ sunt de ea re certo argumento, in eamdem etiam cadunt quæ Nicolaus scripsit a. 865, dicens : Arsenii apocrisiarii, quem tum mittebat ad Gallos episcopos, eis omnibus non esse incognitam personam. « Porro, ait, scitote nos tam ad gloriosum regem vestrum, quam ad vos, Arsenium, venerabilem virum, Hortensem episcopum, cujus... et vobis quoque persona vel est

Hincmari testimonio, argenti flagrabat cupidine[1], sed, post aliquot annos, quos item census et nummos per Germaniam exegerat, in ærarium sedis apostolicæ rursus non retulit, transtulitque in suum[2].

Nicolaus vero, ut tum erat Arsenianæ fidei æstimator clementissimus, nullam suspicionem recepit. Itaque summus ille pontifex, anno 864, cum concilium generale Romam convocare vellet, timeretque ne itinere ad Gallias legati apostolici intercluderentur, ad Hludowici imperatoris conciliandos animos Arsenio deprecatore usus est. Qui apocrisiarius, quanquam apud Hludowicum multum gratia valeret, nihil tamen effecit; immo vero ejus intercessio inclinavit animum imperatoris ut suspectum haberet ipsum pontificem[3]. In quo etiam inesse aliquam fraudem Arsenii eo magis ducimur ad credendum, quod agebatur in hac re de Rhadoaldo judicando[4], viro illo, ut diximus supra, eisdem fautore partibus.

Pergit tamen Nicolaus I episcopum Hortensem complecti amicitia et favore; ut, cum paulo post Hludowicus nobilissimum quemdam virum Astulphum nomine ad sedem apostolicam legavit, Arsenius, jussu Nicolai, obviam imperatoris legato fuerit, eumque, summi pontificis auctoritate, receperit[5].

forte non omnibus ignota prudentia, destinasse. » Nicolai *Epist. ad episcopos in regno Caroli constit.* (Migne, t. CXIX, ep. 79, p. 915).

1. Arsenius ab Hincmaro dicitur vir « magnæ calliditatis et nimiæ cupiditatis ». Hincmari *Annales*, a. 867 (Pertz, I, 476; cf. ibid., in a. 868, p. 477; et infra, c. VI).

2. V. infra, p. 95.

3. « Hludowicus, Italiæ imperator nominatus... a Nicolao, Romanæ sedis pontifice, per Arsenium apocrisiarium petitur, ut eidem papæ legatos suos liceat pro quibusdam causis ecclesiasticis ad Carolum mittere; sed credens quia non sincera intentione adversus eum velit in Franciam missos suos dirigere, contradicit. » Hincmari *Annales*, a. 864 (Pertz, I, 466).

4. V. supra, p. 87.

5. Quin etiam questus est Hludowicus imperator venisse Arsenium non eo qui decebat Romanorum comitatu. Quibus querelis hæc, inter alia, respondit Nicolaus : « Nobilissimus vir atque strenuus vestræ sublimitatis legatus, licet

At magis mira sunt quæ Nicolaus, eodem fere tempore, ad Francos reges et episcopos scribenda curavit. In eis enim epistolis, apocrisiarium suum multis effert laudibus; laudat ejus fidem, laudat prudentiam, laudat sanctitatem ac devotionem, eumdemque habere fatetur amicum, et consiliarium, et venerandum virum[1]. Quid? Arsenius, ineunte anno 865, in regiones Francicas a summo pontifice missus est, ea instructus legatione, quæ quantam illi fiduciam Nicolaus tum habuerit satis superque declarat[2]. Erat enim Arsenio datum negotium, ut non modo Hlotharium regem a concubina Waldrada divelleret uxorique legi-

nullam epistolam juxta consuetudinem a vobis nostro pontificio detulisset, licet nunquam apostolicæ sedis moris fuerit absque signatis apicibus undecunque legationem suscipere, nos tamen vos in illa honorantes ejusque gravitatem et eloquiorum illius veridicas cognoscentes assertiones, nichilominus eum et sicut decuit suscepimus, et ei sicut honestum fuit credidimus... Illud vero, quod idem Astulfus dicebat, fuisse consuetudinis prædecessorum nostrorum tempore, ut ex quocumque regno aliqua legatio ad sedem apostolicam veniret, optimates Romani interessent, modo vero nullus intersit præter Arsenium, ita non est. » Nicolai *Epistola ad Hludowicum II imper*. V. Jaffé, *Regesta*, nov. ed., n. 2791. Hoc Nicolai rescriptum datum esse medio a. 865 existimavit Ph. Jaffé (ibid., p. 358), sed, cum Arsenius in Franciam sit profectus ineunte eodem anno (v. paulo inferius), necesse est ut legatio illa imperatoris missa sit sub finem a. 864.

1. « Porro scitote nos tam ad gloriosum regem vestrum, quam ad vos, Arsenium venerabilem virum, Hortensem episcopum, apocrisiarium et missum apostolicæ sedis et dilectum *consiliarium nostrum, cujus apud nos approbata est fides et comperta devotio*, et vobis quoque persona vel est forte non omnibus ignota *prudentia*, destinasse. » Nicolai *Epist. ad episcopos in regno Caroli Calvi constit.* (Migne, t. CXIX, ep. 79, p. 915). « Porro hæc et cetera, quæ huic paginæ inseruimus, Arsenio *sanctissimo episcopo*, apocrisiario et misso apostolicæ sedis, consiliario nostro, vobiscum secundum voluntatem Dei exsequenda commisimus. » Nicolai *Epist. ad archiepiscopos in regno Hlotharii constit.* (Migne, ibid., ep. 80, p. 916). « Cetera vero... Arsenio reverentissimo et sanctissimo episcopo, apocrisiario et misso apostolicæ sedis, et consiliario nostro, defæcatissime prosequenda non indecenter, ut credimus, scriptis et dictis injunximus. » Nicolai *Epist. ad Carolum Calvum* (Migne, ibid., ep. 78, p. 913). Hæ litteræ, quas ipse Arsenius in Franciam detulit, scriptæ sunt exeunte a. 864 (v. Jaffé, n. 2773, 2774, 2776).

2. Hujus legationis sic habet mentionem auctor Vitæ Nicolai I : « Sanctissimus et a Deo conservandus præsul tam pro restitutione illius (Rothadi episcopi) quam pro abolenda regis Lotharii copula, et pace etiam et concordia

timæ rursus conjungeret[1], sed etiam reges alios Francorum ad pacem cum inter se, tum maxime cum Hludowico imperatore componendam, hortaretur[2]. Erant ab illo per Germaniam, Baioariam, Alamanniam exigendi census et tributa[3]; erant denique certorum hominum rescindenda injuria[4], aliorum vero puniendum scelus[5].

Hanc autem legationem qua ratione Arsenius confecerit, longum est enarrare[6]. Quod si Fuldenses Annales audire volumus, is apocrisiarius, dum versaretur in Francia, pul-

Regum Galliarum conservanda, Arsenium episcopum, hujus almæ sedis apostolicæ apocrisiarium et missum illico destinavit, quatenus reformata pace sanctæ eos Ecclesiæ finibus sine refragatione conjungeret, et quædam necessaria in Galliarum ecclesia ex apostolica traditione statuta diligentius et affluentius perageret. » *Vita Nicolai* (Vignoli, t. III, p. 207-8).

1. V. ibid., et Nicolai I epistolas ea de causa ad Hlotharium scriptas, ap. Jaffé, n. 2777, 2778.

2. « Arsenius episcopus, Nicolai Romani pontificis legatus, ob pacem et concordiam inter Hludowicum regem et nepotes ejus, Hludowicum videlicet Italiæ imperatorem et Hlotharium fratrem ejus, renovandam missus est in Franciam. » *Annales Fuldenses*, a. 865 (Pertz, I, 379). Timebatur enim ne Carolus Calvus in Provinciæ regnum invaderet, quod quidem per ordinem successionis redibat ad Hlotharium et ad ejus fratrem, Hludowicum imperatorem. Atque ex eis Nicolai epistolis, quas tum Arsenius in Franciam detulit, erant duæ de hac re scriptæ. Sic enim ad Carolum Calvum scribebat summus pontifex : « Unusquisque vestrum sua sit sorte contentus, et funiculo hæreditatis divinitus sibi collato pacifice perfruatur, aliena jura non invadens, non subtrahens, non conturbans. Liceat dilecto filio nostro, vestro autem nepoti, a Deo conservandum imperium suum, cum regno proprii germani, quieta possidere tranquillitate », etc. Nicolai *Epist. ad Carolum Calvum* (Migne, t. CXIX, ep. 78, p. 912; cf. Jaffé, n. 2773). V. etiam Nicolai *Epist. ad episcop. in regno Caroli constit.* (Migne, ep. 79, p. 914; Jaffé, n. 2774).

3. « Arsenius... inde per Alamanniam et Baioariam pro recipiendis patrimoniis Ecclesiæ sancti Petri in eisdem regionibus conjacentibus Romam redit. » Hincmari *Annales*, a. 865 (Pertz, I, 469).

4. Rothadi videlicet, episcopi Suessionensis, quem Arsenius jussus erat in episcopatum restituere (v. *Vitam Nicolai*, l. c., et Nicolai *Epist. ad Hludowicum German. et Carolum Calvum*, ap. Migne, ep. 83, p. 924), ac revera restituit (Hincmari *Annales*, a. 865, p. 463).

5. De quibus erant Waldrada et Engeltruda, mulieres adulteræ. V. paulo inferius.

6. Cum præsertim hanc rem absolute tractaverit Ernestus Dümmler. V. *Geschichte des ostfränkischen Reichs*, t. I, p. 568 sqq.

chre omnia disposuisset[1]. At hæc narratio nonnihil studii habere videtur, quod Guntharius atque Theutgaudus, archiepiscopi sacro ministerio dejecti, sed quibus, ut alii Germani plures[2], sic scriptor eorum Annalium favebat[3], ad spem restituendæ dignitatis adducti ab Arsenio fuerunt[4]. Quanquam enim non nego hunc legatum injunctis negotiis operam dedisse[5] (erant pleraque ex eis, quæ ad commodum Hludowici imperatoris pertinerent quæque fortasse ipse apocrisiarius summo pontifici in mentem injecisset), tamen ea arrogantia qua tum Arsenius usus est, ita erat memoriæ prodita, ut, præter Hincmarianas vituperationes[6], Regino, auctor seculi noni incipientis, sic scripserit de hac legatione : « Arsenius, apocrisiarius et consiliarius Nicolai papæ, vice ipsius directus est in Franciam, quo perveniens tanta auctoritate et potestate usus est, ac si idem summus præsul advenisset[7]. »

Ne Arsenium quidem constat a consueta cupidine et astutia, in ea legatione, temperasse. Mitto nunc occultas illas machinationes, quarum deinceps apparuit exitus; mitto ea etiam quæ mala fortuna Arsenii accidisse videntur, cum nempe e manibus ejus elapsæ sunt famosæ duæ mulieres, Waldrada Hlotharii regis concubina, atque

1. « In regnum Karoli profectus (Arsenius), multisque ibi quorum gratia illuc venerat bene dispositis, Romam reversus est. » *Annales Fuldenses,* a. 865 (Pertz, I, 379).

2. Ut eis Nicolaus I mollitiem in hac causa objurgaverit, a. 867. V. Nicolai *Epist. ad episc. in regno Hludowici constit.* (Migne, t. CXIX, ep. 155, p. 1163).

3. V. *Annales Fuldenses,* in a. 863 et 864 (Pertz, t. I, p. 375[25], 378[15]).

4. Quod etiam Arsenius deinceps conatus est efficere, sed spem frustra fuisse intellexit. V. Hincmari *Annales,* a. 867 (Pertz, I, 476, et infra, c. VI).

5. Vide, inter alia, qua ille ratione Hlotharii animum Thietbergæ, uxori legitimæ, reconciliaverit (Hincmari *Annales,* a. 865, p. 468-9), in quo deinde apparuit magnam fuisse non dico Arsenii, at certe Hlotharii dissimulationem.

6. V. Hincmari *Annales,* a. 865 (Pertz, I, 469), in quibus etiam is episcopus Remensis, Arsenio ex restitutione Rothadi iratus, æquabilem judicandi rationem non satis fortasse tenuit.

7. Reginonis *Chronicon,* a. 866 (Pertz, I, 573).

Engeltruda uxor Bosonis comitis adultera, quas quidem in Italiam, ad judicium sedis apostolicæ, adducere voluisset[1]. At quid dicam de furto tum facto impudentissime? Jussus enim, ut diximus, Arsenius erat ex patrimoniis ecclesiæ Romanæ census exigere, eosque reipsa exegerat in regno Hludowici Germanici; at totam pecuniam improbus ille minister in crumenam condidit suam, neque ullus quidem teruncius a summo pontifice tactus est[2].

Cum autem bis in eumdem sit res magni periculi, Arsenius, Romam regressus, non finxit se esse in itinere expilatum, sed se nihil quidquam in Germania coegisse mentitus est[3].

1. « Engeltruda », ut apud Reginonem narratur, « usque Danubii fluenta cum eodem Arsenio perrexit, ibique ad quempiam consanguineum pro caballorum adminiculo ire condixit, et ad Augustam civitatem ad eumdem missum se reversuram pollicita est. Tali occasione gressum retorquens, ex Alamannia in Franciam repedavit. » Reginonis *Chronicon,* a. 866 (Pertz, I, 574). Quod cum audisset Arsenius, fugitivam illam mulierem anathemate mulctavit (ibid.; cf. Baronius, a. 865, n. LXIII sqq.). Waldrada autem cum Arsenio Urbam venerat (v. Hincmari *Annales,* a. 865, p. 469), at, profecto, ut videtur, apocrisiario, cum ipsa Ticinum attigisset, fugam capessivit. V. Nicolai *Epist. ad Hludowicum regem* (Migne, t. CXIX, ep. 156, p. 1176). Neque in hac fuga culpam esse Arsenii ausim dicere, nec certe Nicolao ita visum est, qui Arsenium hac in re solertem fuisse existimaverit. Hæc enim is pontifex ad universos episcopos scripsit de Waldrada : « Licet industria legati nostri ad Italiam denuo revocata sit. » Nicolai *Epist. ad univ episc.* (Migne, ep. 93, p. 972).

2. Arsenium nihil quidquam in ærarium pontificium detulisse testis est ipse Nicolaus; census autem revera coactos esse, ab eodem pontifice accepimus, qui se de re certiorem fuisse professus est cum ex multorum narratione, tum etiam per legatum Hludowici Germanici. Sic enim ad hunc regem, annis post hæc duobus, scribebat Nicolaus papa : « Statuit præterea nobiscum excellentiæ vestræ legatus, ut, mediante Maio mense hujus primæ indictionis, pro unius anni reditibus rerum S. Petri in regno vestro sitarum recipiendis, nostros missos direxissemus : cum duorum annorum jam tempora præterierint ex quo reditus ex illis debuerunt esse collecti, et nos ex eis nihil recepimus. Porro si, *sicut per multos et hunc eumdem vestrum legatum cognovimus, Arsenius inde aliquid collegit, licet nobis aliquid non detulerit,* de præteritis annis collegit, non de futuris. » Nicolai *Epist. ad Hludowicum regem* (Migne, t. CXIX, ep. 156, p. 1178).

3. Ita se excusasse Arsenium, ex epistola Nicolai citata in nota superiore inferre licet.

Hæc tamen aut nullam suspicionem Nicolao injecere, aut si qua illi incidit suspicio, ea certe non erat quæ virum tenacem amicitiarum, aut æstimatorem utilitatum, commovere valeret. Nec enim visa est tum fortuna Arsenii graviter inclinari; atque multis mensibus post illum e Francia regressum, extremo anno 866, cum Bulgarorum legati arma muneraque ad sedem apostolicam detulissent, deque ea re esset inter Nicolaum et imperatorem orta contentio, summus pontifex ad Hludowicum II misit hunc eumdem apocrisiarium, qui litem ex utriusque commodo tentaret componere[1]. Immo vero, anno etiam sequente, de Arsenii auctoritate et gratia ea fama permanebat apud exteros homines rerum Romanarum bene gnaros, ita ille putabatur aures summi pontificis præoccupare, ut Hincmarus Remensis, cui tum Nicolaus papa placandus erat, ad Arsenii opes confugerit eumque donis et laudibus allectum deprecatorem ad summum pontificem habere voluerit[2]; quod est eo magis notatione dignum, quod, quæ Hincmarus recens a Nicolao passus erat, eorum fuerat Arsenius instimulator[3].

Hæc quidem acta sunt vertente anno 867[4]; Nicolaus autem est mortuus eodem anno exeunte, die 13 m. novembris[5]; ex quo patet inimicitiæ illæ, quas, ex dictis Anastasii, is pontifex habuerit cum Arsenio, quam breves

1. « Bulgarorum rex filium suum et plures ex proceribus regni sui Romam direxit, et arma quibus indutus fuerat, quando in Christi nomine de suis adversariis triumphavit, cum aliis donis sancto Petro transmisit... Hludowicus vero, Italiæ imperator, hoc audiens, ad Nicolaum papam misit, jubens ut arma et alia quæ rex Bulgarorum sancto Petro miserat, ei dirigeret, de quibus quædam Nicolaus papa per Arsenium ei consistenti in partibus Beneventanis transmisit, et de quibusdam excusationem mandavit. » Hincmari *Annales*, a. 866 (Pertz, I, 474).

2. Hæc abunde diximus in nostro Proœmio, p. 16-18.

3. V. infra, in c. v.

4. Actardus enim, episcopus Namnetensis, qui ab Hincmaro jussus erat Arsenium conciliare, Romam venit, jam mortuo Nicolao. V. in Proœmio, p. 11.

5. Jaffé, *Reg.*, p. 368.

fuerint, quam parum apertæ. Non quod infitiar in eam amicitiam incidisse aliquando aliquid frigoris, aut fuisse tandem inter papam et apocrisiarium animorum quamdam disjunctionem; hujus enim exemplum apud Johannem Diaconum reperio, cum nempe, die quadam, Arsenium vestitu judaico insolenter ornatum, palatina processione arcere voluerit Nicolaus[1]. Neque mihi dubium est quin diuturnitate temporis, quæ jam inceperat alienatio summi pontificis ab episcopo Hortensi, multo gravius exarsisset, postquam maxime, mense circiter octobri, Nicolaus Arsenianæ rapacitatis per legatum quemdam Hludowici Germanici factus est certior[2]. At, paucis post hæc diebus, ex hac vita migraverat pontifex, ut Arsenius cum summo honore apocrisiarii, quem a Nicolao I acceperat, ad finem remanserit[3], ut penes illum, eo fere omni pontificatu, vis magna Romanæ civitatis fuerit rerumque politicarum summa curatio.

V. Quod si quis post me probare volet in iis omnibus quæ hactenus inventa sunt, nihil esse quod Nicolao possit crimini verti, sive quod sic summus ille pontifex officium receptum persolverit, aut quia, temporibus illis, Romani plures nec multo essent quam Arsenius aut Rhadoaldus

1. « Nam reverendæ memoriæ Nicolaus pontifex, Arsenium, quondam Hortanæ civitatis episcopum, judaicas tunc primum pelucias introducere molientem, adeo aversatus est, ut ei palatinam processionem vellet adimere, nisi superstitiosæ gentis vestes abjurando, cum sacerdotalibus infulis consuetudinaliter procedere studuisset. » Johannis Diaconi *Vita Gregorii M.*, lib. IV, c. L (Migne, *P. L.*, t. LXXV, p. 207).

2. V. Nicolai *Epistolam ad Hludowicum German.* supra citatam (p. 95, n. 2), quæ scripta est d. 30 m. octobris a. 867 (cf. Jaffé, n. 2884).

3. Arsenium a Nicolao I non amotum fuisse munere apocrisiarii, ab Hadriano II, Nicolai successore, accepimus, qui, ineunte ipsius pontificatu, scribens ad Hincmarum Remensem, Arsenium tum appellavit « venerabilem apocrisiarium sedis suæ ». V. Hadriani II *Epist. ad Hincmarum* (Migne, t. CXXII, p. 1271, et supra, p. 12). Hæc autem Hadriani epistola scripta est d. 8 m. Martii a. 868 (cf. Jaffé, n. 2905).

meliores nec firmioris fidei[1], aut quæcumque fuerit alia excusatio, non hoc ego moleste feram, gratulabor magis, sitque talia tentanti faustum bonumque et felix, dicam libentissime : tantummodo id mihi concedatur, quod unice animo proposui, iis scilicet viris qui antea in seditione Anastasiana principes fuerant, ac maxime Anastasii parenti, datos esse a Nicolao I amplissimos honores gravissimasque provincias, ac, quanquam tantis muneribus non adeo digni viderentur nec semel abusi sint, illos tamen in favore pontificis diu, ne dicam diutius, perseverasse ; ejus autem fortunæ fuisse si non causam totam, at certe primam originem, quod partes imperatoris, Arsenio Hortensi duce, Nicolai ad summum pontificatum efferendi suasores auctoresque fuerant.

Quibus, ut opinor, exploratis, possum jam cum bona pace ad ipsum Anastasium accedere. Quam gratiam apud Nicolaum I obtinuerit excommunicatus ille maleque mutatus presbyter, et ad quod grave ministerium fuerit adhibitus, exponere nunc licet, quin ob eam causam pontificem hujus ætatis clarissimum obtrectare calumniarique arguar. Si qua etiam Anastasius, in munere obeundo, infideliter perfidioseque fecit, hæc tuto patefaciam, nec jam quisquam errorem pontificis aut tolerantiam tantopere mirabitur. Fuit enim ille paternæ fortunæ socius, eo interposito discrimine, quod, ut erat prudentior, si non melior, sic Nicolai I illæsam amicitiam ad extremum retinuisse visus est.

1. Ex iis quæ narravi in *Formoso* meo, proles illa Romanorum jam ferrea dici potest.

IV

ANASTASIUS NICOLAI I LITTERAS ET COMPOSUIT ET DICTAVIT

I. Num ipsi Romani pontifices, seculo nono, litteras suas notariis dictarent, quæritur. — II. De Nicolao I cur sit maximi momenti hæc indagatio. — III. Quæcumque, Nicolai I nomine et auctoritate, de causa Photiana scripta sunt, hæc Anastasium et proposuisse, et elaborasse, et conscripsisse probatur. — IV. Idem dicatur necesse est de reliquis ejusdem papæ litteris. — V. Una tamen excipienda est epistola; ex quo id etiam confirmatur quod de toto genere diximus.

I. Fuisse quidem, Nicolao papa I, notarios scriniariosque ecclesiæ Romanæ[1], qui, summi pontificis jussu, privilegia omnia aliaque id genus instrumenta scriberent, in disceptationem venire nequit, cum multa ejusmodi adhuc exstent, in quibus hæc ipsa scripta manu notariorum dicuntur Petri, Sophronii, Leonis, Zachariæ[2]. Neque controversia est quin eisdem notariis hoc etiam fuerit munus, ut ceterarum quoque epistolarum de rebus quibuslibet missarum transcribenda exempla curarent, quo illa, servata forma in eis

1. His nominibus duobus tum eadem persona significabatur. V. Regesta Leonis IV (Jaffé, p. 329), Benedicti III (ibid., p. 339), Nicolai I (ibid., p. 341), Hadriani II (ibid., p. 368), Johannis VIII (ibid., p. 376).

2. V. Jaffé, p. 341. Omnia fere privilegia et litteræ Nicolai I apud Migne edita sunt, servato aliquatenus temporum gradu (*P. L.*, t. CXIX); quapropter ad hunc tomum te, lector, plerumque rejicio. Quod si tamen de litteris ad Orientales scriptis agitur, Coleti utor libentius (v. *Sacrosancta concilia*, t. IX, p. 1289), apud quem illas omnes reperies, eodem ordine descriptas quo ipsæ in unum compactæ Orientalibus patriarchis missæ sunt. V. *Formosum* meum, p. 52-3. Ceterum cum item ad *Regesta* Ph. Jaffé plerumque rejiciam (*Regesta*, 2ª ed., p. 341-368), nullus est inveniendi labor.

consueta scribendique ratione, exploratius ex officinis pontificiis exisse appareret. Videmus enim in epistola Nicolai I, quæ, mense aprili anni 865, tum ad Carolum Calvum tum ad Hludowicum Germanicum est missa, has litteras, ex ipsius scribentis confessione, non esse more solito confectas, sed causam esse quod tum scriniarii Romani, propter festa paschalia, aliis rebus vacarent [1].

At in quæstione versatur utrum scriniarii, ipso Nicolao ad verbum dictante aut saltem res summatim significante, epistolas illas scriberent atque conficerent, an præter illos, cum maxime ageretur de re gravi aut pertinente ad ecclesiasticam eruditionem, esset aliquis Romanorum doctior, sive ex officio publice constitutus, sive quasi privatim adhibitus, qui ipse, de papæ mandato, litteras marte proprio componeret easque compositas ac summo pontifici approbatas notariis dictaret.

Felix Rocquain, qui *de litteris Nicolai I* non ita pridem edisseruit [2], hunc papam opinatur rem cum suis scriniariis

1. « Hanc autem epistolam ideo more solito scribi non fecimus, quia legatus vester sustinere non poterat, *et ob festa paschalia scriniarios nostros, eo quod debitis vacabant occupationibus, habere ut debuimus non valuimus.* » Nicolai *Epistola ad Carolum Calvum et Hludowicum Germanicum* (Migne, t. CXIX, ep. 83, p. 925; Jaffé, n. 2788). Atque idem papa Michaeli imperatori scribens, de suis litteris ad Byzantinos antea missis sic professus est : « Quod nostræ, Deo gratias, liquido testantur epistolæ, quas ternas per Zachariam et Petrum atque Leonem Deo amabiles scriniarios sanctæ Romanæ ecclesiæ uno textu scribi præcepimus, et coram sancta ecclesia, quæ apud nos est, dispertiti sumus, et unam quidem apud nos retinuimus pro futura scilicet cautela et propter quæstionem quæ oriri poterat in posterum, aliam vero dilectæ sublimitati vestræ direximus. Porro tertiam legatis nostris tribuimus. » Et paulo post : « et hanc quam mansuetudini vestræ dirigimus in altero tomo scribi præcipimus; et hanc quidem Petrus, qui unius prædictarum trium scriptor exstitit, quam vero penes nos retinemus, præfatus Leo, Deo amabiles scriniarii Romanæ ecclesiæ, quorum fides nobis probata est, scripsisse noscuntur. » Nicolai *Epist. ad Michaelem* (Coleti, t. IX, p. 1336; Migne, ep. 86, p. 950, 951; Jaffé, n. 2796).

2. V. Felix Rocquain, *Les lettres de Nicolas I* (*Journal des savants*, a. 1880, p. 577-587, 630-647, 676-685).

habuisse, nullius alius interposita opera[1]; sed nihil agit exemplum, quod is refert[2], scripsisse olim Michaeli imperatori Nicolaum, tantam esse sibi tum ægritudinem, ut non solum quæ apta essent ad respondendum, sed etiam quomodo hæc ipsa dictarentur, invenire non valuerit[3]; ex quibus, si quid colligere liceret, hoc magis colligerem non morem fuisse Nicolai qui ipse semper notariis dictaret[4].

Re quidem vera, etsi nullusdum, mea sententia, ex officio saltem perpetuo ac quasi publice constitutus fuisset, qui omnes apostolicas litteras summi pontificis nomine componeret et dictaret[5], neque cancellarius sedis apostolicæ, de quo ante seculum decimum extremum nulla est certa mentio[6],

1. « On a lieu de conjecturer que le pape (Nicolas I) tantôt dictait ses lettres, tantôt se contentait d'exposer sommairement à ses notaires ce qu'il fallait écrire. » Felix Rocquain, op. cit., p. 583.

2. Ibid., p. 583, n. 6.

3. Ecce ipsum locum : « Ad reliqua vero, quæ ex eadem epistola vestra plurima ex parte remanebant, rescribere his pro caussis omisimus, videlicet, quoniam tanta nos pater cœlestis secundum beneplacitum suum ægrotatione quasi filios corripuit, ut non solum quæ ad respondendum propositionibus vestris idonea esse perspeximus, valeremus exponere, verum etiam eadem ipsa qualiter dictarentur, nulli ægritudine pressi quiverimus edicere. » Nicolai *Epist. ad Michaelem* (Coleti, t. IX, p. 1333; Migne, ep. 86, p. 947; Jaffé, n. 2796).

4. Eo magis quod mox videbimus a quo hæc ipsa verba dictata fuerint.

5. Attendas, oro, non me de posterioribus ætatibus agere; tantummodo inquiro quid Anastasii tempore, aut non multo ante, fieret.

6. Quanquam Galletti jamdudum ostendit cancellarium sedis apostolicæ nusquam apparere ante decimum seculum idque vergens ad finem (v. *Del primicerio della Sede apostolica*, etc., di D. Pierluigi Galletti, Roma, MDCCLXXVI, p. 6-7), sunt tamen, nostra ætate, eruditi viri qui hoc munus jam seculo nono exstitisse putent, de quibus est Natalis de Wailly (v. *Éléments de paléographie*, t. I, p. 295, 321, 359). Et quidem septem privilegia feruntur, in quibus scriptum est illud : « S. R. E. cancellarius », scilicet, Sergii II *pro Amburgensi ecclesia* (Migne, *P. L.*, t. CXXIX, p. 997), Leonis IV *pro eadem ecclesia* (Migne, ibid., p. 997), Nicolai I *pro abbatiola Lebracensi* (ibid., p. 1013), Formosi *pro Gigniacensi monasterio* (ibid., p. 845), Sergii III *pro ecclesia Hamburgensi* (Migne, t. CXXXI, p. 975), Johannis X *ad Wenni* (Migne, t. CXXXII, p. 813), ejusdem papæ *pro monasterio S. Mariæ in Organavo Veronensi* (Cocquelines, *Bullarium Romanorum pontificum*, t. I, p. 240). At vero ex his tabulis quinque sunt spuriæ (v. Jaffé, n. 2588, 2597,

nec bibliothecarius[1], quanquam veri simile est hanc illi datam esse aliquando provinciam, tamen nota res est ac pluribus monumentis comprobata, jamdudum solitos esse papas ad id uti aliquo adjutore, sive abbate, sive diacono, aut si quis alius videretur idoneus.

Nam, ut exempla tantum a seculo sexto ad nonum referam, fuit, Honorio papa I, Johannes, abbas Romanus, a quo dictatas esse constat famosas illas litteras quæ, propter hæresim monothelistam in eis, ut putabatur, propositam, anathemata concilii sexti in ipsum Honorium concitarunt[2].

Seculo autem octavo, Zachariæ papæ I epistolas composuerat Gemmulus, ecclesiæ Romanæ diaconus, qui hoc ipse scribens ad Bonifatium, archiepiscopum Moguntinum, disertissime professus est in hunc modum : « *Ea*, inquit, *quæ domno apostolico* (Zachariæ I) *suggessistis*[3], *per nos sunt suscepta et adunata atque relecta. Et nos ea pertractantes, omnia scripta, quæ vobis ab eo directa sunt, a nobis esse dictata, juxta vestram voluntatem cognoscite*[4]. » Cernis ut

2686, 3537, 3562), ceteræ duæ habent vitiosam clausulam (v. Jaffé, n. 3499; Natalis de Wailly, op. cit., t. I, p. 320-1).

1. Nam, ut omittamus Anastasium nostrum, quem mox constabit hujus laboris participem fuisse antequam esset bibliothecarius, neque Johannes abbas, nec Gemmulus diaconus, dum litteras summorum pontificum componerent, bibliothecam Romanam administrasse videntur.

2. Ut, cum deinde nonnullis in suspicionem venit, adulteratas fuisse has Honorii litteras, ex eo Johanne quæsitum sit quid ipse in illis conscripsisset. Quod idem interrogasse Anastasium, abbatem quemdam, S. Maximus testatur, atque invenisse τὸν ταύτην (ἐπιστολὴν) ἐν λατίνοις ὑπαγορεύσαντα, κατὰ κέλευσιν αὐτοῦ (Ὀνωρίου) κύριον ἀββᾶν Ἰωάννην τὸν ἁγιώτατον σύμπονον, ἰσχυριζόμενον, ὡς οὐδαμῶς ἐπίμνησιν ἐν αὐτῇ δι' ἀριθμοῦ πεποίηνται ἑνὸς τὸ παράπαν θελήματος, etc. S. Maximi *Epistola ad Johannem presbyterum* (Migne, *P. L.*, t. CXXIX, p. 571). Advertas enim hæc verba ὑπαγορεύσαντα et σύμπονον, quibus scriba tantum significari non possit.

3. Hæc Bonifatii ad Zachariam papam epistola exstat adhuc in *Actis synodi Romanæ, qua Adalbertus et Clemens damnantur.* V. Jaffé, *Bibliotheca rerum Germanicarum*, t. III, p. 137-140. Rescriptum vero Zachariæ reperies ibid., p. 148-152.

4. Gemmuli diaconi *Epistola ad Bonifatium Moguntinum arch.* (Jaffé, op. cit., p. 154-5).

Gemmulus non modo responsa Zachariæ dictaverit, sed has etiam litteras, quas Bonifatius ad sedem apostolicam miserat, et receperit, et legerit, et, respondendi causa, digesserit.

Quod etiam fieri ea ætate quam nos agimus, ita inter æquales homines vulgata fama erat, ut, cum episcopi Galliarum ab Hadriano II rescriptas litteras ad suas accepissent[1], hunc papam non dubitaverint reprehendere, quod is qui jussus erat ab eo ex ejus persona rescribere, ne ea quidem attente legisset quæ ipsi ad sedem apostolicam scripserant. His enim verbis alloquuntur Hadrianum papam episcopi : « *Gesta synodi*, inquiunt, *ab exiguitate nostra sublimitati vestræ per eumdem fratrem nostrum* (Actardum) *secundum canones sacros directa, ab eo cui nobis inde jussistis, sicut ipsæ litteræ monstrant, rescribere, ex integro relecta non fuisse advertimus. Sed et epistolam nostram de eisdem actionibus auctoritati vestræ transmissam studio necessario eum non relegisse comperimus.* » Et infra : « *Unde nunc nobis non esset necessarium excusare si is, quem nobis jussistis rescribere, ad locum in gestorum synodalium serie legisset*[2]... »

II. Quæ cum ita sint, non jam otiosum videbatur inquirere an etiam Nicolao I talis adjutor fuisset, quem ego, si barbare loqui fas est, *dictatorem* epistolarum vocabo[3]. Ad hanc enim indagationem me incitabat gravis quædam cogitatio, quam velim etiam, si qui legant hunc librum, ut præsentem semper in oculis habeant.

1. Quas Hadriani II litteras vide apud Migne, t. CXXII, ep. 38, p. 1312.

2. *Rescriptum episcoporum synodi Duziacensis ad Hadrianum papam II* (Sirmond, *Concilia Galliæ*, t. III, p. 404).

3. In quo ego faciam exemplo Anastasii bibliothecarii (v. Anastasii *Epistolam ad Johannem diaconum*, Migne, t. CXXIX, p. 559) et Caroli Calvi ad Hadrianum II scribentis (Migne, t. CXXIV, p. 886).

Quanquam enim *dictator* epistolarum nullas debuit, nisi auctore papa, litteras componere, neque eas dictare notariis nisi prius recitatas et approbatas, atque ideo hæc scripta vere dicuntur sedis apostolicæ, ex eis tamen si quis de scientia pontificis aut indole judicare voluerit, erit agendum jam cautius. De scientia est hoc quidem ex se manifestum, cum aliud sit inventa ab alio probare, aliud ipsum invenire atque proponere; sed neque ad efficiendam indolem pontificis iis omnibus uti quæ sint in litteris apostolicis sine ullo discrimine licet. In eis enim epistolis quæ maxime continentur eruditione et historia, qui omnem argumentorum supellectilem comparavit, qui auctoritates, tabulas, exempla ex libris antiquitatis ecclesiasticæ aut ex archivis Romanis retulit, in eo esse potuit mala fides versutumque ingenium, si nimirum scripturas et facta improbe tractavit, si alia mutilavit, alia corrupit, quædam etiam prorsus ementitus est; hæc autem artificio facta approbare potuit summus pontifex, quin ei perspectum esset ipsum artificium; ut, quod est in dictante improbitas et fallacia, in approbante dici tantum debeat ignoratio et fiducia. Adde huc quod *dictator* epistolarum, si esset improbitate insignis et audacia, aliquando poterat, dum litteras jam approbatas dictaret notariis, quædam in eis immutare pro arbitrio suo atque addere : cujus impudentiæ spectaculum deinceps in hac disputatione proponam [1].

Hæc sunt communia; at de Nicolai epistolis maximam opportunitatem habere videbantur, non quod ipsas sententias hujus pontificis attentare velim, aut quod Nicolaus, meo judicio, auctoritatem suam præter æquum et bonum diffuderit; hoc enim disserendi genus, cum a proposito hujus operis, tum a voluntate mea abhorret. Immo vero, etsi non judico de re quæ ad me non spectat, tamen hoc laudi

1. V. infra, c. VI.

Nicolao dare licet, quod ea potestate quam sibi tantopere vindicavit, ille sæpe usus est ut oppressos homines defenderet, injustos refrenaret, reges et principes juris et recti admoneret; ex quo viri catholici Nicolaum Magnum appellare solent. At vero, si animum advertimus ad epistolas ejus auctoritate ac nomine scriptas, hoc summum imperium sedis Romanæ iis argumentis sæpe colligitur, tales artes a scriptore pontificio, in causis etiam bonis, nonnunquam adhibentur, ut illis litteris accessisse aliquando manum dolosam versutumque ingenium prorsus appareat[1].

Nec enim desunt eruditissimi viri, ut Stephanus Baluze[2], ut Ernestus Dümmler[3], qui, causarum nescii, hujus calliditatis invidiam totam in ipsum Nicolaum rejecerint. Itaque, ignoscant mihi hujus pontificis laudatores, si quando præclaram illam memoriam obscurare videor; at saltem id efficiet meus labor, ut hæc gravis suspicio, quæ, velint nolint, in Nicolaum commovetur, jam levari facilius possit, cum ego primus docuerim suspectæ hujus eruditionis atque artium improbarum non auctorem fuisse ipsum papam, sed virum in fraude exercitatum egregieque impudentem, Anastasium bibliothecarium.

III. Sed jam ad argumentationem aggrediamur, primum tamen incipientes a quibusdam conjecturis, quæ, quamvis ex se non rem certam efficiant, id tamen obtinebunt ut plurium tollatur admiratio. Versamur enim in lubrico disputandi loco, in quo, nisi prius ostendatur rerum convenientia atque conjunctio, ne disertissima quidem testimonia certos homines commovent.

1. Quod si qui hæc nondum audierint, rogo ut se sustineant a judicio ferendo, donec ea quæ mox dicturus sum ipsi diligenter observaverint.

2. V. Baluzii *Notas in Lupum Ferrariensem* (Migne, t. CXIX, p. 609), in quibus vir ille doctissimus Nicolaum in suis litteris item callidum et audacem fuisse opinatur.

3. Dümmler, *Gesch. d. ostfr. Reichs*, t. I, p. 656-7.

1. Ostendebam, in primo capite hujus operis, quam pauci fuerint, illa ætate, Romani docti scribendique arte peritissimi, ea tamen tempora postulasse doctrinæ multiplicis et copiosæ viros, cum ad sedem apostolicam tum delatæ sint multæ gravesque quæstiones, cum jus, dogmata, disciplinæ aliaque ecclesiasticæ antiquitatis et historiæ in disceptationem venerint, deque his rebus Romanus pontifex debuerit cum Francorum Græcorumque doctissimis luctari et congredi[1]; quam facile igitur inter æquales Anastasius primas tulerit suamque operam summis pontificibus præstare, ne dicam infligere, potuerit, cui cum genere nobili factionumque præsidio suppeditabant et ingenium non mediocre, et scribendi latine aliqua celeritas, et, ut temporibus illis, apparatus quidam eruditionis et historiæ. Itaque, cum Nicolaus, papa recens, Hludowici imperatoris fautores in gratiam et favorem recepit, Anastasiique familia et amici summos locos ecclesiæ Romanæ obtinuerunt, alius apocrisiarius et consiliarius sedis apostolicæ, alius item consiliarius magnisque præpositus negotiis, fieri sane non potuit ut in mentem summo pontifici non veniret, ad quid ipsum adhiberet Anastasium, ne viri de se bene meriti atque in nonnullis rebus unici operam videretur contemnere.

At ecclesiastici honores et munera ejusmodi ferme erant, ut, ad ea obeunda, necesse fuisset Anastasium, cui tum, ex decretis Benedicti III, sacro ministerio interdicebatur, in sacerdotalem dignitatem prius restitui. De qua quidem restitutione cogitasse Nicolaum I, ex Hadriano II audivimus[2]; sed timuit ne, si id statim ante satisfactionem fieret, ipse judicia sedis apostolicæ

1. V. infra, c. v.
2. V. Hadriani II *Decretum factum apud Sanctam Praxedem* (Pertz, *SS.*, t. I, p. 479, et in nostro Prooemio, p. 6).

convellere videretur; cum præsertim iis hominibus, qui cum Benedicto III simultates gesserant, multum uteretur, essetque tum, ut fere fit, disseminatus sermo novum papam novis studere rebus[1]. Hinc Anastasius a Nicolao I nunquam est renuntiatus bibliothecarius ecclesiæ Romanæ[2], quanquam hæc dignitas, illo papa, accidit ut vacaret[3]. Esse vero pontificis adjutorem in scribendis litteris et decretis, id utilitatem sine eodem incommodo præbebat; erat enim, ut paulo ante dixi, hoc privatum ministerium ac quasi secretum munus, ut ita Nicolaus confidere potuerit, et Anastasii scientiam in rem suam convertere et famæ suæ consulere tutius.

Atque etiamsi, ab initio ejus pontificatus, Nicolaus beneficio et amicitia vinctus Anastasium socium laboris non habuisset, id fortasse egisset paulo post, rebus ipsis quasi coactus, cum, exorta Græcorum Romanorumque contentione, hunc adjutorem esse oportuit in promptu summi

1. Id quidem inferri potest tum ex *Vita Nicolai I*, tum ex ultimo capite *Vitæ Benedicti III* (hoc enim caput Nicolao papa I conscriptum esse manifestum est), in quibus auctores pontificii (nisi hæc omnia, quod vehementer suspicor, unus idemque scripserit) summo studio in id incumbunt ut demonstrent et Nicolaum, dum esset diaconus, cum Benedicto III fuisse conjunctissimum, et ipsum, postquam papa factus est, ejusdem Benedicti vitam et institutum sibi proposuisse exemplar (v. *Vitam Nicolai I*, c. IV, et *Vitam Benedicti III*, c. XXXVI, ap. Vignoli, t. III, p. 172, et p. 169-170). Illis enim omnibus eruditis qui usum ejus generis scriptorum perceperunt, nihil aliud ex hac affirmatione colligere licet, nisi Romanos plures eo tempore exstitisse, qui Nicolaum I accusarent quod a consilio decessoris sui abhorreret.

2. V. Prooemium (p. 9-14), in quo monstratum est Anastasium ab Hadriano II, recentissimo in summo pontificatu, creatum esse bibliothecarium.

3. Megistus enim, Ostiensis episcopus (v. Gams, *Series episcoporum*, p. IV), qui a Leone papa IV bibliothecam sedis apostolicæ administrabat (v. Johannis Diaconi *Vitam Gregorii Magni*, l. IV, c. LXXXVI, ap. Migne, *P. L.*, t. LXXV, p. 231, et Benedicti III *Privilegium pro monasterio S. Dionysii*, ap. Jaffé, n. 2666 et p. 339), vita functus est inter a. 862-866. Anno enim 861, in concilio quodam Romano, Megistus subscripsit (v. Coleti, t. X, p. 193), at mense novembri a. 866 in sedem Ostiensem jam successerat Donatus (v. *Vitam Nicolai I*, c. LXX, Vignoli, t. III, p. 211; cf. Jaffé, n. 2813).

pontificis, qui Photii atque Michaelis imperatoris acerbissimas litteras non solum plane intelligeret, sed etiam, quantum fieri poterat, græca quadam eruditione retunderet. Namque item supra vidimus de clero Romano vix tum aliquem fuisse græcis litteris perfectum, ut si quis, ea ætate, aut papa, aut episcopus, aut quilibet alius, græca quædam vellet legere, ad Anastasium interpretem confugere soleret, ut Nicolaus I, Hadrianus II, Johannes VIII, summi pontifices[1], ut episcopi Gavinensis, Beneventanus, Narniensis[2], ut ex inferiore clericorum ordine et Johannes diaconus et Ursus medicus[3].

2. Sed a probabilitate ad certiora accedamus. Nam qui scripsit Nicolai ad Byzantinos litteras, cum græcæ linguæ eruditus apparet, tum maxime in iis auctoribus Græcis erat versatus, quibus ipsum Anastasium constat præcipue studuisse, immo quos ille primus in latinum sermonem transtulit.

Mitto Pseudo-Areopagitam, citatum in litteris Nicolai ad

1. Quam sæpe Anastasius ad hoc genus operis tum a Nicolao I, tum ab Hadriano II, vocatus sit, ille ipse significavit, in *Præfatione in Concilium VIII* Hadriano II inscripta. Sic enim ait : « Codicem (concilii octavi) quem detuleram Romam... sanctitas vestra grato suscipiens animo, mihi ad transferendum in Latinam tradidit dictionem, ad quod opus ego idoneum esse me denegavi, licet in interpretandis ex archivo in Romanum sermonem scripturis præsenti tempore quoddam conamen arripere nitor, et nonnulla jam ad ædificationem plurimorum, *et præcipue vestri decessoris hortatu interpretatus edidisse dignoscar*. Verum vicit jussio tanti pontificis, dum non deest obedientia prompti ministri. » Anastasii *Præfatio in Concilium VIII* (Migne, t. CXXIX, p. 18). Atque *Acta concilii VII*, quæ iste etiam bibliothecarius in latinum transtulit, inscribuntur Johanni papæ VIII (Migne, ibid., p. 105).

2. Quorum oratu Anastasius de græco in latinum vertit : *Passionem sanctorum MCCCCLXXX martyrum* (Migne, t. CXXIX, p. 743), *Sermonem S. Theodori Studitæ de S. Bartholomæo apostolo* (Migne, ibid., p. 729), *Acta S. Martini papæ* (ibid., p. 585 sqq.).

3. Anastasius, hortante Urso medico, transtulit apocrypham *Vitam S. Basilii* (v. supra, p. 49-51); hortante vero Johanne diacono, *Historiam ecclesiasticam ex Nicephoro, Georgio sync. et Theophane* (Migne, *P. G.*, t. CVIII, p. 1187 sqq.), *Apologiam Johannis papæ pro Honorio papa*, aliaque ad eamdem rem spectantia (Migne, *P. L.*, t. CXXIX, p. 557-586; cf. supra, p. 35), et *Passionem S. Demetrii Martyris* (ibid., p. 715 A).

Michaelem imperatorem scriptis[1], in quo etiam Anastasius multus fuerat[2], cujusque opera scholiis de græco conversis illustravit[3]; nam vereor ne objiciat aliquis illud Areopagitæ quod apud Nicolaum prolatum est, id est *Dionysii ad Demophilum epistolam*, tum Romæ fortassis lingua latina exstitisse, atque in manibus plurium Romanorum fuisse; de quo ego hic disceptare nolim[4].

At secus est de *Disputatione Maximi*, græco opere[5], quod certe in litteris Nicolai tum citatum est, cum voce latina nondum reperiebatur, sed tantum græce erat in manibus Anastasii. Is enim bibliothecarius, ad episcopum Narniensem scribens, postquam codicem illum, in quo erant *Acta Martini papæ* græce conscripta, a se esse repertum atque ex parte translatum significavit, sic cetera

1. « Sed si adhuc placet aliquid de hoc nosse, quod delectet, antiqui patris et venerabilis doctoris Areopagitæ Dionysii ad Demophilum verba vobis recitari præcipite : qui etiam in caussa pietatis delinquentem sacerdotem nefas sancit a minoribus vel ab inferioribus judicari, ne fiat in ecclesia Dei aliquid inordinatum, et status ejus in aliquo confundatur. » Nicolai *Epist. ad Michaelem* (Coleti, t. IX, p. 1326; Migne, t. CXIX, p. 939). Quæ confer cum *Epistola Dionysii ad Demophilum* græce scripta apud Migne, *P. G.*, t. III, p. 1083 sqq.

2. Is enim, dum puer esset, jam tum delectabatur *Vita S. Dionysii* a Methodio græce confecta (v. Anastasii *Epist. ad Carolum Calvum*, Migne, t. CXXIX, p. 737), deque Pseudo-Areopagita tantopere laborabat, ut, a. 870, cum Byzantium legatus venit, nihil, ex ipsius testimonio, potius habuerit quam ut *scholia* in hunc Dionysium conscripta reperiret (v. Anastasii *Epist. ad Carolum Calvum,* Migne, ibid., p. 740); quæ cum invenisset, interpretandi curam suscepit. Immo vero, quam *Vitam Areopagitæ* legerat puer, hanc, a. 876, in latinum sermonem transtulit (Anastasii *Epist. ad Carolum Calvum,* ibid., p. 737).

3. V. Anastasii *Epist. ad Carolum Calvum* (ibid., p. 740).

4. Cum præsertim ex ipso Anastasio inveniamus nonnulla Areopagitæ scripta tum apud Romanos latino sermone fuisse. Sic enim ille judicavit de Johanne Scoto, qui recens opera Pseudo-Dionysii latine verterat : « Præter illa quæ hunc (Johannem) latuisse probantur, ex his quæ sparsim a quibusdam de prædicti Patris sermonibus et epistolis ante nos interpretata inveniuntur, plurium utilitati subtraxit. » Anastasii *Epist. ad Carolum Calvum* (Migne, ibid., p. 739).

5. Exstat apud Migne, *P. L.*, t. CXXIX, p. 625 sqq.

necesse est, nec ullum opus nunc exstare quod Anastasius ex sua persona et nomine de lite Photiana ediderit, neque usquam talium operum reperiri mentionem, summorum autem pontificum de eadem causa factas fuisse litteras plurimas, atque in universum orbem, per septem annos continuos, diffusas, videlicet Nicolai I epistolas saltem sexdecim [1], Hadriani autem II quinque [2]; quarum maxima pars, cum fuerint Byzantii in concilio œcumenico octavo recitatæ, idcirco translatæ sunt in *Acta* hujus concilii [3]. Quæ Acta Anastasius, Hadriano papa II, de græco convertit, eisque Prologum ad hunc Hadrianum inscripsit, in quo, inter alia, narrabat quid ipse pro causa Ignatii adversus Photium egisset, et qua obtigisset fortuna, cum tandem Photius Constantinopoli damnaretur, ut ipse præsens cum papæ legatis adesset oculisque causam Ignatii victricem conspiceret.

Sed jam audiamus nostrum : « *Dei ergo nutu*, inquit ille, *actum est ut tanti negotii cum loci servatoribus apostolicæ sedis et ipse fine gauderem, et veniens fructuum in exsultatione portarem manipulos, qui per septennium ferme pro eo indefesse laboraveram, et per totum orbem verborum semina sedulo scribendo disperseram. Nam pæne omnia* [4] *quæ ad præsens negotium pertinent, quæque a sede apostolica latino sermone prolata sunt, sive quæ in hujus sy-*

1. V. Jaffé, n. 2682, 2683, 2690, 2691, 2692, 2796, 2813, 2814, 2815, 2816, 2817, 2818, 2819, 2820, 2821, 2879, de quibus ultima ad Hincmarum ceterosque Galliæ episcopos scripta est. His addi possunt aliæ duæ in codice quodam Casinensi recens repertæ (v. Jaffé, n. 2736, 2797).

2. V. Jaffé, n. 2908, 2909, 2913, 2914, 2915; Migne, t. CXXII, ep. 13, 14, 18, 19, p. 1276, 1277, 1282, 1285. Omitto quæ scripta sint post a. 869.

3. Id est, in *Actione* I, III, IV, V, VII (Migne, t. CXXIX, p. 32, 63, 70, 71, 78, 105-116).

4. Istud « pæne », ut opinor, usurpavit, sive quia, cum maxime Hadrianum II alloqueretur, minime decebat dicere ipsos pontifices in suis litteris nihil prorsus effecisse, sive quia fortasse Anastasius non omnes Hadriani epistolas et decreta scripserit, ob eam causam quam infra proponemus. V. c. VI.

nodi codice, sive quæ in aliis voluminibus continentur, ego summis pontificibus obsecundans, decessori scilicet vestro ac vobis (alloquitur enim Hadrianum, Nicolai successorem), *exposui, et postmodum Constantinopoli pro prædicta causa repertus, non pauca in his vestris loci servatoribus, ut ipsi quoque testantur, solatia præstiti, qui etiam diversos eventus considerans, gesta hujus synodi, quæ apostolicæ sedis loci servatores in uno volumine secum portaturi conscripserant, in altero codice transcripta Romam usque deferre proposui*[1]. »

Audis? Quæ ferme omnia ab apostolica sede, in causa Photii, prolata sunt, quæ litteræ paparum et *Actis* concilii VIII et aliis voluminibus continentur, hæc ipse Anastasius non solum sedulo scripsit, sed etiam summis pontificibus proposuit; ut has litteras appellare potuerit « suum laborem, semina sua verborum ». Ex quo perspicitur Anastasium, in componendis Nicolai et Hadriani epistolis, non illum amanuensem fuisse, qui dictata ad verbum transcriberet, sed ei tribuantur necesse est et argumenta, et sententiæ, et stylus, tota fere rerum verborumque compositio.

Nec enim ille putandus est, cum hæc renuntiavit, gloriosius de se prædicasse : hæc, vivo Hadriano papa, professus est, hæc ad ipsum Hadrianum, hæc de litteris cum Nicolai I, tum ipsius Hadriani II, cui sane, si Anastasius mentitus esset aut elatius dixisset, obvium proximumque erat mendacem hominem aut superbum retundere.

IV. Sed fortasse dixerit quispiam jam planum fieri Nicolai de rebus Byzantinis litteras ab Anastasio esse compositas, id autem non posse de ceteris affirmari.

1. Anastasii *Præfatio in Synodum octavam* (Migne, t. CXXIX, p. 17), quæ inscribitur : « Domino sancto et coangelico Patri Patrum Adriano summo Pontifici et universali Papæ », etc.

1. At vero num veri simile est ut, qui, cum de Photio Græcisque refellendis ageretur, tanti faciebat Anastasii fidem et doctrinam, idem papa, si qua gravis quæstio in aliis ecclesiis oriretur, hunc eumdem adjutorem et consiliarium negligeret? cum maxime, ut ex dictis constat, Anastasius non modo propter scientiam linguæ græcæ in hanc provinciam assumptus sit, sed quia etiam, eis de causis quas supra memoravi, et is presbyter et ejus familia factioque Nicolaum amicissimum ac mirabiliter faventem ab initio habuerant.

Numquid præterea ad Byzantina negotia spectabat illud decretum quod Nicolaus, anno 863, in Guntharium et Theutgaudum pronuntiavit? et tamen hi condemnati archiepiscopi summo pontifici, hac in re, adjutorem Anastasium fuisse contendunt, immo vero ita esse in ceteris omnibus affirmant[1].

Quod etiam ab Hincmaro Remensi confirmatur, qui, acceptis a Nicolao litteris gravissimorum criminum refertis, non solum ad ipsum papam, sed etiam ad Anastasium rescripsit, hunc admonens in quibus epistola Nicolai peccare sibi videretur[2] : tantum erat exploratum Hincmaro quid posset in omnibus epistolis Nicolai Anastasius! In quo Remensis archiepiscopus exemplum secutus est S. Bonifatii, archiepiscopi Moguntini, qui, cum vellet a Zacharia papa I litteras adversus quosdam episcopos obtinere, sciens epi-

1. « ... Assistente lateri tuo Anastasio, olim presbytero ambitus dampnato et deposito et anathematizato, cujus scelerato magisterio tuus præcipitatur furor. » Guntharii et Theutgaudi *Capitula ad Nicolaum I* (*Fuldenses Annales*, a. 863, ap. Pertz, t. I, p. 377). V. nostrum Proœmium, p. 21-23.

2. « Ceterum epistolæ domni apostolici per Egilonem venerabilem archiepiscopum nobis directæ, ad nostra scripta respondentes, in quibusdam aliter sonuerunt quam nos suæ sanctitati et auctoritati scripserimus. Sed certus sum quia non aliter ipse nobis rescripsit, nisi ut in scriptis ex nostra parte sibi porrectis invenit », etc. Hincmari *Epistola ad Anastasium religiosum abbatem* (Migne, t. CXXVI, p. 257, et infra, in *Appendice*).

stolarum apostolicarum auctorem esse, ut diximus, Gemmulum diaconum, huic sese item commendavit, remque suam, ut summo pontifici, sic Gemmulo proposuit[1]. Atque Hincmari et Bonifatii tam similis fuit in re simili agendi ratio, ut uterque *dictatorem* pontificium sibi donis ac muneribus conciliaverit[2].

2. Possim igitur ab omni alio confirmandi genere abstinere, sed ne quidquam negligere videar, comparationem quamdam nunc deinceps instituam, ex qua fortasse res jam satis manifesta etiam magis illustrabitur. In illis enim litteris quas de causa Photiana ab Anastasio conditas esse jam negari nullo pacto potest, is pontificius scriptor, ingenii sui quoddam specimen, id est, certam aliquam argumentandi agendique rationem impressit, quam, si deinde animum intenderis ad ceteras Nicolai litteras, in his etiam eamdem inesse reperies, ut jam tibi ex hac collatione manifesto appareat omnibus illis epistolis accessisse eamdem manum, idem ingenium, eumdem denique artificem.

Ac primum, Anastasius, dum res Byzantinas tractat, amat gravissimas refutationes; amat, si quæ sunt dicta male aut facta ab adversariis, hæc libenter arripere, ver-

1. Quod ipse Gemmulus, ad Bonifatium rescribens, sic testatus est : « Igitur omnia quæ nobis per nunc directas litteras præcepistis, ut Dominus vires donare dignatus est, adimplevimus, sed et ea, quæ domno apostolico suggessistis... » et cetera quæ supra retuli (p. 102). V. Gemmuli *Epist. ad Bonifatium* (Jaffé, *Bibliotheca rerum Germanicarum*, t. III, p. 154-5). In aliis ejusdem ad eumdem litteris videmus Bonifatium a Gemmulo petiisse ut epistolas quasdam S. Gregorii ex archivo sedis apostolicæ desumptas mitteret (ibid., p. 156). V. etiam Bonifatii *Epistolam ad Gemmulum archidiaconum* (ibid., p. 253).

2. « Benedictionem etenim, quam nobis direxistis, suscepimus, id est poculum argenteum et syndonem unam. Quam in duplici suscepimus benedictione, eo quod a tanto patre meruimus visitari. » Gemmuli *Epist. ad Bonifatium* (Jaffé, ibid., p. 155). « Pro nostræ exiguitatis memoria mitto vobis per eum (Actardum) crusnam de pellibus variis cum panno coloribus vario. » Hincmari *Epist. ad Anastasium* (Migne, t. CXXVI, p. 258).

sare, in contrariam partem convertere, hostem, ut ita dicam, suo gladio conficere. Apud illum ironia frequens, modo faceta, acerbissima plerumque.

Quod si (pauca enim ex ingenti turba exempla proferam) Michael, imperator Byzantinus, Romanis barbaram linguam exprobrat, ita Anastasius respondet : « *Quiescite igitur vos nuncupare Romanos imperatores; quoniam secundum vestram sententiam barbari sunt, quorum vos imperatores esse asseritis. Romani quippe hac lingua, quam barbaram vos et Scythicam vocatis, utuntur. Quiescite jam utpote tantæ detestationis dictionem in vestro palatio memorare, et adhuc si pleniter illam execramini, etiam ab ecclesiis vestris removere satagite*[1]. »

Idem Michael imperator Theognosto et Romanis crimini verterit quod Ignatii partibus adhærerent Gregoriumque Syracusanum respuerent, ecce ab Anastasio id confutatur his verbis : « *Quid ergo quis peccat, si ea dicit, quæ vos dixisse constat? Ecce enim scripta vestra missa ad antecessorem nostrum, quæ penes nos recondita servantur, quosdam partis Gregorii Syracusani, congregatis episcopis, etiam absente fratre nostro Ignatio, vos anathematizasse testantur. Quid ergo quispiam delinquit? Vel nos in quo, rogamus, offendimus (licet vos versa vice quod tunc laudastis, nunc vituperitis, et quos tunc reos et damnatos pronuntiastis, nunc miris præconiis efferatis si quod scripsistis credidimus, et quod dixistis, nos quoque nunc dicimus*[2] *?* »

Ironiam amplius fortasse requiris; at quæ esse potest ironia crudelior, quam cum Anastasius, ut Michaelis imperatoris Græcorumque superbiam frangeret, recentes

1. Nicolai *Epist. ad Michaelem imper.* (Coleti, t. IX, p. 1320-1; Migne t. CXIX, p. 954).

2. Nicolai *Epist. ad. Michaelem* (Coleti, p. 1337; Migne, p. 952).

eorum clades maleque pugnata prælia sic alludens memorat : « *Quid mali fecimus nos? Certe non Cretam invasimus, non Siciliam exterminavimus, non innumeras Græcis subjectas provincias obtinuimus; postremo, non ecclesias sanctorum, interfectis numerosis hominibus, ac suburbana Constantinopoleos, quæ et muris ejus pæne contigua sunt, incendimus*[1]. »

Hæc Anastasius ad Orientales scribens; nunc ad reliquas Nicolai epistolas veniamus.

Et quidem mirum est quam sæpe, Occidentalibus viris scribens, epistolaris pontificius hac etiam arte refutandi utatur, quam creber et acerbus in ironia, quanta solertia ex dictis factisque adversariorum plagas adversus eos intexere soleat.

Quærentibus enim episcopis provinciæ Senonensis nonne Herimannus, insaniæ causa, episcopatu esset dejiciendus, sic ille inconstantiam hujus interrogationis et rerum ab episcopis gestarum coarguit : « *Cum dixeritis illum* (Herimannum) *sacerdotale non potuisse implere recte officium, sensusque integritatem amisisse, miramur reverentiam vestram eum venire ad synodum coegisse : præsertim cum ipsi testemini insano hunc similem, et in eadem adhuc infirmitate manere*[2]. »

Hincmarus Remensis, cum a Nicolao I, propter Wulfadum presbyterum ejusque collegas sacro ordine dejectos,

1. Hic Anastasius haud obscure significat incendia suburbii Byzantini, a Crumo, Bulgarorum duce, facta a. 813. Qua de re sic Theophanes ab Anastasio translatus : « Crumus... misso cursu ad S. Mamam, palatium illic habitum incendit » (Migne, *P. G.*, t. CVIII, p. 1428); et auctor incertus *Vitæ Leonis Armeni* : « Bulgari... cunctas ecclesias trans civitatis portam præclaras quasvis, et ab Irene, Nicephoro et Michaele reparatas, necnon monasteria, palatia, domos, suburbana combusserunt » (Migne, ibid., p. 1019).

2. Nicolai *Epistola ad Wenilonem ejusque coepiscopos* (Migne, t. CXIX, ep. 1, p. 770; Jaffé, n. 2674). De Herimanni causa fusius ego in capite sequente.

gravissime esset vituperatus, se excusans dixerat non perniciem se illis clericis meditari, sed magis salutem exoptare; quam excusationem epistolaris pontificius revolvit et explodit in hunc modum : « *Quod in epistola tua nobis scripsisti, dicens eorum clericorum salubrem ac regularem statum et cupisse te et cupere, et quæsisse et quærere, quis audiens eorum qui cursum negotii vel controversiæ hujus novit, non miretur, et non obstupescat? Porro si cupisti, ubi est certamen, quod pro eorum, utpote filiorum, recuperatione sumpsisti? Et si quæsisti, ubi apparet? Ubi datur saltem intelligi? Verum ostende tu nobis quando statum eorum cupiveris, vel quæsieris, et nos ostendemus tibi, prolixitate dimissa, breviter, quod non statum, sed casum semper eorum cupiveris et quæsiveris. Nam quid est quod obtinere modo legatis, modo litteris, apud decessores nostros, Leonem scilicet et Benedictum beatæ recordationis pontifices, te cupere et quærere significas, nisi ut eorum quidem dejectio firmetur, restitutio vero nunquam speretur, casus perpetuo roboretur, status aliquando minime reformetur? Ecce quomodo statum eorum cupivisti, ecce quomodo statum quæsisti*[1]. » Et illud conjectum in eumdem Hincmarum summa cum ironia : « *Quamvis forte verum sit, quod te dejectioni eorum condoluisse et statui gaudere testaris, hoc duntaxat modo, ut sicut de dejectione ipsorum condolueras, ita nunc de statu congaudeas, quia videlicet nec tunc casui eorum condoluisti, nec nunc statui fortasse congaudes*[2] ».

Quod idem ingenium et ars in illo etiam scriptore proditur, qui, eodem tempore, ad episcopos Galliæ litteras apostolicas composuit, quique *Acta concilii Suessionici* ar-

1. Nicolai *Epist. ad Hincmarum* (Migne, t. CXIX, ep. 108, p. 1108; Jaffé, n. 2823).
2. Migne, ibid., p. 1108.

ripiendo, exagitando, scripta ad res accommodando, omnia in his esse aut falso dicta, aut facta inepte contendit : « *Ibi namque falsitas*, exclamat ille, *in ipso mox actionum invenitur principio. An non falsitas, cum sponte pervenisse dejecti illi* (Wulfadus ejusque socii) *ad ecclesiæ januas pro sua necessitate scribuntur, qui venisse probantur inviti? Præcipue cum Wulfadus ibidem fuerit, cujus nomen inter petentium nomina fallaciter exstitit recitatum?... Ibi metropolitanus antistes modo sua jura deponit, modo resumit, modo subest synodo, modo præest, modo quasi accusatus, modo accusator, modo judex accedit : et pro libitu proprio vicibus alternantibus cuncta disponens, more cujusdam animantis, non semper unius ejusdemque coloris apparet*[1]. »

Non aliter Hlotharius rex redarguitur, qui, ut missam faceret uxorem suam Thietbergam, duas causas, si scriptori pontificio credatur, attulisset, unam non esse se cum ea legitimo matrimonio conjunctum, alteram quod esset eadem adulterii scelere obstricta. Ad quæ refellenda epistolaris Nicolai I usitata solertia, in litteris ad Carolum Calvum scriptis, sic utitur : « *Illud vero*, ait, *quod Lotharius Theutbergam de adulterio criminatur, quis non videat dolo esse plenum et omni iniquitate? Denique, si uxor ejus, ut ipse jactat, non est, quid pertinet ad eum de adulterio illi calumniam texere, cum nec mœchari potuerit, si alicujus uxor non exstitit? Porro, de adulterio si a Lothario accusatur, et, si convicta fuerit, ultio præparatur, necesse est ut fateatur uxorem. Quid ergo incassum laborat, anxiatur, et quod sua non fuerit uxor, quibuscunque modis et qualibuscunque argumentis satagit invenire? Necesse, in-*

1. Nicolai *Epistola ad episcopos synodi Suessionicæ* (Migne, t. CXIX, ep. 107, p. 1094; Jaffé, n. 2822). Cf. Nicolai *Epist. ad Hincmarum* (Migne, ibid., p. 1102).

quam, est ut ante omnem controversiam uxorem confiteatur, si hanc ut mœchatam impetendam existimat[1]. » De qua quidem argumentatione animadvertas etiam velim illam in re ficta aliqua ex parte niti, id est, esse adulterium quod Hlotharius uxori suæ objurgaret, cum revera de stupro quodam ageretur, quod Thietberga, dum esset non nupta puella, cum fratre suo Hucberto admisisset[2].

At, ne plura, illam indolem ad jocum aspere movendum, quam constat in epistolis ad Orientales Anastasium habuisse, quis habuit copiosius et abundantius quam qui, Nicolai nomine, litteras jam supra memoratas ad Hincmarum scripsit ? qui, postquam adulteratas sedis apostolicæ chartulas archiepiscopo Remensi disertissime objurgaverat his verbis : « *Tu hujus tenoris circumstantiam de collati privilegii textu minus simpliciter excipiens, et nostræ visioni*

1. Nicolai *Epistola ad Carolum Calvum* (Migne, t. CXIX, p. 1172; Jaffé, n. 2886).

2. Quod ex certis monumentis compertum est. Sic enim Hincmarus, in opere quod a. 862-863 scripsit *De divortio Lotharii et Tetbergæ :* « At si de stupro et abortu *ante initum conjugium* agitur, *de quibus præfatam feminam reputari comperimus*, veniendum est prius ad examinationis judicium, quo eam quasi purgatam audivimus » (ap. Migne, t. CXXV, p. 659). Et ipsa Thietberga, in sua *Confessione :* « Ego Thietbrich... sic profiteor, quia germanus meus Hucbertus clericus *me adolescentulam* corrupit, et in meo corpore contra naturalem usum fornicationem exercuit et perpetravit » (Migne, ibid., p. 637). De quo crimine ut se purgaret, Thietberga voluerat adhiberi judicium examinationis per aquam calidam, immo vero tum fama fuit illud judicium revera factum fuisse ac reginæ successisse. Hæc enim referuntur in *Interrogationibus*, quas quidam ad Hincmarum miserant : « Vicarius ejusdem feminæ ad judicium aquæ ferventis exiit, et postquam incoctus fuerat ipse repertus, eadem femina », etc. (Migne, ibid., p. 629). — At idem fortasse dices quod Hefele (*Histoire des conciles*, t. V, p. 514-515) : Hlotharium, post hæc, anno 866, novum crimen adulterii Thietbergæ intulisse. At hæc defensio cum ea ipsa epistola Nicolai discrepat, in qua clare significatur hic vetus illud crimen agi, de quo, anno 865, ipsa Thietberga ante legatum apostolicum (Arsenium Hortensem) purgare se voluerat. Sic enim epistolaris pontificius reliqua deinceps persequitur : « Sed de hoc illa coram missi nostri præsentia purgare se voluit; sed ipse non annuit. » Nicolai *Epist. ad Carolum Calvum* (Migne, t. CXIX, p. 1144). Est igitur in his litteris aut error, aut cavillatio.

subduxeris, et aliorum notioni subtraxeris : interserens insuper quæ ille (Benedictus III) *aut nunquam, aut aliter sanxerat... Tu vero, addens atque commutans, prosecutus es, dicens...* », etc.[1]; postquam eumdem, missis ambagibus, mirifice astutum appellaverat hoc modo : « *Sed adhuc et in alio mira fraternitatis tuæ accedit astutia et soli proprio voto favens se immiscet prudentia*[2] », et quanquam, hoc ipso loco, cruda, ut ita dicam, verba usurpaverat, sic compellans Hincmarum : « *Tu vero, violationis ejusdem privilegii haberis obnoxius : qui, pulsis illis clericis ad sedem apostolicam provocantibus, manum objicem subdole præparasse cerneris..... Videlicet dum talem crebro dicti privilegii textum et tenorem additione, detruncatione, ac mutatione tua cunctis ostenderis*[3] »; tamen, dum istæc scriberentur, hæc ausus est interponere non sine ingratis facetiis : « *Quamobrem jure fortassis te fraudis aliquid in talibus committere fateri possemus, nisi reverentiæ tuæ, quod ipse non speras, parcere nostra moderatio studuisset*[4] » ! Quæ sane omnia eo magis mira sunt, quod non Hincmarus chartulas illas Benedicti III adulteraverat, sed ille ipse qui, Nicolai fiducia abutens, has injuriosas litteras ad Hincmarum scripserat, Anastasius[5]. Ignoscendum igitur est archiepiscopo Remensi, si quando Nicolai epistolas aut sibi aut Gallis aliis missas, quarum quidem, ut opinor, scriptorem bene noverat, *malitiosas* esse dixit[6].

1. Nicolai *Epist. ad Hincmarum* (Migne, t. CXIX, p. 1104).
2. Ibid., p. 1105.
3. Ibid., p. 1106.
4. Ibid., p. 1105.
5. V. infra, in capite v.
6. Sic enim Hincmarus de litteris ab Arsenio Hortensi in Gallias delatis, a. 865 : « Nicolaus papa Arsenium, Ortensem episcopum et consiliarium suum, cum epistolis ad Hludowicum et Carolum fratres, sed et ad episcopos ac primores regnorum illorum, ea quæ Lotharius per fratrem petierat continentibus, non

3. Hactenus vidimus in diversis Nicolai epistolis eamdem inesse argumentandi formam, idemque refutandi genus et vim, et solertiam, quam quæ Anastasius, scribens de causa Photiana, usurpare solebat. At is præterea, in rebus etiam Byzantinis, habuit quasi propriam quamdam eruditionem, de qua, cum plura dicturus sim in capite sequente, nunc tantum affero quæ ad rem præsentem conducant.

Id enim Anastasii ad Græcos scribentis singulare fuit, ut, in citandis monumentis et auctoribus, cum summam audaciam aliquando, tum etiam non semel dissimulationem adhibuerit. Erat in hoc audacia, quod, si qua auctoritas rei suæ obesset, hanc mutilando, augendo, astute interpretando, ad utilitates suas convertebat atque ex alieno commodo suam occasionem petebat; ut, cum canonem nonum concilii Chalcedonensis ita aliam in partem traduxit ut, quod erat in eo pro Byzantinis patriarchis decretum, hoc iste audacter Romano pontifici vindicaverit[1]. Dissimulationis vero indolem indicavit Anastasius, qui quidem (cetera enim prætereo) nunquam falsas decretales adversus Græcos nominatim causatus est, ex eis tamen præcepta quædam eruit eaque sine nomine ac quasi clandestino in litteris ad Byzantinos scriptis intexuit; cujus artificii exempla duo nunc notare satis est[2].

Jam vero, ad alias Nicolai litteras si flectimus mentem nostram, in illis etiam hanc eamdem audaciam junctam cum dissimulatione reperiemus, in illis auctoritates eadem

cum apostolica mansuetudine et solita honorabilitate, sicut episcopi Romani reges consueverant in suis epistolis honorare, sed *cum malitiosa interminatione* transmittit. » Hincmari *Annales*, a. 865 (Pertz, I, 467-468).

1. Nicolai *Epistola ad Michaelem imper*. (Coleti, t. IX, p. 1331; Migne, t. CXIX, p. 945). V. infra, c. v, p. 180-3.

2. V. Nicolai *Epistolam ad clerum Constantinopolitanum* (Coleti, t. IX, p. 1372; Migne, t. CXIX, p. 1069), et *Epistolam ad Michaelem* (Coleti, p. 1353; Migne, p. 1025), in quibus Pseudo-Damasus tacite usurpatur. V. infra, in cap. v, p. 152-5.

arte mutatas, atque quoque tacitas a falsis decretalibus mutuationes. Sed, ne rem totam nunc exhauriamus quam fuse tractamus postea, id tantum dicamus, quemadmodum Anastasius in Græcos detorsit concilium Chalcedonense, sic scriptorem aliarum epistolarum adversus Francos abusum esse concilio Sardicensi [1]; falsas vero decretales tam simili solertia in utraque parte esse usurpatas, ut quæ occulte de Pseudo-Damaso arrepta sunt, hæc ex utriusque partis litteris in unam tabulam conferre potuerim [2].

Requiret aliquis cur in omnibus epistolis stylum cum stylo non conferam; at cum sit talis collatio et multæ dubitationis et longioris moræ [3], cum maxime res nostra, quantum in præsens necesse est, aliunde probata videatur, finem disputandi, si placet, faciamus, et sic tandem concludamus omnes majoris saltem momenti litteras, quæ Nicolai nomine et auctoritate scriptæ sunt, esse Anastasio tribuendas; nisi forte de una alterave ex certissimo indicio constet alium ejus esse auctorem.

V. Verum vero unam tantum ex omnibus reperi, quæ Anastasio neganda videatur. Supra enim vidimus [4] eas litteras quæ, ineunte anno 865, ad Francorum reges scriptæ sunt, non dictatas, ut solebat, notariis apostolicis fuisse. At neque has esse a *dictatore* ordinario compositas, ex hoc licet colligere, quod in eis Francorum reges rogantur ut scribenti «sermonis simplicitatem» condonent [5]; quod, cum

1. V. infra, in cap. v, p. 143-5.
2. V. infra, c. v, p. 152-5.
3. Nota tamen in epistola quadam ad Carolum Calvum scripta aliquam græcæ linguæ ostentationem inesse, qua Anastasius semet aperit : « Nisi enim vos, inquit, qui in regali sublimitate positi estis, tanquam cujusdam ingentis fabricæ bases, vestro sudore mundum quodammodo portassetis, nequaquam Græco sermone βασιλέων vocabula sortiremini. » Nicolai *Epist. ad Carolum Calvum* (Migne, t. CXIX, p. 861; Jaffé, n. 2738).
4. P. 100.
5. « Rogamus præterea et expresse vos adjuramus, ut quæ superius exarata

nihil tale in reliquis epistolis inveniatur, argumento esse probabili potest huic scriptori pontificio novum illud munus fuisse atque consciam inscitiam.

Sed vide ut ex hac etiam opinione omnia inter se cohæreant! Cum in aliis Nicolai epistolis quas Anastasius paulo ante deque eadem re scripserat multis exornaretur laudibus Anastasii pater, Arsenius Hortensis[1], essetque in eis mandatum Carolo Calvo ut non solum litteras apostolicas ab Arsenio latas libenter acciperet, sed etiam, quæcumque is episcopus viva voce loqueretur, iis omnibus assentiretur mente credula nullaque interposita dubitatione[2], in hac epistola cujus Anastasius non esset scriptor, jubetur idem rex cavere quid ferat aut dicat Arsenius; a quo ne quis deciperetur, illarum epistolarum quas ferebat in Gallias, alterum exemplar summus pontifex Carolo Hludowicoque regibus mittit, rogans eos ut, si quæ darentur eis adulteratæ litteræ, Arsenio jam non crederent, nisi duabus in causis, Rothadi videlicet et Albuini. « *Ecce*, inquit scriptor ille pontificalis, *Arsenium venerabilem episcopum ad hoc vobiscum pertractandum, et monitionibus corrigendum, cum apostolicis epistolis illuc destinavimus. Quarum exemplaria, ne authenticæ istarum, aut interceptæ, aut a quibus fortasse deho-*

sunt, non simplicitate sermonis, sed ex quanta mœstitia et compunctione processerint, interiori oculo, non exteriori tantum, attendatis. » Nicolai *Epist. ad Hludowicum et Carolum* (Migne, t. CXIX, p. 925).

1. Quas laudes supra memoravi, c. III, p. 92.

2. « Cetera vero quæ, ne modum excederemus epistolarem, huic paginæ inserenda non duximus, Arsenio reverentissimo et sanctissimo episcopo, apocrisiario et misso apostolicæ sedis et consiliario nostro, defæcatissime prosequenda non indecenter, ut credimus, scriptis et dictis injunximus. Cui bene faciet gloria vestra in cunctis attendens, et in his quæ sibi, ex nostri apostolatus auctoritate, de pace sanctæ ecclesiæ perhibuerit, *non immerito credula vel ambigua, fidem certam* accommodans. » Nicolai *Epist. ad Carolum Calvum* (Migne, t. CXXIX, p. 913; Jaffé, 2773).

nestatæ, aut perditæ, aut etiam propter quod vobis dubietas credendi generaretur, pro libitu aliter habitæ fuissent, magnitudini vestræ per hunc gerulum transmisimus. Tunc, si authenticas ita se habere repereritis, assensus vester eidem Arsenio præbeatur. Sin autem, excepto de Rhotado et Albuino, illi vos credere non oportet[1]. »

Ex quibus verbis aliquis fortasse concludet Nicolaum I, quamvis multum Arsenio Hortensi uteretur, non tamen intimo corde perfectam ei fidem habuisse; de quo ego non disputo, tantum velim intelligas, quod supra dictum est de Anastasio litterarum Nicolai *dictatore* ordinario, illud idem ex hac exceptione non infirmari, sed potius confirmari.

En causa etiam, ut ego judico, cur Arsenii furta[2] de quibus Nicolaus jamjam moriturus Hludowicum Germanicum monere per litteras voluerat, in ipsa epistola non relata sint, sed in *embolio* quod olim vocabant, quod nos *post-scriptum* nominare solemus[3]. Noluerat enim pontifex patrem a filio notari, perfectaque ab Anastasio epistola, quæ ad Arsenium spectabant, aut ipse sua manu addiderat, aut ab alio scriptore addenda curaverat.

Atque quanti sit momenti illud novum quod in hoc capite proposui, nemo est qui non perspiciat. Quas enim litteras Anastasius, Nicolai auctoritate, condidit, et multæ sunt et rebus disputatis insignes. Quamvis enim, ut mox pluribus dicam, nonnulla in epistolis Nicolai desiderentur, quæ tum in contentionem venerant, in his tamen res graves agitantur, quæ perpetuam novitatem retinent,

1. Nicolai *Epist. ad Hludowicum et Carolum* (Migne, ibid., p. 924).
2. Quæ supra narravi, in c. III, p. 95.
3. V. Nicolai *Epistolam ad Hludowicum Germanicum* (Migne, t. CXIX, p. 1178; Jaffé, n. 2884; et supra, p. 95, n. 2).

hoc a Gregorio Magno præcipuum sedis apostolicæ monumentum superest, quod certe, si modo ipsorum judiciorum auctorem Nicolaum dicamus, Anastasianum opus necesse est appellare.

Quapropter in hoc commorari longius operæ pretium duxi, non ut quidquam theologicum exinde referam (id enim vetat nobis impositum disserendi genus), sed quod Anastasii nostri ingenium in iis litteris magis ac magis apparebit, totaque ejus persona quasi luce uberiore perfundetur.

V

ANASTASII INGENIUM EX EPISTOLIS NICOLAI I PLENIUS OSTENDITUR

I. Anastasianæ improbitatis num æquum sit invidiam conferre in ipsum Nicolaum. — II. Cur Anastasius, Nicolai nomine scribendo, de potestate summorum pontificum præcipue laboraverit. — III. Falsas decretales in litteris Nicolai I et usurpatas et laudatas fuisse, recentiores quidam critici, Anastasianis artibus decepti, immerito negarunt. — IV. Interrogatus ab episcopis Galliarum num decreta quædam Pseudo-Isidoriana in archivo ecclesiæ Romanæ inessent, Anastasius solertissime dissimulat. — V. Exorta deinde Rothadiana controversia, primum ad ambages variasque fallacias confugit. — VI. Sed, ut primum falsarum decretalium exemplar tenet, multa ex eis mutuatur et profert. — VII. Ea tamen cautione id agit ut vera tantum monumenta appellare videatur. — VIII. Tandem falsas decretales aperte commendat ac recipiendas esse contendit. — IX. Ad quod efficiendum, commenta illa recentissima in archivo Romano antiquitus asservata esse perfidiose instillat. — X. Eodem consilio veras quidem decretales causatur, at illas mutatas atque amputatas. — XI. Græcos exacerbat, Chalcedonensis concilii canonem nonum dolose in aliam partem traducendo. — XII. Nec laudandus est quod, scribens ad Occidentales ecclesias, Græcorum opiniones et injurias non satis fideliter exhibuit. — XIII. Denique, ad perdendum Hincmarum, conscio patre Arsenio, indignum mendacium struit.

I. Cum Anastasius, excommunicatus tum presbyter, Romam, ad arripiendum summum pontificatum, ingressus esset, nihil, ut jam ante dixi, antiquius habuerat quam ut scripta et tabulas, ejus opprobrii monumentum, ipse sua manu exstingueret [1]. Quod genus audaciæ ita erat in Anastasio insitum natura et fixum, ut, cum deinde aditus ei ad patriarchium ac bibliothecam Lateranensem patefecit, rursus nova furta novasque scriptorum detractiones patrare non

1. V. supra, c. II, p. 60.

dubitaverit. Cujus delicti testem habemus ipsum Hadrianum papam II, qui, in decreto publico, facto apud Sanctam Praxedem, sic in Anastasium pronuntiavit : « Sed infidelitas ejus nunc in tantum apparuit, ut post deprædationem patriarchii nostri ablationemque synodalium scripturarum, quas tam super se quam super hujusmodi a sanctissimis præsulibus diversis temporibus decretas repererat, institutionem quoque venerandæ synodi ab ipsis sanctis pontificibus factam atque sub interpositione anathematis retactam violari nobis subripiendo fecerit [1]. »

Hæc igitur, dum ego disseram, rogo ut quisque ante oculos retineat, ut, si qua consilia fraudis in litteris ab Anastasio compositis deinceps aperiam, si plura in eis ostendam aut prudenter dissimulata, aut corrupta impudenter, aut omni ex parte ementita, non jam videar incredibilia narrare, sed virum in moribus naturaque constantem describere.

Quod autem ad hanc quæstionem spectat, quid sit in hac re de Nicolao judicandum, jam supra dixi hoc nullam habere æquitatem, quotiescumque Anastasianæ artes hunc papam latere potuerint, earum invidiam in eum conferre. Fuit profecto Nicolaus vir ingenii non mediocris, eumque intelligentem et sapientem non immerito dixerunt Hincmarus ipseque Photius [2]; at aliud est eminere altitudine animi, aliud eruditione excellere, librisque evolvendis et investiganda bibliotheca delectari; cujus laboris studium et copiam Nicolao esse oportuit, ut plerumque Anastasii fraudes potuisset perspicere. Nec sane is fuit qui in omni re facillime deciperetur, essetque fraudulento cuilibet quasi parata

1. Hadriani II *Decretum* (Pertz, *SS.*, I, 479).
2. Sic enim Photius ad Nicolaum scribens : « τῆς ὑμῶν μεγαλοφυεστάτης συνέσεως ». (Migne, *P. G.*, t. CII, p. 616.) Hincmarus autem ad eumdem : « famosissimæ sapientiæ vestræ scripsi ». (Migne, *P. L.*, t. CXXVI, p. 89.)

præda : ejus enim sagacitatem et firmitatem multi suo damno sensere, neque dubium est quin, cum Anastasius, ex ejus persona scribens, reges quosdam aut episcopos tam graviter increparet, hæc Nicolao grata fuerint et probata. Sed quis ignorat viros aliquos, in ceteris rebus et fortes animo et ingenio perspicaces, eosdem sæpe cum suis familiaribus et amicis et agere benignius, et confidere tutius? Num Nicolaus unus fuit omnium paparum, qui soleret strenue et ferociter loqui, quanquam esset in suos indulgentior? Huc adde quod is pontifex, quo majorem ceperat opinionem potestatis suæ, eo minus Anastasium cavit, cujus fuit ars præcipua, dum regnavit Nicolaus, propugnationem sedis apostolicæ ostentare.

II. Hoc enim primum ponamus, in scribendis Nicolai litteris, Anastasium totum fere fuisse omnemque operam et eruditionem suam ad id consumpsisse, ut Romanorum pontificum jura et auctoritatem prædicaret.

Nam, ut jam illud animadvertit Ernestus Dümmler[1], quamvis, Nicolao papa I, inter catholicos exstiterint aliæ quædam controversiæ quæ maxime ad christianam fidem pertinent, de his tamen quæstionibus aut nihil prorsus in epistolis ejus papæ esse decretum, aut si qua data est sententia hanc jejune ac sine ullo apparatu erudito dictam fuisse; quod si vero institutum ecclesiasticæ potestatis agitur, an præsertim omnes causæ et judicia ad sedem Romanam referenda sint, scriptorem illum pontificium in eo genere disputandi et frequentem fuisse et multis argumentis uberrimum. Nihil enim in litteris Nicolai de *Prædestinatione* scriptum est, famosa illa controversia, qua tum Galliæ, Gothescalci causa, turbabantur, quam Galli episcopi, in varia studia sententiasque deducti, alii

[1] V. E. Dümmler, *Geschichte des ostfränkischen Reichs*, t. I, p. 652.

aliter, etiam in concilio, tentaverant dirimere[1]; quod silentium eo magis mirum est quod Hincmarus archiepiscopus Nicolaum I, ut rem summa sua auctoritate profligaret, per litteras et legatos ter saltem rogaverat[2]. Atque ex iis opprobriis quæ Græci Latinis objurgarunt, hoc erat gravissimum, corrupta inter Latinos fuisse de Spiritu sancto antiqua dogmata[3]; et tamen, in illa Nicolai I epistola qua Græcorum objurgationes refelluntur, pars magna impen-

1. Qua de re, si plura desideres, consulas ex multis Hefele, *Histoire des conciles*, t. V, p. 333-433; Car. von Noorden, *Hinkmar*, p. 51-101; H. Schrörs, *Hinkmar, Ezbischof von Reims*, p. 88 sqq. Freiburg im Brisgau, 1884.

2. Primum nempe a. 863, per litteras ab Odone episc. Bellovacensi Romam delatas, quæ quidem evanuerunt, sed quas commemorat Flodoardus (*Hist. Rem. eccles.*, lib. III, c. xv, ap. Pertz, *SS.*, t. XIII, p. 502; cf. Car. von Noorden, *Hinckmar*, p. 98, 405), et de quibus Hincmarus ipse ita loquitur : « Ceterum Liudo mihi dixit, quod cum eo rationem de dampnatione et reclusione Gothescalci habuissetis. Unde, quoniam per alios jam audieram ad sanctitatem vestram verba venisse, misi auctoritati vestræ quædam ex verbis et catholicorum sensibus in rotula, qualiter contra ipsius pestiferi hominis sensum sentiam, per Odonem episcopum, *et nihil inde responsionis accipere merui.* » (Hincmari *Epist. ad Nicolaum*, Migne, t. CXXVI, p. 43.) Deinde, a. 864, per epistolam quæ adhuc exstat (Migne, ibid., ep. 2, p. 25-46; Flod., lib. III, c. xiv, p. 500). Denique, a. 866, Hincmarus Egiloni Romam proficiscenti binas de eadem re epistolas commisit, quibus, inter alia, interrogabat num esset verum id quod in suis Annalibus narraverat Prudentius Trecensis, scilicet Gothescalci opinionem a Nicolao papa probatam ac firmatam fuisse : « Gothescalcus », is inquit archiepiscopus, « dicitur multos habere fautores, sicut habuit domnum Prudentium, sicut scripta ipsius testantur, quæ a pluribus qui illa habent possunt proferri. Qui etiam videlicet domnus Prudentius, in Annali gestorum nostrorum regum, quæ composuit, ad confirmandam suam sententiam, gestis anni Dominicæ incarnationis 859 indidit dicens : Nicolaus pontifex Romanus de gratia Dei et libero arbitrio, de veritate geminæ prædestinationis, et de sanguine Christi, ut pro credentibus omnibus fusus sit, fideliter confirmat et decernit. *Quod per alium non audivimus, nec alibi legimus.* Unde quoniam ipsa gesta, quibus hæc conscripta sunt, jam in plurimorum manus devenerunt, necesse est ut taliter de hoc domno apostolico suggeratis, ne scandalum inde in Ecclesia veniat, quasi ipse, quod absit, talia sicut Gothescalcus sentiat. » (Hincmari *Epist. ad Egilonem*, Migne, t. CXXVI, ep. 9, p. 70.) Porro cum nihil ad hæc responderit Nicolaus, cumque in reliquis epistolis ejus papæ nulla de Gothescalco inveniatur mentio, Prudentianis Annalibus fidem adjungere non licet, eo magis quod is scriptor ipse Gothescalco favebat (v. Prudentii *Annales*, Pertz, *SS.*, t. I, p. 453-4).

3. V. *Formosum* meum, p. 99 sqq.

ditur orationis in defendendam Romanorum pontificum præstantiam; quod autem ad Spiritum sanctum spectat expeditur unica periodo [1].

Hæc quidem aliarum quæstionum declinatio, aliarum crebra conquisitio, Nicolao etiam tribuenda est, qui illam controversiam *de gratia et libero arbitrio*, in qua tum catholici dissentiebant ac fortasse dissentient in æternum, non opportunum esse ex auctoritate pontificali decidere judicaverit, quique præterea persuasissimum habebat nihil quidquam melius ad res christianas conferre, quam cum omnia ad nutum Romani pontificis gererentur. At epistolarum Nicolai conditor, Anastasius noster, ad hæc nonnihil pro sua parte contulit, qui, cum magis esset historia quam philosophia aut theologia eruditus, neque in eis quæ alta contemplatione dogmatum continentur aut studiose aut multum volutatus[2], tum maxime, summos pontifices extollendo, de utilitatibus suis cogitabat.

Vix enim Nicolaus I summum pontificatum obtinuerat, cum Anastasius intellexit nihil aptius quidquam esse

1. Quæ hæc est : « Præterea de processione Spiritus sancti quis nesciat illustres viros, et præcipue Latinos, nonnulla scripsisse, quorum fulti auctoritatibus, istorum (Græcorum) oppido sane respondere possemus insaniæ, si vel illis nos reprehendendi, vel nobis eis contentiosa fauce gannientibus rationem reddendi consuetudo quælibet exstitisset? » In quibus, ut videre est, magna quidem Græci erroris despectio, refutatio autem nulla. V. Nicolai *Epist. ad Hincmarum* (Coleti, t. IX, p. 1490; Migne, t. CXIX, p. 1157). Nonnihil etiam in litteris Nicolai de carne et deitate Christi expositum est, sed verbis paucissimis. (V. Nicolai *Epist. ad Orient. patr.;* Coleti, ibid., p. 1312; Migne, ibid., p. 855 et 795.) Denique in illis *Responsis ad Bulgaros*, quæ, ut reliquæ Nicolai litteræ, Anastasio tribuenda videntur, ostendebam in *Formoso* meo declinatas fuisse explicationes dogmatum. V. *Le pape Formose*, p. 166, n. 2.

2. Ipse semel, suo scribens nomine, quæstionem illam de Spiritu sancto paululum attigit, sed, quanquam tum esset ætate provectior, non singularem theologiæ scientiam sibi comparasse videtur. V. Anastasii *Epist. ad Johannem diac.* (Migne, t. CXXIX, p. 560-7). Atque idem, cum in *Præfatione in Synodum VIII* Photium Græcosque insectatur, non quidquam, nisi de juribus Romanorum, fere laborat (Migne, ibid., p. 15 sqq.).

sibi ad hujus papæ retinendam benevolentiam, quam si sedis apostolicæ studiosus propugnator videretur. Itaque excommunicatus ille presbyter, qui septem continuos annos contumax in Leonem IV fuerat, qui aperte rebellaverat, quem neque jussa pontificis, nec decreta conciliorum, nec preces aut minæ reduxerant ad officium, idem, inquam, incredibile est, cum Nicolao recenti papæ Vitam S. Johannis Eleemosynarii dedicavit, ut auctoritatem sedis apostolicæ prædicaverit, ut jura summorum pontificum laudaverit: «Licet, inquit, membranas inciderim, scedulas præparaverim, non tamen hunc in codicem conficere ausus sum, antequam a dominatione vestra, o millies beate, licentiam adipisci promerui. Neque enim fas est ut absque vicario Dei, absque clavigero cœli, absque curru et auriga spiritualis Israelis, absque universitatis pontifice, absque unico papa, absque singulari pastori, absque speciali patre, absque te omnium arbitro aliquid consummetur aut divulgetur. Tu enim tenes claves David, tu accepisti claves scientiæ. In arca quippe pectoris tui tabulæ testamenti et mana cœlestis saporis requiescunt. Tu enim quod ligas, nemo solvit; quod solvis, nemo ligat; qui aperis, et nemo claudit; claudis, et nemo aperit. Vicem namque in terris possides Dei [1]. »

Hæc pulchre quidem; at nos videamus qua fide Anastasius in iis egerit, quibus ille artibus, Nicolai I auctoritate scribendo, jura Romanæ sedis defenderit.

III. Non multo antequam Nicolaus sedem apostolicam obtinuit, in Franciam occidentalem auctor quidam audacissimæ impudentiæ celeberrimum illud opus ediderat, quod nos *Falsas* vel *Pseudo-Isidorianas decretales* nuncupare sole-

1. Anastasii *Præfatio ad dominum Nicolaum papam* (Migne, *P. L.*, t. LXXIII, p. 339).

mus[1]. In qua fraude id, inter alia, statuebatur, quod nemo antea statuerat, scilicet omnia de episcopis quibuscumque judicia, quippe in numerum causarum majorum antiquitus reposita, ad solum Romanum pontificem pertinere[2]. Quibus commentis ut major conciliaretur auctoritas, falsarius ille epistolas multas antiquissimorum paparum a Clemente ad Damasum finxerat[3], quas inventis suis, si non feliciter, at certe impudenter, contexuit[4]. Quamobrem id falsum est

1. *Decretales Pseudo-Isidorianas et capitula Angilramni* impensa cura edidit Paulus Hinschius, Lipsiæ, a. MDCCCLXIII. De provincia Remensi, collectionis patria, idem Hinschius uberrime, ut solet, disseruit (op. laud., *Præfat.*, p. CCIV-CCXIII); quanquam recentius, factum fuisse in provincia Turonensi istud mendacium, probare voluit Langen (v. *Wochmals : Wer ist Pseudo-Isidor*, in *Historische Zeitschrift*, 1882, t. XIV, p. 473 sqq.). De tempore autem quo primum falsæ decretales vulgatæ sunt, id saltem constat jam testes illas adhiberi a. 857, in conventu apud Carisiacum habito, atque tum nominatim ab episcopis Galliæ proferri Pseudo-Anacletum, et Pseudo-Urbanum, et Pseudo-Lucium (v. Pertz, *Leges*, t. I, p. 453; cf. infra, p. 167), sed tamen easdem ante d. XXI m. Aprilis a. 847 esse editás non sine causa negavit Hinschius (op. l., p. CCI).

2. «Ipsa vero primæ sedis Ecclesiæ... judicia episcoporum singulari privilegio evangelicis et apostolicis atque canonicis concessa sunt institutis, quia semper majores causæ ad sedem apostolicam multis auctoritatibus referri præcepta sunt.» *Pseudo-Julii decreta*, c. V (Hinschius, p. 459); cf. c. VII (p. 460); *Pseudo-Anacleti* c. XVII, XXXIV (p. 74, 84), *Pseudo-Zeppherini* c. VI (p. 132), etc. Verumtamen in hoc Pseudo-Isidorus rerum novarum molitor dicendus est, quod episcoporum *quorumvis* judicium, eorum etiam qui metropolitanis aut aliis primatibus subjecti essent, sedi apostolicæ tribuit. Est etiam falsarius ille in alio quodam effato frequentissimus, contenditque nullam sine exceptione synodum injussu Romani pontificis convocari posse. V. *Pseudo-Julii decreta*, c. VI, XI, XIII (Hinschius, p. 459, 465, 471); *Pseudo-Felicis II* c. II (p. 479); *Pseudo-Damasi* c. IX (p. 503). Quod idem novum erat. Re quidem vera Cassiodorus, obscure loquendo omniaque miscendo, ansam huic errori dederat; sic enim scripserat : « Cum utique regula ecclesiastica jubeat non oportere præter sententiam Romani pontificis concilia celebrari » (*Historia eccles. tripartita*, l. III, c. IX, ap. Migne, *P. L.*, t. LXIX, p. 960), et inferius : « Canonibus quippe jubentibus extra Romanum nihil decerni pontificem » (ibid., c. XIX, p. 966); at vero ex legibus certis vetereque consuetudine constabat hæc tantum de conciliis generalibus et de rebus gravissimis vere dicta esse.

3. Recentiorum etiam nomine usque ad Gregorium Maximum nonnullas epistolas composuit. (V. Hinschius, op. laud., *Præf.*, p. LXXXIX-CVIII.)

4. Non quod ea omnia quæ in falsis decretalibus reperiuntur ipse Pseudo-Isidorus

quod olim a pluribus scriptoribus asseverabatur, istius fraudis principes artificesque fuisse Romanos; atque jam probatum exploratumque est falsas decretales per sedem apostolicam nec fictas fuisse neque in vulgus primum editas[1].

Verumtamen, cum quæ de causis episcoporum Pseudo-Isidorus recens instituerat, eadem ipse instituerit Nicolaus I [2], hinc orta est inter eruditos quæstio utrum is pontifex, ad id decernendum, decretalium falsarum cognitione atque auctoritate adductus fuisset, necne [3]. Qua

omni ex parte ementitus sit; multa enim ex fontibus genuinis hausit, sed perverse interpretando, detorquendo, adulterando. Quin etiam non semel de eadem re antiquas leges simul perscripsit ac novas veteribus contrarias confinxit : ut, « si quis, ait Hinschius, omnia ab illo excogitata in rebus ecclesiasticis instituendis sequi voluisset, id propter diversitatem et discrepantiam eorum quæ de iisdem rebus ementitus est, facere omnino non potuisset » (op. cit., *Præf.*, p. CCXIV). Etenim, ut exempla sumamus ab iis quæ ad propositum nostrum spectant, lex erat antiqua : episcoporum judicia ad sedem apostolicam, *si modo ad eam provocatum fuisset*, deferenda esse (v. concilii Sardicensis can. IV; et infra, p. 141), neque adeo apud Romanum pontificem primo agendam esse causam, sed tantum, post synodale judicium, *terminandam ac finiendam* (v. Innocentii I *Epistolam ad Victricium Rotomagensem episc.*, c. III, Migne, *P. L.*, t. XX, p. 472-3). Porro qua ratione Pseudo-Isidorus hanc institutionem modo satis fideliter retulerit, modo in rem suam adulterando converterit, ex sequente collatione videbitur.

PSEUDO-ANACLETI C. XVII.	PSEUDO-ZEPPHERINI C. VI.	PSEUDO-MARCELLI C. II.
« Quod si difficiliores ortæ fuerint quæstiones aut episcoporum vel majorum judicia aut majores causæ fuerint, ad sedem apostolicam, *si appellatum fuerit*, referantur. » (Hinschius, p. 74.)	« Judicia enim episcoporum majoresque ecclesiæ causæ a sede apostolica et non ab alia, sicuti apostoli et sancti successores eorum cum aliis episcopis statuerunt, sunt *terminandæ*. » (Hinschius, p. 132.)	« Episcoporum judicia et summarum causarum negotia sive cuncta dubia apostolicæ sedis auctoritate sunt *agenda et finienda*. » (Hinschius, p. 224.)

1. Hinschius, *Præf.*, p. CCIV.
2. V. infra, p. 148 sqq.
3. Ut eos omittamus qui, aliud agentes, hanc etiam rem tractavere, id fuse ac distinctis opusculis disputarunt Car. de Smedt (v. *Les fausses décrétales, l'épiscopat franc et la cour de Rome du neuvième au onzième siècle*, par le P. Ch. de Smedt, S. J.; extrait des *Études religieuses, historiques*

de re tanta sunt in varietate auctores, ut alii compilationes Pseudo-Isidorianas arbitrentur non solum a Nicolao I perlectas fuisse, sed etiam probatas atque in litteras ipsius adhibitas[1], alii vero lectas quidem fateantur, sed probatas aut adhibitas negent[2], quidam denique ne lectas quidem concedant[3].

Et quidem usus falsarum decretalium qui in litteris Nicolai I reperitur, tanta est calliditate compositus, earum auctor ita artificiose egit, ex illis spuriis monumentis quidquid esset ad suum commodum hauriens, quin tamen in eis præcipue niti videretur, ut, ignorantibus omnibus a quo

et littéraires, XV[e] ann., t. VI) et recentius Carolus Föste (v. *Die Reception Pseudo-Isidors unter Nicolaus I und Hadrian II, ein Beitrag zur Geschichte der falschen Dekretalen*, von D[r] Carl Hermann Föste, Leipsig, Georg Böhme, 1881); de qua dissertatione cons. Arm. Wasserschleben in *Theologische Litteraturzeitung*, April 1881, p. 182 (Leipsig).

1. Sexcenti sunt iidemque viri docti qui in eam sententiam iverint, de quibus memorare satis erit : D. Coustant (*Epistolæ Romanorum pontificum*, Præf., p. CXXVIII), Baluze (*Notæ in Lupi Ferrariensis opera*, Migne, *P. L.*, t. CXIX, p. 609), Gfrörer (*Geschichte der Karolinger*, t. I, p. 483), Wasserschleben (*Beiträge zur Geschichte der falschen Dekretalen*, p. 5 sqq., 76 sqq.), Dümmler (*Geschichte des ostfränkischen Reichs*, t. I, p. 538-541), Weizsäcker (*Die pseudo-isidorische Frage in ihrem gegenwärtigen Stande*, ap. Von Sybel, *Historische Zeitschrift*, 1860, t. III, p. 82 sqq.), Car. von Noorden (*Hinkmar, Erzbischof von Rheims*, Bonn, 1863, p. 201-207), Hefele (*Histoire des conciles*, éd. fr., t. V, p. 494, 505, 507), Föste (op. cit., p. 5 sqq.), Lud. de Regnon (*La question des fausses décrétales en* 1866; cf. *Études religieuses*, a. 1866, p. 389 sqq.), Hinschius (op. cit., p. CCV-VII).

2. Carolus de Smedt multum elaboravit ut probaret falsas decretales Nicolao papæ I suspectas fuisse (op. cit., p. 18). Cujus conclusio est hæc : « Jamais il (Nicolas) ne s'est avisé de recommander la collection pseudo-isidorienne ou de lui emprunter la moindre citation. » (Ibid., p. 17.) Hæc tamen addit : « M. Hinschius, tout en accordant que Nicolas I[er] n'a cité que les décrétales authentiques, ajoute qu'il les a interprétées conformément aux inventions du Pseudo-Isidore. *Nous ne voudrions pas tout à fait nier cette influence.* » (Ibid., p. 16, n. 3.) Quod idem fere opinatur Bernardus Jungmann. V. *Dissertationes in historiam ecclesiasticam*, t. III, p. 306.

3. V. g. Kuntsmann (*Neue Sion Jahrgang*, 1845, n° 54, p. 245 sqq.), Andreas Thiel (*De Nicolao papa I commentationes duæ historico-canonicæ*, Brunsbergæ, 1859, Diss. II, p. 37), Walter (*Kirchenrecht*, 14 ed., p. 207), Félix Rocquain (*Les Lettres de Nicolas I[er]*; cf. *Journal des savants*, octobre 1880, p. 613), Hergenröther (*Handbuch der Kirchengeschichte*, 2 ed., t. I, p. 590).

hæc essent patrata, quidam rem non dubiam infitiari maluerint, quam talem astutiam in Nicolaum, celebratissimum pontificem, conferre.

Nos vero animo liberiore ostendamus qua ratione Anastasius in hac re processerit, ac primum de falsis decretalibus tum a Gallis interrogatus cum ipse hæc scripta nondum haberet, qua calliditate usus sit.

IV. Anno circiter 857, Wenilo, Senonensis archiepiscopus, ceterique ejusdem diœceseos episcopi consilium inierant ut Herimannum, episcopum Nivernensem, cui deerat cum corporis, tum etiam mentis integritas, a munere sacerdotali amoverent, cum eis objecta fuit epistola quædam, non quidem a Melchiade papa, ut tum ferebatur, ad Hispanos scripta, sed a Pseudo-Isidoro conficta, in qua præceptum erat ut ne episcopi absque sedis Romanæ auctoritate judicarentur [1].

Qua rei novitate incerti Galli quid agerent, veritique ne, si esset hæc epistola in manibus Romanorum, a Nicolao vituperarentur pœnasque temeritatis darent, sapientissimum esse statuerunt ad sedem apostolicam scribere. Erat enim a S. Hieronymo datum hoc præceptum, erat etiam hoc antiquæ consuetudinis, ut, si qua de litteris Romanorum pontificum existeret contentio, ad chartarium ecclesiæ Romanæ provocaretur [2]. Quapropter Wenilo ejusque

1. « Episcopos nolite judicare, nolite condempnare absque sedis hujus auctoritate. Quod si feceritis, irrita erunt vestra juditia et vos condempnabimini. » Pseudo-Melchiadis *Epist. prim.* c. II (Hinschius, p. 243).

2. « Si a me fictam epistolam suspicaris, cur eam in Romanæ ecclesiæ chartario non requiris? » Hieronymi *Apologia adversus libros Rufini,* l. III, c. XX (Migne, *P. L.*, t. XIII, p. 471). Ita egerat, seculo octavo, S. Bonifatius Moguntinus, qui, cum dubitaret an epistola quædam S. Gregorii sincera esset, a Gregorio papa III efflagitavit ut bibliothecam ecclesiæ Romanæ investigari juberet. Quibus precibus obtemperasse Gregorium III ex his litteris apparet quas paulo post Bonifatius ad Nothelmum Cantuariensem archiep. scripsit, in quibus sic est : « Similiter et diligenter obsecro, ut illius epistolæ, qua continentur, ut dicunt, interrogationes Augustini ac prædicatoris primi Anglorum et

collegæ Nicolaum summopere rogaverunt ut Melchiadis decreta, quæcumque Romæ essent, ad ipsos mittere curaret[1].

Profecto Nicolaus Gallorum episcoporum quam æqua esset postulatio ignorare non poterat, vixque dubium est quin, accepta Wenilonis epistola, scrinia Romanæ bibliothecæ investigare Anastasium jusserit, eo magis quod de tali scripto agebatur, ex quo invento maxima auctoritati sedis apostolicæ effloruisset utilitas. Quid vero Anastasius, post illam investigationem bibliothecæ Romanæ, summo pontifici renuntiaverit, dici certo nequit, quanquam id suspicari ex sequentibus fortasse licebit; at certe neque is affirmare potuit falsam illam decretalem Melchiadis in archivo Romano a se esse inventam, neque aliud quidquam exemplar operis Pseudo-Isidoriani Nicolao porrigere, tanquam ex ea bibliotheca depromptum. Hæc enim ficta monumenta Anastasio tum non nota fuisse, cum apparet ex ejus re-

responsiones sancti Gregorii papæ, exemplar mihi dirigere curetis... et investigare curetis : si illa conscriptio supra dicti patris nostri sancti Gregorii esse comprobetur an non. *Quia in scrinio Romanæ ecclesiæ, ut adfirmant scrinarii, cum ceteris exemplaribus supra dicti pontificis quæsita non inveniebatur.* » (Jaffé, *Bibliotheca rerum Germanicarum*, t. III, p. 96.)

1. Lupus, abbas Ferrariensis, Wenilonis jussu, illam ad Nicolaum epistolam opera sua et stylo elaboravit, quæ ideo inter alias Lupi litteras edita est (v. Migne, *P. L.*, t. CXIX, p. 608-610). Ejus autem epistolæ exemplum, quo quisque facilius argumentandi filum servet, jam transcribo. « Suggerimus mansuetissimæ paternitati vestræ in nostra diœcesi, in oppido quod Nivernum dicitur, esse quemdam episcopali officio præditum nomine H. (Herimannum), qui frequenter admonitus et diu exspectatus ut revalesceret, implere non sufficit ipsum officium mente non integra. *Dicitur autem Melchiades papa decrevisse ne quis unquam pontifex sine consensu papæ Romani deponeretur. Unde supplicamus ut statuta illius integra, sicut penes vos habentur, nobis dirigere dignemini;* ut hinc dictis ipsius confirmati, aut sicut beatus Gregorius doctor fecit de Ariminensi episcopo incommodo simili laborante sequamur, aut sicut sanctus Gelasius docet, removendus sit mente percussus. Quo verum absque dubietate sciamus, expetimus et exspectamus vestrum judicium, ne in temeritatis calumniam aliquatenus incidamus, sed, vestro instituti moderamine, veritatis et rectitudinis tramitem nullatenus deseramus. » (Migne, ibid.)

scripto ad Wenilonem, tum etiam infra videbimus quo anno falsæ decretales primum in manus Romanorum venerint.

Itaque Gallis interrogantibus respondere res erat difficillima ac multæ cautionis. Quod si Anastasius impudenter mentiretur, quæri ab eo poterat cur illa exemplaria, quæ penes Romanos pontifices antiquitus esse dicebat, nec Nicolao obtulisset, neque ad episcopos Galliæ, quemadmodum id postulabatur, deferenda curasset. Sin vero veritatem fateretur ingenue, causam Gallis afferebat ut datum præceptum a Pseudo-Melchiade perfringerent, sibique, more antiquo, judicia episcoporum vindicarent. Illud est enim diligentissime observandum, Wenilonem ejusque collegas decreta Melchiadis a Nicolao postulasse non quod ea adulterina existimarent (nullam enim suspicionem in hac re significaverant), sed potius in hac videbantur esse sententia, si quæ litteræ summorum pontificum in Libros canonicos non essent relatæ, id saltem oportere, eas, ut legis vigorem haberent, asservatas fuisse in archivo apostolicæ sedis. Ex quo intelligitur quanti interesset ut nesciretur a Gallis epistolam illam Melchiadis Romæ nusquam reperiri.

Et sane in hoc Anastasium se præbuisse insigni solertia fateamur necesse est. Is enim in eo rescripto quod Nicolai nomine composuit[1], fingens Wenilonem in suis litteris nihil de decreto Melchiadis interrogasse, totumque fuisse in consulendo de Herimanni causa, multis verbis explicavit qua ratione et via in eum episcopum procedendum esset ; quæcumque Galli episcopi, breviter narrando, non consulendo, scripserant, ad longum examen adduxit, verba ipsa aliquando retulit, refutavit, alia inter se pugnare, alia non satis firma esse ostendit ; id autem quod maxime petebatur, prudentissime declinavit, deque epistolis Mel-

1. Quam epistolam, inter Appendices hujus operis, ex toto edidi.

chiadis nullum verbum fecit, ut, accepto illo sedis apostolicæ rescripto, episcopis Galliarum utrum hæc falsa decretalis in bibliotheca Romana inesset, an non, in ambiguo prorsus fuerit[1].

Quod quidem tales artes Nicolao acceptæ ac probatæ fuerint, est cur nonnihil admiremur; verumtamen, cum non ipse summus pontifex scrinia armariaque bibliothecæ scrutaretur, fieri potuit ut ei Anastasius persuaserit decretales illas Melchiadis epistolas, in præsentia quidem non esse in archivo repertas, posse tamen magis investigando inveniri, ideoque studiose esse cavendum ne tantis tamque commodis monumentis omnis auctoritas immatura confessione derogaretur. Sperabat enim is veterator fore ut hæc decreta in manus ejus deinceps venirent, seque tum posse, id quod jam dissimulando inceperat, audacter mentiendo perficere. Quam conjecturam non esse quid temerarium, sed certa inniti veritate, ea quæ sequuntur demonstrabunt.

V. Hæc quidem ad Wenilonem epistola anno circiter 859 scripta est; at duobus post annis exstitit alia Romani pontificis cum Gallis contentio, quam nobis ordine ac subtiliter persequi opus est; in illa enim causa, non solum Anastasius in manifesta fraude deprehenditur, verum etiam quidquid adhuc de usu falsarum decretalium in litteris Nicolai disputatur, ex hac narratione fortasse elucescet.

1. Ex qua dissimulatione hoc etiam concludamus, non esse tum Anastasio idem persuasum quod deinde, acceptis tandem falsis decretalibus, tam ostentavit (v. infra, p. 174 sqq.), nimirum, nihil esse in scriptis Pseudo-Isidorianis de episcoporum judicio decretum, quod non esset in epistolis canonicis similiter institutum. Nam quid intererat unum unius papæ decretum tanto artificio defendere, cur non vera dicere ingenue, si quidem id quod de episcopis judicandis in hac Melchiadis epistola institutum ferebatur, in aliis etiam multis litteris iisdemque jamdudum receptis inesse constaret? Nonne potius Galli episcopi magna vituperatione reprehendendi erant, utpote qui nova argumenta in veteribus ac certissimis legibus expostulassent?

1. Anno igitur 861, Hincmarus Remensis archiepiscopus Rothadum, Suessionicæ civitatis præsulem, ab episcopali communione prohibuit[1]. Primum quidem Rothadus, spreta Hincmari metropolitæ sententia, ad alios judices provocare nihil curaverat; sed anno 862, cum sensit episcopos e quatuor Galliarum provinciis ad Pistas congregatos sic affectos esse ut Hincmari judicium confirmarent, Romam se appellare exclamavit[2]. Jamque in eo erat ut iter Romanum, nemine impediente, ingrederetur, cum subito mutare consilium atque ad synodum Pistensem appellare visus est[3].

Qua re audita, episcopi Pistis egressi in suburbium Suessionicæ civitatis perrexere, ibique, synodo congregata, Rothadum iterum mutatum voluntate ac rursus ad sedem Romanam provocantem, judicarunt atque ab omni sacerdotali dignitate amoverunt[4]. Quin etiam in ejus locum alium episcopum suffectum consecrarunt[5]. Quibus ita gestis, synodus Odonem, episcopum Bellovacensem, Romam lêga-

1. V. Hincmari *Annales*, a. 861 (Pertz, *SS.*, t. I, p. 455-6).

2. V. Hincmari *Annales*, a. 862 (Pertz, ibid., p. 457); *Libellum proclamationis Rothadi* (Coleti, *Concilia*, t. X, p. 269); cf. Hefele, *Histoire des conciles*, t. V, p. 466-7.

3. Res ita se habuisse asseverarunt episcopi qui Rothadum judicaverant. V. Nicolai *Epist. ad episcopos synodi Suessionicæ* (Migne, t. CXIX, ep. 35, p. 830 B; de quibus litteris v. Hefele, *Hist. des conc.*, t. V, p. 469-470, et Jaffé, n. 2723). Negavit quidem Rothadus se unquam ab appellatione Romana decessisse (v. *Libellum procl. Rothadi*, Coleti, ibid.), non ita tamen ut rem manifestam, meo quidem judicio, effecerit. Ceterum in hac re, fateor, veritatem assequi res est difficillima. Sunt enim tria tantum testimonia quæ appellare possimus, id est, Hincmari *Annales*, Rothadi *Libellus proclamationis*, Nicolai I *Epistolæ;* quorum duo in propria causa versantur, tertium, propter Anastasianam industriam, fidem perfectam facere non potest.

4. V. Hincmari *Annales*, a. 862 (ibid., p. 457); *Libellum proclamationis Rothadi* (ibid., p. 270-2).

5. V. Nicolai *Epist. ad episcopos syn. Suession.* (Migne, t. CXIX, ep. 35, p. 830 A); *Epist. ad Hincmarum* (Migne, ibid., ep. 33, p. 824 B; cf. *Gallia christiana*, t. IX, p. 344 A).

tum misit, qui Nicolaum precaretur ut Acta hujus synodi Suessionicæ rata ac confirmata haberet[1].

Sic fuit, quantum satis est ad rem nostram dicere, celebris illa causa, in qua Nicolaus pontifex constantem validissimamque propugnationem pro Rothado ita sibi suscepit, ut hunc tandem episcopum, quem Romam vocaverat, pro sua summa potestate in pristinam dignitatem restituerit. In quibus omnibus id tantum dolendum est accessisse Anastasii operam et ingenium, eamque causam a tali viro fuisse defensam.

2. Re quidem vera Hincmarum aliosque Galliæ episcopos, contra quam lege sancitum esset nonnihil egisse, nemo, ut opinor, infitiari potest. Nam, quamtumvis verum esset Rothadum de jure appellationis ad Romanum pontificem parumper decessisse, iste nihilominus episcopus, post synodale judicium, de injusta in se illata sententia expostulasse perhibetur[2]. Quæ cum ita essent, quanquam sane Hincmaro per regulam Sardicensem licuit judicium in synodo Suessionica latum interim exsequi, ac Rothadum condemnatum ab officio episcopali ad tempus amovere[3], tamen ex eadem lege Sardicensi debuit, antequam alium episcopum in locum amoti Rothadi sufficeret, rem ad sedem apostolicam deferre ac sententiam exspectare Romani pontificis, cujus erat, ut verbo et consuetudine utar, causas ejusmodi terminare[4].

1. Nicolai *Epistola ad Hincmarum* (Migne, ibid., ep. 33, p. 823 D, 824 D); *Epist. ad episcopos synodi Suessionicæ* (Migne, ibid., ep. 35, p. 830 D; cf. Hefele, *Hist. d. conc.*, t. V, p. 470).

2. V. *Libell. procl. Rothadi* (Coleti, t. X, p. 271-2) et *Sermonem Nicolai die vigil. nativ. Domini habitum*, a. 864 (Migne, t. CXIX, p. 891 C).

3. Ex quarto Sardicensis concilii canone patet appellantem episcopum ad Romanum pontificem jam depositione mulctatum esse : « Cum aliquis episcopus *depositus fuerit* eorum episcoporum judicio, qui in vicinis commorantur, et proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma, » etc. (ap. Hefele, *Hist. d. conc.*, t. I, p. 554).

4. « Alter episcopus in ejus cathedrà, post appellationem ejus qui videtur

Quod si igitur in litteris Nicolai I nihil aliud Hincmaro exprobratum fuisset, non esset cur plura diceremus de re manifesta ; at epistolaris pontificius longius progressus est ac perseveranter ab initio controversiæ contendit episcopis Galliæ non licuisse, ante sedis apostolicæ cognitam sententiam, Rothadum appellantem præjudicare ac depositione dignitatis plectere [1]. Neque adeo verum est id quod quidam asserunt [2], Nicolaum I, cum, in cursu causæ Rothadianæ, Pseudo-Isidoriana commenta in manus ejus venissent, tum primum sibi vindicasse episcoporum judicia; multo esset verius hunc papam ex cognitione falsarum decretalium in sua sententia fuisse firmatum, non vero immutatum. Quod enim certe mutatum est, ea est argumentandi ratio qua Anastasius, in causa Rothadi, judicia episcoporum ad sedem apostolicam pertinere demonstravit ; quæ quidem argumentatio tam

esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio episcopi Romani determinata. » *Sardic. conc.* can. IV (Hefele, op. l., p. 554).

1. Etenim, ineunte anno 863, jam scribebat ad Hincmarum : « Auditu veraci cognovimus quod Rothadus frater et coepiscopus noster ecclesiæ Suessionicæ..... a vestra sanctitate fuit impetitus, et adhuc, *quod nefas est,* sedem apostolicam appellans, juxta quod sibi a patribus constat esse permissum, episcopatus etiam absens expoliatus honore, et in exsilium deportatus, hactenus in monasterio retrusus existat. » Nicolai *Epist. ad Hincmarum* (Migne, ibid., ep. 34, p. 825 ; cf. Jaffé, n. 2712). Atque hoc eodem anno circiter medio : « Cumque lectis monumentis gestorum, quibus cum cæteris coepiscopis tuis visa est tua quoque venerabilitas subscripsisse, invenimus sanctissimum fratrem Rothadum apostolicam appellantem sedem, vobis judicantibus, gradu episcopatus dejectum, valde doluimus. » Nicolai *Epist. ad Hincmarum* (Migne, t. CXIX, ep. 33, p. 823 ; cf. Jaffé, n. 2721). « Ignorare autem fraternitatem vestram non patimur animum nostrum non mediocriter læsum, eo quod... appellantem eumdem Rothadum apostolicam sedem deposueritis, ac monasterio retruseritis : quod non nisi in contemptum beati Petri, cujus judicium expetivit, et in contumeliam sacrorum canonum, et ecclesiasticarum traditionum præsumptum, ac temere admissum minime dubitatur. » Nicolai *Epist. ad episc. syn. Suession.* (Migne, ibid., ep. 35, p. 828 ; cf. Jaffé, n. 2723).

2. De quibus est Ludovicus de Regnon. V. *La question des fausses décrétales en* 1866 (*Études religieuses,* 1866, p. 389-391).

diversa diverso tempore fuit, ut, quo anno is epistolaris codicem falsarum decretalium sibi comparaverit, et plane perspici, et quasi acu tangi queat.

VI. Et quidem Nicolai pontificis de causa Rothadiana sex et decem adhuc exstant epistolæ, quarum decem scriptæ sunt ab ineunte anno 863 ad annum medium 864, id est, priusquam Rothadus ipse Romam venisset[1], sex vero reliquæ post ejusdem adventum Romam[2]. Itaque videamus in utraque serie earum quam dissimili ratione Anastasius egerit.

1. Quod ad priores epistolas attinet, hoc primum notatu dignum est, in illis scriptorem pontificalem nunquam decretales aliquas priscorum pontificum opinioni suæ prætendisse, ne illud quidem « decretales priscorum pontificum » usurpasse. Præterea doctrinam illam Pseudo-Isidorianam, in qua asserebatur cujuslibet episcopi judicium «majorem esse causam», atque ob eam ipsam rem ad solum Romanum pontificem pertinere, nunquam laudavit aut protulit, necdum ostentavit illud : «non posse sine facultate sedis apostolicæ congregari ullam synodum». Quæ eo magis miranda sunt quod, adhibitis effatis illis Pseudo-Isidorianis, Anastasius rem suam quam facillime arguisset, iisdem vero sublatis, nihil jam illi restaret quod posset ex certo vetereque instituto exhibere.

At restabat Anastasio ingenium et solertia quibus tam belle usus est, ut Hincmarum et episcopos Galliæ illis ipsis armis oppugnaverit, quibus ii se tegere jure meritoque poterant. Etenim si audiatur argutus noster, ideo episcopis

1. I. e., ap. Migne, ep. 33 (Jaffé, nov. ed., n° 2721), ep. 34 (J., 2712), ep. 35 (J., 2723), ep. 36 (J., 2722), ep. 37 (J., 2713), ep. 38 (J., 2727), ep. 47 (J., 2737), ep. 48 (J., 2738), ep. 49 (J., 3739), ep. 60 (J., 2756).

2. I. e., ap. Migne, ep. 72 (J., 2782), ep. 73 (J., 2783), ep. 74 (J., 2784), ep. 75 (J., 2785), ep. 76 (J., 2786), ep. 77 (J., 2781); quibus adde *Sermonem a Nicolao d. 24 m. dec. a. 864 habitum* (Migne, ep. 71, p. 890; J., p. 355).

Galliæ de Rothado sententiam ferre aut pœnas sumere non licuisset, quod hic episcopus ad sedem apostolicam provocaverat[1]; quanquam ex ipsis decretis Sardicensis concilii, in quo illud jus appellationis erat statutum, ad Romanum pontificem non ante dictam ab episcopis sententiam, sed post causam ab eisdem præjudicatam, appellandum esse constaret[2].

Hæc autem tum scribebat Anastasius cum nondum audiverat Rothadum, omissa appellatione, episcoporum judicio se permisisse. Quod ut ex relatione synodi Suessionicæ accepit[3], necessitas ei demonstrandi fuit leges ab episcopis Galliæ violatas esse, etiamsi Rothadus Romanum pontificem nihil appellasset. Quæ sane demonstratio non solum erat difficilior, sed ei etiam magis adversabatur concilium Sardicense, in quo re vera præcipiebatur ut, si quis reus episcopus causam sibi esse bonam existimaret, consuleretur pontifex Romanus, at ex quo etiam intelligi poterat ita agendum esse cum episcopo jam judicato ac reclamante[4].

At quid non possit juncta cum calliditate audacia ? Hoc

1. V. *Nicolai ad Hincmarum epist.* (Migne, epist. 34, p. 825, et supra, p. 142, n. 1).

2. V. *Sardic. conc.*, c. IV, et supra, p. 141, n. 3.

3. Postquam Rothadus Romam venisset, Anastasius audacter asseveravit episcopos synodi Suessionicæ id mentitos fuisse. Sic enim Nicolai nomine ad Hincmarum scripsit a. 865 ineunte : « Præparare machinamenta minime reformidasti... occasionem sumens de quadam epistola, tanquam Rothadus, postquam ad nostrum appellaverat judicium, rursus ad vestrum mutata voce provocasset examen, *quod omnino falsum est.* » Nicolai *Epist. ad Hincmarum* (Migne, CXIX, ep. 74, p. 897). At de eadem re hæc antea scripserat : « Sed dicitis, post appellationem apostolicæ sedis illum (Rothadum) vocem mutasse, et episcoporum concilium expetisse. Quibus cum pace vestra fatemur, *quamvis vestris assertionibus fidem adhibeamus*, et ita fecisse illum, quoniam non est quod possit non credi sanctimonio, *veraciter teneamus...* » Nicolai *Epist. ad episc. syn. Suess.* (Migne, ep. 35, p. 830).

4. « Quod si aliquis episcoporum *judicatus* fuerit in aliqua causa, *et putat se bonam causam habere, ut iterum concilium renovetur :* si vobis placet, sancti Petri apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt, Julio Romano episcopo, et si judicaverit renovandum esse judi-

ipsum concilium Sardicense, quod Anastasius adversum certo habebat, stare a se ausus est affirmare, atque quæ plurimum obstabant, hæc in defensionem præcipuam convertit : « Maxime cum, ait, juxta constitutionem sanctæ hujus synodi, *etiamsi nunquam reclamasset* (Rothadus), *nunquamque sedis apostolicæ mentionem fecisset*, a vobis, qui causam ejus examinastis, memoria sancti Petri honorari debuerat, atque ei præscribi, ut si judicaret renovandum esse judicium, renovaretur, et daret judices [1]. »

Cujus argumentationis fallacia, nostris quidem temporibus, tam manifesta est, ut eruditus quidam recentior, quanquam Romanæ sedi addictissimus, ac quanquam ipse de Nicolao I laudationes duas conscripsit, in his tamen litteris fateri debuerit artificiosas ambages inesse, ut etiam falsas decretales talia scribenti non notas fuisse concluderit. « Quid? exclamat Andreas Thiel, num tantum pro probanda causa sua laborasset (Nicolaus), argumenta *per artificiosas ambages* recollegisset, si ipsi tot tamque aperti loci affatim adfuissent, quales de ea re a Pseudo-Isidoro allati [2] ? »

2. Hæc quidem ante medium annum 864. At mense Junio ejusdem anni Rothadus Romam tandem advenit, causam suam ipse apud sedem apostolicam dicturus [3]. Quem

cium, renovetur et det judices. » *Sard. conc.* can. III (Hefele, *Hist. d. conc.*, t. I, p. 550). Cf. can. IV (supra, p. 141, n. 3), in quo id etiam apertius est.

1. Nicolai *Epist. ad episc. syn. Suess.* (Migne, ibid., p. 830).

2. A. Thiel, *De Nicolao I commentatio II*a, p. 34.

3. Die 24 mensis decembris a. 864, Nicolaus I, in *Formula restitutionis Rothadi*, his verbis Romanos allocutus est : « Sed ecce, dilectissimi, sicut ipsi scitis, sex mensibus jam præsente Rothado Romæ apud nos manente » (Migne, t. CXIX, ep. 72, p. 892 ; de tempore autem quo hæc formula recitata sit, cons. *Analecta juris pont.*, t. X, p. 123, et *Vitam Nicolai I*, c. LIX, ap. Vignoli, t. III, p. 206). Præterea, in epistola ad Carolum Calvum non multo post diem 21 Januarii mensis a. 865 missa, sic reperimus : « Rothadus in apostolica quam petiit sede ecce octo circiter mensibus sit commoratus » (Migne, ibid., ep. 73, p. 895 ; cf. Jaffé, n. 2783).

cum Nicolaus audivisset, reque diu perpensa, absolutum judicio in amissos honores restituit[1]; deinde, ineunte circiter anno 865, ad Gallos epistolas complures mittendas curavit[2], quibus rursum Anastasius ab Hincmaro, in causa Rothadiana, violatas esse antiquas leges demonstrare aggressus erat, at novis omnino artibus inusitataque argumentandi ratione. Ex quo viris doctis jamdudum in opinionem venit Pseudo-Isidorianum librum Romam primum a Rothado episcopo allatum fuisse[3]. Sed ne qua sit adhuc in hac re dubitatio, jam videamus ut sæpe Anastasius in litteras inde compositas ex fontibus Pseudo-Isidorianis hauserit, ut crebra manu falsas decretales decerpserit.

Etenim, ab exeunte anno 864, Anastasius, missis omnibus ambagibus, pro argumento potissimo hoc commentum Pseudo-Isidorianum aperte adhibet, scilicet ex lege antiqua veteribusque decretis causas episcopales in numerum majorum negotiorum, ad solum quippe Romanum pontificem pertinentium, omnes esse repositas, atque ideo præsulibus Galliæ ne licuisse quidem de causa Rothadi episcopi deliberare[4].

1. V. Jaffé, *Regesta*, p. 355, 356.

2. Jaffé, n. 2783, 2784, 2785, 2786.

3. Hanc opinionem, cujus auctor primus fuit Spittler (*Geschichte des kanonischen Rechts*, Halle, 1778, p. 256, Anm.), si non omnino certam, at certe probabilem habent Gfrörer (*Geschichte der Karolinger*, t. I, p. 483), C. von Noorden (*Hinkmar*, p. 201), Weizsäcker (Sybel, *Historische Zeitschrift*, III, 84), Dümmler (*Gesch. d. ostfr. Reichs*, t. I, p. 540, n. 80), Hinschius (*Decretales Pseudo-Isidorianæ*, Præf., p. CCVII), de Smedt (*Les fausses décrétales*, p. 16-17, n. 3).

4. PSEUDO-ISIDORUS.

« Ipsa vero primæ sedis Ecclesiæ... judicia episcoporum singulari privilegio evangelicis et apostolicis atque canonicis concessa sunt institutis; *quia*

NICOLAI EPISTOLA SCRIPTA INEUNTE A. 865.

« Nam quomodo non omnes vobis omnia vindicatis, qui judicia episcoporum, *quæ merito inter majora numerantur negotia*, vestræ delibera-

Atque, præter illud argumentum a causis majoribus sumptum, aliud etiam pseudo-Isidorianum profert, quod nec antea usurpare ausus erat, et jam contendit antiquitus decretum esse ne ulla synodus sine Romani pontificis imperio convocaretur [1].

semper majores causæ ad sedem apostolicam multis auctoritatibus referri præceptæ sunt.» (*Decreta Julii* c. V, ap. Hinschius, p. 459; cf. c. VII, XI, XII; *Pseudo-Anacl.* c. VII, XXXIV; *Pseudo-Zepph.* c. VI; *Pseudo-Gaii* c. VII; *Pseudo-Vigil.* c. VII; *Pseudo-Marcelli* c. II; *Pseudo-Pelag.* ep. I.) tioni tribuistis?» (Nicolai *Epistola ad univ. episc. Galliæ*, Migne, ep. 75, p. 900; Jaffé, n. 2785.) Quod conferas cum Nicolai oratione d. 24 m. decembris a. 864 habita, quam, ut cetera hujus papæ scripta, sic ab Anastasio compositam esse arbitror: « Quanquam etsi nunquam provocasset (Rothadus), nunquam omnino præter scientiam nostram deponi debuerit; *quia sacra statuta et veneranda decreta episcoporum causas, utpote majora negotia, nostræ deffiniendas censuræ mandarunt.* » (Nicolai *sermo die vigiliarum nativ. Dom. habitus*, ap. Migne, t. CXIX, p. 892.)

1. Sic enim in litteris ad Hincmarum ineunte a. 865 scriptis: « ... hunc (Rothadum) a nostro examine ad tua, ut ita dicam, tribunalia deduxeris, quia synodus dici non potest, ubi noster nullus præbetur assensus » (Migne, ep. 74, p. 897; Jaffé, n. 2784); et in epistola ad Rodulphum, a. 864 mense circiter Julio condita: « Quod robur concilia vestra obtinere valebunt, si suam perdiderit sedes apostolica firmitatem, sine cujus consensu nulla concilia vel accepta esse leguntur? » (Migne, ep. 65, p. 882; Jaffé, n. 2764). Porro Pseudo-Isidorus hæc, inter alia, confinxerat: « Idem, inspirante Domino, constituerunt ut nulla fieret synodus præter ejusdem sedis (apostolicæ) auctoritatem » (*Pseudo-Marcelli decret.* c. II, Hinschius, p. 224); « ... antiquis decretum fuerat statutis, quæ hactenus sancta et universalis ecclesia tenet, non oportere præter sententiam Romani pontificis concilia celebrari » (*Pseudo-Julii* c. VI, ibid., p. 459); « Nam, ut nostis, synodum sine ejus (sedis apostol.) auctoritate fieri non est catholicum... neque ulla unquam concilia rata leguntur, quæ non sunt fulta apostolica auctoritate » (*Pseudo-Damasi decret.* c. IX, p. 503). Cf. *Pseudo-Felicis II* c. II, p. 479; *Pseudo-Pelagii II* ep. I, p. 721. Præterea in eadem epistola ad Rodulphum inest aliquid de servatis in archivis Galliæ decretalibus quod etiam a Rothado, ut veri simile est, Anastasius acceperat. Hic enim, postquam proposuit cum de synodorum convocatione ea quæ supra edidi, tum alia quædam quæ Pseudo-Isidorum redolere videntur, his verbis concludit: « Quod vestra reverentia nos non existimet, quia nostra dicimus, in hoc quidquam præter veritatem dicere, cum Dei potius quam nostra sint, beati Petri meritis Romanæ sedi collata, *et arbitremur, quod nos hic asserimus, etiam vos nullatenus*

Quid ? Pseudo-Isidorus, ut commentis suis fidem faceret, non satis habuerat epistolas multas priscorum paparum nomine confinxisse, verum etiam, his scriptis augendæ auctoritatis gratia, mentitus erat olim in concilio Nicæno decreta fuisse hæc duo, primum, ut, si qua synodus injussu sedis apostolicæ convocata episcopum quemlibet judicasset aut damnasset, istud judicium rescinderetur atque irritum fieret, deinde ut episcopus ea ratione condemnatus in pristinos honores ante omnia restitueretur [1]. Porro Anastasius, ab exeunte quidem a. 864, hoc etiam commentum Pseudo-Isidorianum ita notum habuit et exploratum ut, cum Nicolai nomine episcopis Galliæ mandavit summum pontificem et sententiam synodi Suessionicæ injussu suo pronuntiatam rescidisse, et Rothadum in pristinos honores restituisse, hæc duo secundum jus a patribus concilii Nicæni institutum acta esse declaraverit in hunc modum : « Scitote nos, quod temeritate magistra perperam a vobis commissum est, et quod inconsultis nobis in Rothado fratre et coepiscopo nostro præpropere perpetrastis, etiamsi nunquam sedem apostolicam appellasset, Dei auctoritate et

ignorare, et quæ in præsenti pagina scribimus, vos affatim in archivis vestris recondita possidere. » (Migne, ep. 65, p. 882 D.)

1. « Quas providentes sancti patres insidias et inlicitas altercationes unanimiter in prædicta Nicena statuerunt synodo, ut nullus episcopus nisi in legitima synodo et suo tempore apostolica auctoritate convocata super quibusdam criminationibus pulsatus audiatur, id est judicetur vel damnetur. Sin aliter præsumptum a quibusdam fuerit, in vanum deducatur quid egerint, nec inter ecclesiastica ullo modo reputabuntur. » (*Pseudo-Julii* c. V, Hinschius, p. 459.) « Est namque in sæpe jam dicta sancta synodo ab omnibus unanimiter decretum, et apostolica auctoritate roboratum, ut si quis episcoporum suis fuerit rebus expoliatus et in accusatione pulsatus, ordinatione pontificum oportet et decet sanctum propositum prima fronte certare vel cedere, ut omnia quæ per suggestiones inimicorum suorum amiserat, legaliter primo potestati ejus ab honorabili concilio reintegrentur, et præsul regulariter prius statui pristino reddatur, et ipse dispositis ordinatisque suis tunc ad tempus veniat ad causam, et si ita juste videtur accusantium propositionibus respondeat. » *Pseudo-Julii* c. XIX (Hinschius, p. 473).

beatissimorum Petri ac Pauli principum apostolorum, seu omnium decessorum meorum, *nec non et sanctorum trecentorum decem et octo Patrum qui apud Nicæam sub Constantino pio principe convenerunt, penitus evacuantes et in irritum ducentes, præfatum Rothadum pristino gradui, pristinæ dignitati, pristino reddidisse prorsus honori*[1]. »

Est qui existimet non esse veri simile Nicolaum (addamus nos Anastasium), cum Nicænæ synodi vera decreta temporibus illis omnibus essent notissima, aut ipsum in ea re esse deceptum, aut tantæ audaciæ fuisse ut alios episcopos decipiendos putaret[2]; at hunc fugit quam facile illius ætatis viri de Nicæno concilio erraverint, quam communis atque obstinata ea opinio valuerit, qua diu creditum est, præter illos viginti canones omnibus exploratos, alios etiam non paucos exstitisse olim qui deinde in oblivionem ivissent[3]. Quod

1. Nicolai *Epist. ad univ. episc. Galliæ* (Migne, ep. 75, p. 905); et paulo post : « Tandem aliquando, Deo inspirante, et Nicænæ nobis synodi decreto suffragante, quo inter cætera præcipitur ut suis privilegia serventur ecclesiis, ratum duximus jam fatum Rothadum, memores scilicet privilegiorum apostolicæ sedis, a vinculis quibus illum, ne uteretur officio nec suæ præesset ecclesiæ, colligastis, quia nos non censuimus, absolvendum » (ibid.). Quo quidem loco Anastasius ad verum canonem Nicæni concilii appellare videtur (v. can. 5, ap. Hefele, *Histoire des conciles*, t. I, p. 378), sed eum in modum Pseudo-Isidorianum interpretari.

2. « Comment admettre que ce pape eût allégué frauduleusement le concile de Nicée, quand les prélats auxquels il s'adressait pouvaient eux-mêmes vérifier dans le *Codex canonum* les actes de ce concile? » Félix Rocquain, *Lettres de Nicolas Ier*, 2e art. (*Journal des Savants*, a. 1880, p. 643, n. 1). Quod sane argumentum facile est retorquere, sic contra interrogando : « Comment se fait-il que les évêques francs aient ajouté foi aux fausses décrétales où était allégué frauduleusement le concile de Nicée, quand ces prélats pouvaient eux-mêmes vérifier dans le *Codex canonum* les actes de ce concile ? »

3. V. Hefele (*Histoire des conciles*, t. I, p. 346 sqq., et in *Theologische Quartalschrift*, Tübingen, 1851, fasc. I, p. 49 sqq.) Ipsi pontifices Romani non semel de concilio Nicæno minus accurate locuti sunt. Jam enim, a. 418, Zosimus papa Nicænis canonibus ea adscripsit quæ reipsa in synodo Sardicensi decreta sunt (v. Zosimi *Commonitorium ad legatos suos*, c. I, II, ap. Migne, *P. L.*, t. XX, p. 681-2; Jaffé, n. 347); atque ejus decessor, Innocentius I, in eadem re

si hoc eodem seculo nono alter pontifex Romanus, Stephanus V, falsarum decretalium nisus auctoritate, concilii Nicæni canones plures fuisse quam ii qui in ecclesia Romana tum temporis ferebantur, et sibi persuasit et in litteris ad Liutbertum archiepiscopum Moguntinum missis dilucide significavit[1], quid mirum quod Nicolaus papa I idem prorsus crediderit, quod idem Anastasius proferre ausus sit ?

Sed alia sunt et ea non minus manifesta, quæ Anastasius ab istis commentis in litteras apostolicas transtulit. Etenim Pseudo-Isidorus frequentissimus fuerat in exponenda illa institutione quam vocant *exceptionem spolii*, qua præcipiebatur ut episcopi contra legem judicati atque injuria honoribus spoliati, amissam dignitatem, priusquam illorum recognosceretur causa, reciperent, quo facto, ad accusationem,

errasse videtur (v. Innocentii I *Epistolam ad Victorium*, c. III, § 6, ap. Migne, ibid., p. 473.) Felix autem III, in epistola ad Vitalem et Misenum scripta, canonem illum dicentem : Romanæ urbis episcopum in unaquaque synodo supremam confirmandi potestatem habere, Nicænæ synodi falso esse declarasset (v. Photii *Interrogationes decem*, interr. I, Migne, *P. G.*, t. CIV, p. 1220-1); quanquam de Felice papa III, si cui libuerit dubitare, jure licet ; nam illæ litteræ de quibus hic agit Photius, quasque commemoravit Evagrius in libro IV *Historiæ ecclesiasticæ* (Migne, *P. G.*, t. LXXXVI b, p. 2637), jam nunc evanuerunt (cf. Jaffé, *Reg.*, n. 597, id tamen animadvertens non modo Philippum Jaffé, sed etiam Ferdinandum Kaltenbrunner testimonium illud Photianum latuisse.)

1. « Capitula Nicæni concilii, *testimonio Athanasii*, 70 in figuram septuaginta discipulorum scripta non dubitamus. E quibus viginti tantum in Ecclesia sancta Romana habentur, sed quo neglectu reliqua defuerint ambiguum est : arbitrantur enim plurimi ea Antiocheno inserta concilio. » Stephani V *Epistola ad Liutbertum Mogunt. episc.* (Migne, t. CXXIX, ep. 7, p. 797-8; Jaffé, n. 3443; *Neues Archiv*, t. V, p. 406, n. 24). Hoc autem « testimonium Athanasii » in quo Stephanus V se niti profitetur, nihil aliud est quam epistola ficto Athanasii nomine a Pseudo-Isidoro composita, in qua revera hæc sunt : « Visum trecentis decem et octo patribus in prædicto sancto spiritu repletis concilio congregatis et maxime jam dicto Alexandro et apostolicæ sedis apocrisiariis, ut... ad formam LXX discipulorum vel totius orbis terræ linguarum, LXX tanti et tam excellentis concilii fierent capitula. » *Pseudo-Athanasii ad Marcum papam epistola* (Hinschius, p. 452).

si res postularet, detraherentur [1]. Falsarius quidem, ad id conficiendum, nonnulla tum ex synodo Symmachiana IV (al. III) [2], tum maxime ex Benedicti levitæ Capitularibus [3]

1. V. *Pseudo-Damasi decret.* c. XII-XIII (Hinschius, p. 503); *Pseudo-Zeppherini* c. XII (Hinschius, p. 133); *Pseudo-Julii* c. XIX (ibid., p. 473); *Pseudo-Felicis II* c. XII (ibid., p. 485-6).

2. Quæ etiam *Palmaris* dicitur, die 23 m. octobris a. 501 habita. V. Jaffé, p. 98; Hefele, *Hist. des conc.*, t. III, p. 247 sqq.

EX SYNODO IV SUB SYMMACHO HABITA.

« Sperans (sc. Symmachus) ut visitator qui contra religionem, contra statuta veterum vel contra regulas majorum a parte cleri vel aliquibus laicis postulatus, ex ordinatione antistitum sicut *decebat sanctum propositum prima fronte cederet* et *omnia quæ per suggestiones inimicorum* suorum *amiserat potestati ejus ab honorabili concilio* redderentur *et* tanti loci *præsul legaliter prius statui pristino redderetur et tunc veniret ad causam et, si ita* recte *videretur, accusantium propositionibus responderet.* »

(Hinschius, *Præf.* p. CLI et p. 662.)

PSEUDO-JULII DECRETALIS C. XIX.

«... Et apostolica auctoritate roboratum, ut si quis episcoporum suis fuerit rebus expoliatus et accusatione pulsatus ordinatione pontificum, oportet et *decet sanctum propositum prima fronte* certare vel cedere ut *omnia quæ per suggestiones inimicorum amiserat legaliter primo potestati ejus ab honorabili concilio* reintegrentur *et præsul* regulariter *prius statui pristino reddatur et* ipse dispositis ordinatisque suis *tunc* ad tempus *veniat ad causam et, si ita* juste *videtur, accusantium propositionibus respondeat.* »

(Hinschius, *Præf.*, p. CLI et p. 473.)

3. BENEDICTI CAPITULARIUM L. II, C. CCCLXXXI.

« *Episcopos ejectos atque suis rebus expoliatos* in sedes *proprias recipi et sua omnia legaliter primo eis reddi sancti canones decreverunt. Et postea si eos accusare vellet æquo periculo facere sanciverunt. Judices esse decernentes episcopos recte sapientes et in ecclesia convenientes ubi testes essent singulorum qui oppressi videbantur.* »

(Migne, *P. L.*, t. XCVII, p. 794.)

PSEUDO-DAMASI DECRETALIS.

« *Episcopos dejectos atque suis rebus expoliatos* ecclesias *proprias primo recipi et sua primo eis omnia legaliter reddi sancti canones decreverunt. Et postea si* quis *eos accusare voluerit* (al. vellet) *æquo periculo facere sanciverunt. Judices esse decernentes episcopos recte sapientes et* juste volentes, ad tempus diuque illis resumptis viribus et suis potestative fruentibus rebus amicisque, et Dei servis sapientibus consulentibus viris, *in ecclesia convenientes ubi testes essent singulorum qui oppressi* esse *videntur.* »

(Hinschius, op. cit., p. 503.)

hauserat, sed ita ad rem suam accommodaverat ac talibus verbis explicaverat, ut si quando proprias ejus formulas alius auctor assumpserit, id quam facillime discernas. Nam, ut cetera omittam, Pseudo-Isidorus, cum hanc rem in suis decretalibus tractat, episcopum a sede sua amotum solet viro ægroto et saucio æquiparare, cui necesse est, antequam laborem rursus sustineat, ex morbo convalescere, aut etiam confert illum eumdem militi inermi atque omni nudo præsidio, qui, nisi prius arma, amicos, res suas omnes receperit, cum hoste decertare æquo marte nequeat. Denique, finem disserendi faciens, leges civiles obtestatur atque ita argumentum a fortiori sumptum pro rebus ecclesiasticis vindicat.

Quid igitur in hac re Anastasius? Institutionem illam *de exceptione spolii*, quam antea silentio prætererat, in epistolis ab anno 864 exeunte scriptis minimum septies exhibuit, eamque iisdem sæpe enuntiavit verbis quæ Pseudo-Isidorus invenerat, easdem similitudines a viro ægroto vel militari sumpsit, eodem argumento a fortiori sub finem usus est; quemadmodum ex hac comparatione liquet:

NICOLAI AD HINCMARUM EPISTOLA.

Frequentius intimati clerici qui evidentissime irregulariter ab officio graduum suorum suspensi fuisse noscuntur, et hinc sedem apostolicam sæpissime provocasse nonnullis indiciis comprobantur, ante omnia pristinis gradibus et officiis reformati consistant, ita ut prioribus redditi gradibus et ordinibus, *et quodam*

PSEUDO-DAMASI DECRETA,

C. XII-XIII.

Dejectis vero atque suis rebus expoliatis nihil vobis verius significare queo quam sanctissimi patres definierunt et nostri prædecessores apostolica auctoritate roboraverunt. Ita enim hæc se habent : Episcopos

NICOLAI AD MICHAELEM EPISTOLA

Ante totius litis motionem, atque ante omnis initium controversiæ, sedem ei (Ignatio) propriam restitui procul dubio censuissemus, ut legitime nimirum reciperet quod nulla lege dictante perdiderat, atque per ecclesiasticum canonem resumeret

modo suis omnibus revestiti, vires adversus impetentes se integras habeant. Non enim inermis cum armato rite conflictum inire potest.

(Migne, t. CXIX, ep. 108, p. 1110; Jaffé, n. 2823.)

NICOLAI AD SYNODUM SUESSIONICAM EPISTOLA.

Frequentius intimati clerici qui evidentissime irregulariter ab officio graduum suorum suspensi fuisse noscuntur, et hinc sedem apostolicam sæpissime provocasse nonnullis indiciis comprobantur, ante omnia pristinis gradibus et officiis reformati consistant, ita ut prioribus redditi gradibus et ordinibus et *quodam modo suis omnibus revestiti, vires adversus impetentes se integras habeant. Non enim inermis cum armato rite conflictum inire potest.*

(Migne, ibid., ep. 107, p. 1099; Jaffé, 2822.)

NICOLAI AD HINCMARUM EPIST.

Ita duntaxat ut prius ipse Rothadus cunctis ablatis, sicut statuimus, recuperatis honoribus, *et vires longo tempore fessas priori valetudini redditus resumens, diu-* ejectos atque suis rebus expoliatos ecclesias proprias primo recipi et sua primo eis omnia legaliter reddi sancti canones decreverunt, et postea si quis eos accusare voluerit, æquo periculo facere sanciverunt. Judices esse decernentes episcopos recte sapientes et juste volentes ad tempus *diuque illis resumptis viribus et suis potestative fruentibus rebus amicisque*, et Dei servis sapientibus consulentibus viris... *Scimus enim homines inermes non posse cum armatis rite pugnare*, sic nec illi qui ejecti vel suis bonis sunt expoliati cum illis qui in suo stant statu *et suis fruuntur amicis atque bonis, litigare non possunt. Nec sæculi quoque leges hæc sæcularibus fieri permittunt*, sed prius ejectos vel oppressos aut spoliatos cum suis omnibus restitui jubent, quod illi potentia sæcularis ademerat : quatenus sic deinde propria sede nec non *omnibus suis ante receptis, viribusque resumptis, restitutus jam et armatus cum accusatoribus suis certaminis campum et litigii conflictum posset arripere. Quod cum in mundanis negotiis legibus tuis fieri censeus*, imperator, multo magis ut in ecclesiasticis atque divinis observaretur pietas tua debuit prævidere.

(Migne, t. CXIX, ep. 98, p. 1025; Jaffé, n. 2813.)

NICOLAI AD CLERUM CONSTANT. EPISTOLA.

Profecto ante totius litis motionem atque omnis initium controversiæ, sedem ei (Ignatio) propriam restitui procul dubio censuissemus, ut legitime nimirum reciperet quod nulla lege dictante perdiderat, atque per ecclesiasticum canonem resumeret

tius possideat et suis omnibus perfruatur.

(Migne, ibid., ep. 74, p. 899; Jaffé, 2784.)

NICOLAI AD UNIV. EPISC. GALLIÆ EPIST.

Ita duntaxat ut, secundum majorum deffinitiones, ante omnia quæ prius possederat integro jure recipiat (Rothadus)....... sicque demum, ecclesia recepta, et episcopatu libera securitate possesso, proximis et *amicis, rebus et ipsis resumptis viribus, vestitus quoque, et spiritualibus armis tectus,* accusatoribus respondeat suis, etc.

(Migne, ep. 75, p. 908; Jaffé, n. 2785.)

et postea, sicut lex jubet, ad placita venire præcipiunt. (Hinschius, p. 503.)

quod illi potentia sæcularis ademerat, quatenus sic deinde sede propria nec non *et omnibus suis ante receptis, viribusque resumptis, vestitus jam et armatus cum accusatoribus suis certaminis campum et litigii conflictum possei arripere. Quod cum in mundanis negotiis legibus fieri censeatur,* multo magis ut in ecclesiasticis atque divinis observaretur debuit prævideri.

(Migne, ep. 104, p. 1069; Jaffé, n. 2819.)

Hæc sunt quidem, aut ego fallor, satis perspicua. Sed quid dicam de alia Nicolai ad Carolum regem epistola, ad quam componendam, non modo *Præfationem* a Pseudo-Isidoro codici suo præpositam adhibuit Anastasius, verum etiam aliquando ad verbum transcripsit? Quod ex sequente collatione patet :

NICOLAI AD CAROLUM REGEM EPISTOLA [1].

Historia ecclesiastica ab Eusebio Cæsariensi episcopo confecta, de muliere quadam, quæ pro

PSEUDO-ISIDORI PRÆFATIO.

Nullus enim qui suis est rebus spoliatus, aut sede propria vi aut terrore pulsus, antequam

1. Quo tempore hæc Nicolai epistola scripta sit, incertum est. (V. Jaffé, nov. edit. n. 2859, in quo male illa inscribitur : *Karolo imperatori.*) At minime gentium audiendus est Paulus Ewald, Jaffeiani operis, in hac quidem parte,

castitate a marito accusabatur, ait : Præceptum est ab imperatore lege lata, ut primo permitteretur ei rem familiarem libere diutius ordinare; tunc demum *responderet objectis. Hoc omnes leges tam ecclesiasticæ quam vulgares publicæque præcipiunt.* Si autem de mulieribus et sæcularibus viris hæc constituta sunt, multo magis ecclesiasticis hominibus et sacerdotibus sunt concessa.

(Gratiani *Decretum*, caus. XXXII, q. II, c. III, Migne, *P. L.*, t. CLXXXVIII, p. 1510.)

omnia sibi ablata ei legibus restituantur, et ipse pacifice diu suis perfruatur honoribus, sedique propriæ regulariter restitutus ejus multo tempore libere potiatur honore, juxta canonicam accusari, vocari, judicari aut dampnari institutionem potest. Unde et *historia ecclesiastica ab Eusebio Cesariensi episcopo confecta, de muliere quadam quæ pro castitate a marito accusabatur ait : Præceptum* vel inditum *est ab imperatore lege lata, ut primo permitteretur ei rem familiarem libere diutius ordinare, tum* deinde *responderet objectis. Hoc omnes leges tam ecclesiasticæ quam* et *vulgares publicæque præcipiunt.*

(Hinschius, p. 18.)

Ergo nunc pro certo habemus falsas decretales, ab exeunte anno 864, et Anastasio plane notas fuisse, et sæpe usurpatas.

VII. At in his etiam quæ monstravimus jam apparet illud Anastasianum artificium, quo sane nescio an magis quidquam ad conturbandos historicos contulerit. Quanquam enim is scriptor pontificius, cum alia Pseudo-Isidoriana, tum maxime effata illa mutuatus est, ex quibus episcoporum judicium Romanis pontificibus dabatur, hæc tamen non nominatim significavit, auctores non citavit, non testes produxit, ut, si illum audiremus, hæc eadem ex aliis optimisque fontibus hausisset. Cujus artificii consilium et finem antequam omni ex parte detegamus, alia quædam præponamus

recens editor, qui, contra quam scripsit Gratianus, illas litteras Nicolao denegat, propter hanc solam causam quod ex præfatione Pseudo-Isidoriana plura in eas translata sunt; vix enim istud serium est. Adde quod hæc Nicolai mire concordant cum aliis litteris quas proxime citavi (p. 152-4), in quibus pariter idem papa multus est in *exceptione spolii.*

exempla, quibus hæc agendi ratio magis ac magis illustretur.

Nec enim erat tam indoctus Anastasius, tam rudis in antiquitate ecclesiastica ut, opus Pseudo-Isidorianum perscrutando, in eo non viderit quædam esse communia cum aliis monumentis et libris, nec ejus fontes, ut ita dicam, aliquando invenerit. Quibus inventis, si quid esset ad suum commodum, id in epistolas Nicolai transferebat, non falsas decretales nominatim, sed certas tantum auctoritates aperte evocans; quod tamen, quamvis homo cautissimus, ita nonnunquam egit, ut vestigia artis suæ relinqueret, ut eum ex quibusdam indiciis pateat, dum vera appellaret monumenta, falsa etiam sub oculis habuisse ac transcripsisse.

Namque, ut pauca de multis referam, modo ostendebam, quod Pseudo-Isidorus *de exceptione spolii* instituit, id partim haustum esse ex synodo Symmachiana quarta, atque ad exemplar Symmachianæ sortis conficta fuisse ab isto falsario plurium păparum decreta; ostendebam item hoc institutum *de exceptione spolii* ad causam Rothadi episcopi fuisse accommodatum. Nunc autem consideremus ex quibus auctoritatibus id Nicolaum egisse Anastasius contenderit, quibus antiquitatis monumentis Rothadianam illam restitutionem defenderit.

Is enim, ex Nicolai I persona, ad Carolum Calvum de Rothado scribens, ineunte a. 865, sic summum pontificem novitatis suspicione in hac re liberat : « Sciat sublimitas vestra, inquit ille, Deo opifice a nobis sæpe fatum episcopum pristinæ dignitati et ecclesiæ restitutum.... Ne, quæsumus, dicatur de nobis procedente tempore quod nunc de Theodorico scripto profertur. Qui, ante patrimonii vel ecclesiarum quas amiserat receptionem, papam Symmachum, utpote Arianus et sceleratissimus rex, cum impugnatoribus suis in disceptationem confligere jussit, cum potestate ejus

omnia quæ per suggestiones inimicorum suorum amiserat, reddenda *ab honorabilium Italorum episcoporum concilio* jussa fuissent, et legaliter prius statui pristino redditus, tunc veniret ad causam, et si ita recte videretur, accusantium propositionibus responderet. Cujus rei documento et *aliis nonnullis decretis* et exemplis imbuti idipsum de Rothado episcopo nos quoque decrevimus[1]. »

Vides ut una auctoritas concilii Symmachiani nominatim prætendatur, ut falsa de eadem re decreta obscure ac sine nomine jactentur. Quæ sane obscuritas utilitatem sine incommodo habebat, cum qui istud : « et aliis nonnullis decretis » legerent, incerti essent utrum hic decretales Pseudo-Isidorianæ, an aliquæ aliæ majoris gravitatis agerentur.

Existimant recentiores quidam historici falsam quamdam decretalem Julii in Nicolai epistolis citatam fuisse nominatim. Hi sunt, ut alios omittam, E. Dümmler[2], C. von Noorden[3], H. Fôste[4], qui quidem pro sua opinione illud afferunt, quod Nicolaus, ad Carolum Calvum scribens a. 865, sic de Julio papa Athanasium ejusque inimicos ad judicium Romanum vocante locutus est : « Sed et papa Julius Orientalibus scribens utramque partem, Athanasii scilicet et adversariorum ejus, accelerare præsentiam, quatenus utraque parte præsente audiretur reus[5]. » At vero multo mihi probabilius videtur Anastasium, ut in aliis Nicolai litteris, sic etiam in illis falsas quidem decretales consuluisse, sed veras tantum appellare finxisse. Quod ut magis pateat, sunt quædam accurate prius recensenda.

Scimus enim a Julio papa I duas epistolas de Athanasii

1. Nicolai *Epist. ad Carolum Calvum* (Migne, t. CXIX, p. 896 A), scripta ineunte a. 865. V. Jaffé, n. 2783.
2. *Gesch. d. ostfr. Reichs*, t. I, p. 538, n. 69.
3. *Hinkmar*, p. 206.
4. *Die Reception Pseudo-Isidors unter Nicolaus I und Hadrian II*, p. 17.
5. Migne, ep. 73, p. 894.

causa in Orientem scriptas fuisse, unam quidem qua is pontifex Athanasium simul et Eusebianos, Athanasii adversarios, Romam ad judicium vocaverat, alteram qua soli Eusebiani, Antiochiam congregati, ut Romam venirent jubebantur. Quod attinet ad posteriorem, quæ adhuc exstat, græce quidem et integra in operibus Athanasii [1], latine vero et summatim in *Historia tripartita* Cassiodori [2], certum est notam illam fuisse Anastasio, si non ex græco exemplari, at certe ut erat apud Cassiodorum. Ita enim is epistolaris pontificius ad Michaelem imperatorem scripsit anno 865 : « Porro ne dicatis nos præter Ecclesiæ legem Ignatium, vel Photium Romam venire sanxisse; scitote nos antiqui patris et prædecessoris nostri Julii in hoc esse secutos exemplum, qui, *juxta quod in epistola sua reperitur*, his qui convenerant Antiochiæ hoc præcepisse dignoscitur [3]. »

Prior autem Julii epistola, qua, ut diximus, Eusebiani simul et Athanasius, utraque scilicet pars, Romam vocati sunt, quanquam Romæ seculo nono non jam reperiebatur [4], tamen aliqua ex parte cognosci poterat, tum ex quarta Pseudo-Julii falsa decretali [5], tum ex Theodoreto, tum etiam ex Cassiodoro, qui ipse Theodoretum in suam Historiam tripartitam latine reddiderat [6]. Igitur quæstio est utrum Anastasius, cum, scribens Carolo Calvo, convocationem utriusque partis a Julio I factam memoravit, id ex falsis decretalibus an ex Theodoreto aut Cassiodoro eruerit. Profecto cum idem post aliquot menses ad Michaelem

1. *Apologia contra Arianos*, ap. Migne, *P. G.*, t. XXV, p. 281, sqq.
2. Lib. IV, c. xv, Migne, *P. L.*, t. LXIX, p. 963.
3. Migne, t. CXIX, p. 86, ep. 955; Jaffé, n. 2796.
4. Hoc enim est gratuitum quod asserit A. Thiel, fuisse, Nicolai temporibus, hanc epistolam Julii in archivis Romanis asservatam (op. cit., p. 31, n. 1). Quod si ita fuisset, non intelligitur cur Anastasius, ut fidem faceret huic epistolæ, testem Theodoretum, non ipsum exemplar Romanum adduxerit.
5. Hinschius, p. 464, 465.
6. V. lib. IV, c. vi, ap. Migne, l. c., p. 959.

imperatorem, Nicolai nomine, scripsit, hanc Julianam utriusque partis convocationem ex Theodoreto historico (dixisset verius ex Cassiodoro) se nosse professus est. Sic enim in illis litteris loquitur : « Theodoritus historiographus in his hoc ipsum verbis ostendit : verum, inquiens, Eusebius ejusque consortes calumnias in Athanasium factas Julio Romano pontifici destinaverunt, qui ecclesiasticam sequens legem, etiam ipsos Romam venire præcepit et venerabilem Athanasium ad judicium regulariter evocavit » ; et paulo post : « Ne ergo dicatis nos præter Ecclesiæ legem præfatos (Ignatium et Photium) Romam venire sanxisse : quoniam, *sicut ex historiographo ecce audistis*, beatus Julius et accusatum et accusatores Romam venire præcepit[1], » etc. Quæ Anastasius ex Cassiodoro ad verbum descripsit[2]. Hæc quidem Anastasius ad Græcos; at dum scriberet Carolo Calvo, necesse est ut, præter Cassiodorum, etiam Pseudo-Julium adhibuerit. Hoc enim loco ita de Juliana convocatione utriusque partis locutus est, ut in suis verbis, pro suo more, reliquerit certa quædam vestigia ac quasi odorem falsæ decretalis : ut illud « accelerare præsentiam quatenus », quod certe ex Cassiodoro haurire non potuerat. Qua de re consideres subjectam tabulam :

PSEUDO-JULII AD ORIENTALES EPIST.	NICOLAI AD CAROLUM EPIST.	CASSIODORI HIST. TRIP. L. IV, C. VI.
Quapropter *cum omni festinatione* vos omnes ad hujus sanctæ sedis reverentiam volo concurrere, *quatenus...* (Hinschius, p. 464.)	Julius Orientalibus scribens utramque partem, Athanasii scilicet et adversariorum ejus, *accelerare præsentiam, quatenus...* (Migne, ep. 73, p. 894.)	(Julius) ecclesiasticam sequens legem, etiam ipsos Romam *venire* præcepit, et venerabilem Athanasium ad judicium regulariter evocavit. (Migne, t. LXIX, p. 959.)

Igitur quanquam dici non potest, ut quidam voluere,

1. Migne, t. CXIX, ep. 86, p. 955; Jaffé, n. 2796.
2. *Hist. trip.*, l. IV, c. VI, p. 959.

auctoritatem Pseudo-Isidorianam hoc loco esse nominatim propositam, restat tamen ut sit illud novo argumento, Anastasium, dum veras decretales appellaret, falsas etiam consuluisse ac plura ex iis clandestino decerpsisse.

Neque dicendum jure existimo, hanc eamdem Pseudo-Julii decretalem citatam esse in litteris Nicolai ad episcopos Galliæ scriptis, ineunte anno 865[1]. Harum quidem litterarum locum quemdam sic refert Deusdedit cardinalis : « Verum et inter beatos Apostolos, sicut *et prius PP. Julius* et postea ille magnus et sanctus Leo describit[2], » etc. Quæ sane verba si essent ex Nicolai litteris decerpta fideliter, nullum esset dubium quin tum Anastasius falsas decretales aperte protulerit[3]. At, quamvis Deusdedit Registrum Nicolai aliquando in manibus habuerit, atque ex eo, si non eam epistolam, ac saltem plures alias in suam Collectionem canonum transcripserit[4], tamen, cum in ceteris ejusdem epistolæ exemplaribus quæ ad nos usque pervenerunt hæc Pseudo-Juliana mentio non reperiatur, sed solum appelletur Leo I[5], cum sit ex altera parte gravis suspicio, Deusdedit cardinalem, in Registris etiam paparum exscribendis, adventicia quædam genuinis miscuisse[6], ex hoc uno eodemque ambiguo exemplo colli-

1. Migne, t. CXIX, ep. 75, p. 899-908; Jaffé, n. 2785.

2. Deusdedit, *Collectio canonum*, p. 98, c. CXXI. Cf. Migne, ibid., p. 900 B.

3. *Pseudo-Julii decret.*, c. IX (Hinschius, p. 461).

4. Hoc ipse Deusdedit diserte significavit, qui, postquam nonnulla ex litteris Nicolai I ad Hlotharium protulit, ad aliam ejusdem papæ epistolam transiit in hunc modum : « Item in Regesto » (Deusdedit, p. 417, c. CI).

5. Cum editis confer *variantes lectiones,* quas ex pluribus codicibus manuscriptis collegerat D. Coustant. V. *Analecta juris pontificii,* t. X, p. 53-8. Inter *Varia* Codicis Londinensis (*Neues Archiv,* t. V, p. 591) et in *Collectione trium partium,* quam Sdralek exploravit (v. *De S. Nicolai epistolarum codicibus quibusdam manuscriptis,* Wratislaviæ, 1882, p. 21), reperitur quidem illa Nicolai epistola, sed deest hic locus de quo nos agimus.

6. Quod de Registro Gregorii VII affirmat S. Löwenfeld. V. *Neues Archiv,* t. X, p. 318-9.

gere non ausim, Anastasium hoc loco a solita prudentia decessisse.

VIII. Hoc autem probe stabilito et fixo, ad id magis accedamus quod maxime nobis propositum est, ad quid nimirum tenderent clandestina illa Anastasii consilia.

Noli enim existimare hunc hominem peritissimum ita occulte egisse, quia, ut dicunt eruditi quidam, falsæ decretales Nicolao papæ suspectæ fuissent [1]. Nam tantum abest ut hæc causa valeat, Anastasius, approbante pontifice, illas easdem decretales et generatim laudare potuit, et commendare, et habendas esse ut canonicas contendere; quod mox liquido apparebit.

Nec plane verum est id quod alii critici conjectarunt, episcopis Galliæ Pseudo-Isidoriana commenta tum suspecta fuisse, atque eam esse causam cur sedes apostolica in hac re cautissime egerit [2]. Nemo enim Gallorum, ne Hincmarus quidem, quem recentiores quidam existimant fraudem Pseudo-Isidorianam sagaciter olfecisse, decretales illas priscorum paparum nomine recens vulgatas, ut dubias aut confictas habuisse videtur [3]. Quid? Archiepiscopus Remensis, in quem præcipue Nicolai epistolæ diriguntur, ipse professus

1. « Les lettres assez nombreuses et fort étendues envoyées de Rome à Constantinople après 864, au sujet de la grosse affaire de Photius, où se trouvent accumulés tant de textes de saints Pères et en particulier de pontifes romains, ne renferment pas une seule citation des fausses décrétales, ni le moindre appel à leur autorité. *Nicolas pouvait-il marquer plus clairement la défiance qu'il conservait dans l'esprit à l'endroit des inventions du faux Isidore?* » Ch. de Smedt, *Les fausses décrétales*, p. 18.

2. « Si nihilominus Nicolaus in epistolis antea laudatis ad Carolum Calvum, et ad episcopos Galliæ, nominatim decretales non citat, hujus rei causa in eo posita est, quod paullo antea decretales cognoverat et cautius ei agendum erat, quia auctoritatem earum episcopi Galliæ in dubium devocaverunt. » Hinschius, op. cit., Præf., p. CCVII. Nisi forte Hinschius per illud « in dubium devocaverunt » idem voluerit dicere quod nos dicimus.

3. Quod jam probatum est a Car. de Smedt (op. cit., p. 6-9), novissimeque a Bern. Jungmann (*Dissert. select. in hist. eccles.*, t. III, p. 275-282), et Schrörs (*Hinkmar, Erzbischof von Reims*, p. 504-507).

est sibi non esse dubium quin Isidorus, Hispanus episcopus seculi sexti, hæc veterum pontificum monumenta in codicem collegisset [1].

Id unum negabant Galliarum episcopi, decretales illas jam legis vigorem habere, quippe antiquissimas atque recentiorum conciliorum decretis abrogatas, et id judicabant non de omnibus Pseudo-Isidorianis epistolis, sed de illis, ipsorum opinione, vetustissimis, quæ episcoporum judicia, contra quam in conciliis generalibus esset statutum, Romano pontifici vindicabant [2]. Quam distinctionem non ex ambitione solum aut in proprium commodum confinxerant, sed cum falsæ illæ decretales, quibus judicia episcopalia Romano pontifici dabantur, cum iis legibus quæ in libris canonum inerant ac maxime cum concilio Sardicensi pugnarent, qui decretis conciliorum ac libris canonicis stare volebant, iis necesse erat dicere antiquissimorum paparum epistolas cum canonibus posterioribus dissidentes, non perpetuam vim habuisse, sed

1. Sic enim ille de codice falsarum decretalium : « ... libro collectarum epistolarum ab Isidoro, quem de Hispania allatum Riculfus Moguntinus episcopus in hujusmodi, sicut et in capitulis regiis, studiosus obtinuit, et istas regiones ex illo repleri fecit. » Hincmari Rem. *Opusculum LV capit. adversus Hincmarum Laudunensem*, c. XXIV (Migne, t. CXXVI, p. 379).

2. Hæc Hincmarus, postquam Gelasium papam citavit : « Animadvertenda igitur est discretio, ex verbis beati Gelasii, inter synodalia concilia et apostolicorum virorum epistolas, *quas ante concilia celebrata*, diversis temporibus, pro diversorum patrum consolatione dederunt... » Quo loco Hincmarum de decretalibus priscorum paparum laborare manifestum est (v. Hincmari Rem. *Opusc. LV capit. adversus Hincm. Laud.*, c. XXV, Migne, t. CXXVI, p. 384). Atque paulo post causam afferens cur ipse contenderet ex iis antiquis decretalibus alias vim obtinuisse perpetuam, alias vero ad tempus valuisse, sese excusat in hunc modum : « Et hæc dico, non quo quædam in eis dicam esse non bona, sed non per omnia sacris canonibus, Patrumque conciliis consona. » (Ibid., p. 386.) Denique idem Hincmarus, de iisdem falsis decretalibus agens, sic nepotem suum objurgat : « Ex quo sacra concilia in ecclesia celebrari cœperunt, illa quæ suo tempore partim viguerunt, nisi quantum ex te est, recrudescere inceperunt » (ibid., p. 391); quanquam omnino non vere dictum est, ista commenta ab Hincmaro Laudunensi recrudescere incepisse.

ex tempore ac pro re nata olim compositas, deinceps vetustate ac mutatis temporibus cecidisse [1].

Hæc Gallorum ac præcipue Hincmari Remensis in causa Rothadiana defensio; hanc rationem reddebant, cur, in judicio ejus episcopi, concilii Sardicensis legem, non veterum pontificum decretales observassent [2].

Ad quam defensionem evertendam, Anastasius, ineunte anno 865, famosam illam epistolam universis Galliarum episcopis ex Nicolai persona scripsit [3], in qua totis incubuit viribus ut probaret priscorum paparum decretales illas quæ sedi apostolicæ judicia episcoporum dabant, et venerandas esse et legis vigorem, quamvis vetustissimas, retinere; quam sane epistolam si omnes eruditi accurate considerassent, nemo jam negaret Pseudo-Isidoriana commenta in litteris Nicolai I et memorata fuisse, et laudata, et solertissime commendata; ex qua nos etiam tandem perspiciemus totam Anastasii in hac re machinationem.

Ac primum animadvertas, is scriptor pontificius quemadmodum Gallis episcopis objecerit decretalibus priscorum paparum, quæ causas episcopales ad Romanum pontificem deferri jubebant, ideo obtemperare noluisse quia illæ et essent antiquiorum paparum et in libros canonicos non

1. Quin etiam, quoniam Pseudo-Isidorus decretales suas ita, ut diximus, inepte composuerat, ut multa in eis inter se pugnarent, si quis alias observare voluisset, necesse habuisset alias negligere (vid. supra, p. 134). Quam repugnantiam Hincmarus et pulchre novit et argute castigavit : « Sic enim, inquit, quædam ex his, quæ in quibusdam illis epistolis continentur, tenere et custodire velle inceperimus, contra alia plurima illarum epistolarum facere incipiemus. » *Opusc. LV capit.* (ibid., p. 385 ; cf. p. 390 C.). Quapropter, si qui velint hanc Gallorum et Hincmari doctrinam stomachari, iram potius in ipsum falsarium convertant, qui eam suis fraudibus pæne necessariam effecerit.

2. Id enim, quanquam evanuerunt litteræ quas Galli Nicolao I hac de re scripserant, cum ex operibus Hincmari supra citatis, tum etiam intelligi potest ex papali responsione quam statim aggredior, hoc tamen præmonens, propter calliditatem Anastasii, ejus dicta cum dictis Hincmari constanter esse conferenda.

3. Quam fere integram, ut quisque meam argumentationem observare possit, inter Appendices hujus operis edendam curavi.

relatæ. Nam, postquam Leonem I pro re sua citavit, sic deinde auctoritatem Gelasii prætendit et explicat: « Consonat autem, ait, huic beatissimo papæ Leoni sanctus et facundissimus in decretis suis papa Gelasius, ita inquiens : decretales epistolas, quas beatissimi papæ diversis temporibus de urbe Roma pro diversorum patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendas decernimus. In quo notandum est quia non dixit *decretales epistolas quæ inter canones habentur*, *nec tantum quas moderni pontifices ediderunt*, sed quas beatissimi papæ diversis temporibus ab urbe Roma dederunt. Dictis autem diversis temporibus *etiam illa tempora vir sanctus comprehendit quæ*, *crebrescentibus paganorum persecutionibus*, ad sedem apostolicam deferri causas episcoporum difficillime permittebant [1]. »

Ergo jam falluntur historici, qui, existimantes in manibus Nicolai tum fuisse plures epistolas Julii I et Damasi, illas, non alias antiquiores ac Pseudo-Isidorianas hic significari ac commendari voluerunt [2]. Quas revera

1. Migne, t. CXIX, p. 983 ; cf. Appendicem.

2. « Nous avons montré également qu'il (Nicolas) avait sous les yeux des lettres de papes, tels que Damase et Jules, antérieurs aux plus anciens pontifes désignés dans le Codex, et il n'est pas déraisonnable de supposer qu'il ait possédé d'autres lettres de cette date reculée, quand on voit, en 419, Boniface I parler lui-même de lettres de ses prédécesseurs conservées dans ses archives. » Félix Rocquain, *Les Lettres de Nicolas I* (*Journal des Savants*, 1880, p. 642-3.) In quibus hoc etiam falso dictum est in manibus Nicolai fuisse Julii papæ (a. 337-352) epistolas, cum revera, ut supra probavi (p. 157-160), quidquid Julianum Anastasius protulit, id, modo ex Cassiodoro, modo ex falsis decretalibus sumpserit. Epistolas quidem Damasi (a. 366-384) tum notas fuisse Romanis, non admodum mirum est. Ex litteris enim Johannis VIII (a. 872-882) id accepimus, summorum pontificum a Damaso *Registra* (quæ etiam *Regesta* vocantur) in archivo Romano, temporibus illis, exstitisse. Sic enim Johannes VIII ad Ignatium scribens : « Nullus autem ignorat regionem Vulgarum a sanctæ memoriæ Damaso papa et deinceps usque ad paganorum irruptionem a sedis apostolicæ præsulibus... moderatam. Præsertim cum hoc nonnulla scripta, sed præcipue diversorum pontificum Romanorum res gesta (sic enim in codice manuscripto Vaticano, de quo plura dixi in *Formoso* meo, p. 25, 215 sqq.) quæ in archivis antiquitus nostræ reservantur Ecclesiæ, clarius attes-

decretales Anastasius hoc loco laudavit, eæ sunt quæ ante Julium, ab ultima Christianitatis antiquitate, scriptæ putabantur.

At vero, cum sæpe iis hominibus qui non certa rerum cognitione impediuntur ac quasi includuntur, latius pateat conjectura et fictio, dicet fortasse aliquis : Nonne fieri potuit ut, Nicolai temporibus, aliquæ antiquissimorum paparum epistolæ et eædem judicia episcopalia summis pontificibus vindicantes, in archivo Romano laterent? Nonne igitur de his sinceris et veris, non de fictis et Pseudo-Isidorianis, hic agere potuit Anastasius? — At, si scripta ejusmodi in bibliotheca sedis apostolicæ fuissent, cur ea Anastasius nunquam nominatim appellavit, cur ex eis nihil quidquam excerpsit? Quid est quod, omissis illis monumentis et tantæ auctoritatis et rei præsenti tam opportunis, aut ad ambages confugerit, aut etiam furtim, ut probavimus, argumenta sua a Pseudo-Isidoro sumpserit? Cur nec ante Nicolaum, nec post, non in una quacumque epistolarum apostolicarum, decreta illa antiquissima exhibentur?

Sed demus id quod nullo modo verum est, in bibliotheca Romana tum tales decretales latuisse; at certe non eas in epistola ad Gallos episcopos agebat Anastasius, non eas hic laudabat, non violatas eas episcopis Galliæ objurgabat. Etenim Anastasius, de quibus priscorum paparum epistolis esset, in hac causa Rothadi, inter Gallos episcopos et sedem apostolicam contentio, ipse disertissimis verbis significavit; qui-

tantur. » (Migne, t. CXXVI, p. 763, quem contuli cum codice Vaticano.) Et idem papa ad Græcos episcopos : « ... cum et sacra concilia sub sede b. Petri apostolorum principis has olim provincias deguisse patenter innuant, et rerum gestarum a sancto Damaso papa conscripta manifeste denuntient. » (Migne, ibid., p. 765.) At maxime quæritur num *Regesta* paparum natu majorum quam esset Damasus, in bibliotheca Romana, seculo nono, inessent : quod nemo nec probavit, nec fortasse unquam probare poterit, cum sit veri similius primum fuisse Damasum qui litteras apostolicas in bibliotheca diligenter servari jusserit. Sed hoc me longius ab incepto traheret.

bus consideratis, si quis negabit hic agi decretales Pseudo-Isidorianas, desperanda erit ipsa evidentia.

Sed prius illud renovo quod supra attigi, Hincmarum aliosque episcopos Galliæ non idem de omnibus decretalibus Pseudo-Isidorianis judicasse, sed alias perpetuo vigere, alias esse obsoletas; ex quo, dum eas rejicerent quæ causas episcopales Romano pontifici tribuebant, in aliis rebus, ex hoc fonte aliquid haurire non dubitabant, ut Hincmarus, qui in suis *Capitulis* incerto quidem anno [1], sed, quantum hoc licet conjicere, ante annum 856 editis [2], mentionem de Pseudo-Callisto fecerat [3], ut patres concilii Carisiacensis anno 857 habiti, qui falsas decretales protulerant Anacleti, Urbani et Lucii [4], ut rursus Hincmarus, qui, inter annos 860 et 863, *de divortio Lotharii et Tetbergæ* scribens, ad rem suam appellaverat Pseudo-Evaristum, Pseudo-Alexandrum, Pseudo-Fabianum, Pseudo-Cornelium, Pseudo-Felicem, Pseudo-Gregorium [5].

Itaque, si revera in ea Nicolai epistola quam nos scrutamur lis erat de istis Pseudo-Isidorianis, quæ tum antiquorum paparum nomine per Gallias erant vulgata, quæque ipsi Galli usurpare solebant, Anastasio, acutissimo viro atque in hoc genere disputandi peritissimo, facile erat Hincmarum aliosque episcopos exagitare, argumentum illud instituendo quod vocant *ad hominem*, eos ex ipsorum scriptis ostendendo secum pugnare, easdemque auctoritates pro

1. V. C. von Noorden, *Hinkmar*, p. 114, 410.
2. V. Schrörs, *Hinkmar*, p. 459, n. 8.
3. V. Hincmari *Capitula synodica*, Migne, t. CXXV, p. 791 A.
4. V. *Acta synodi apud Carisiacum habitæ* (Pertz, *Leges*, t. I, p. 453).
5. Id est, Pseudo-Evaristi c. II (Migne, *P. L.*, t. CXXV, p. 649; Hinschius, p. 87), Pseudo-Alexandri c. VII (Migne, ibid., p. 682; Hinschius, p. 97), Pseudo-Fabianii c. XXII (Migne, p. 680; Hinschius, p. 165), Pseudo-Cornelii c. VI (Migne, p. 681; Hinschius, p. 174), Pseudo-Felicis I c. V (Migne, p. 681; Hinschius p. 198), Pseudo-Gregorii *Epist. ad Felic. Sic.* (Migne, p. 654, 762; Hinschius, p. 752).

libitu et commodi causa modo accipere, modo repudiare. Sed jam illum audiamus : « Quæ ipsa, inquit, diverso tempore scripsit (sedes apostolica), omni debent honore præferri, et ab omnibus prorsus in quibuslibet opportunitatibus discretione vel dispensatione magistra reverenter assumi. Quanquam quidam vestrum scripserint haud *illa decretalia priscorum paparum* in toto codicis canonum corpore contineri descripta, cum ipsi, ubi suæ intentioni hoc suffragari conspiciunt, *illis indifferenter utantur*, et solum nunc ad imminutionem potestatis sedis apostolicæ et ad suorum augmentum privilegiorum minus accepta esse perhibeant. Nam nonnulla eorum (Gallorum) scripta *penes nos habentur*, quæ non solum quorumcumque Romanorum pontificum, verum etiam *priorum decreta in suis causis præferre noscuntur*[1]. »

Quid, quæso, potest esse manifestius? Quæ decretales priscorum paparum hoc loco a scriptore pontificali commendantur, non sunt qualescumque aut tum in archivo Romano latentes, aut nobis ignotæ. Sunt illæ quibus episcopi Galliarum in suis scriptis *indifferenter utebantur*, quas Galli, quas Hincmarus *in suis causis protulerant*. Et ea scripta Hincmari et Gallorum, ut tum, teste Anastasio, *penes erant sedem apostolicam*, sic aliqua ex parte adhuc exstant in manibus nostris, ut nobis ex iis inspectis totam illam disputationem de falsis decretalibus fuisse luce clarius appareat.

IX. Jam vero, quoniam nunc certum exploratumque habemus quid sibi Anastasius in hac epistola ad Gallos episcopos proposuerit, quas decretales ibidem defenderit, ea argumenta artesque quibus ille ad id obtinendum usus est, et quærere et judicare possumus.

1. Nicolai *Epist. ad univ. Gall. episc.* (Migne, t. CXIX, p. 901 ; cf. Appendicem).

Recordemur enim, annis ante quinque, cum Wenilo archiepiscopus Senonensis a Nicolao I quæsivisset an essent in archivo Romano decreta Melchiadis, Anastasius ad quæ diverticula et ambages confugerit, quam artificiose laboraverit ut Gallos episcopos veritatem celaret. Hoc quidem cum codicem Pseudo-Isidorianum nondum teneret. At illi, ineunte anno 865, audaciori esse licet; sunt in manibus ejus scripta illa antiquorum paparum; hæc jam inventa esse in bibliotheca Romana confingere tutius potest.

Itaque qui olim interrogatus de archivo sedis apostolicæ omnino nihil de hoc responderat, nunc non interrogatus hanc rem sua sponte aggreditur. Dixerant Hincmarus aliique Galli episcopi se, in causa Rothadiana, epistolas quasdam priscorum paparum neglexisse, quod illæ et obsoletæ essent et in libros canonicos non relatæ; Anastasius, ut contra easdem probet vigere, hanc affert regulam : omnia sine exceptione decreta, cujuscumque papæ et temporis, observanda esse fideliter, si modo (audi condicionem!) essent ea decreta in archivo ecclesiæ Romanæ antiquitus recondita : « Absit enim, ait, ut cujuscumque (papæ), qui usque ad ultimum vitæ suæ diem in fide catholica perseveraverit, vel decretalia constituta, vel de ecclesiastica disciplina quælibet exposita, debito cultu et cum summa discretione non amplectamur opuscula, *quæ duntaxat et antiquitus sancta Romana ecclesia conservans*, *nobis quoque custodienda mandavit*, *et penes se in suis archivis et vetustis rite monumentis recondita veneratur* [1]. »

At cedo quorsum spectaret hæc regula, nisi ut epi-

1. Migne, ibid.; Cf. Appendicem. In quibus dictis animadvertas velim istud « duntaxat », quod adverbium, ut apud Latinos ingenuos, sic in litteris Nicolai aliquam exceptionem significat, ut *tamen, modo, tantum modo* (v. supra, p. 118, l. 24; p. 153, l. 36; p. 154, l. 7). Quapropter istæc : « Quæ duntaxat et antiquitus », etc., sic recte converteres in sermonem gallicum : *Si toutefois et depuis longtemps ces écrits sont aux archives romaines*.

scopi Galliarum falso sibi persuaderent in hac condicione stare decretales illas Pseudo-Isidorianas, quas tum Anastasius et suscipiendas esse contendebat, et violatas objurgabat? Num Gallis in suspicionem venire poterat tantæ stoliditatis esse scriptorem pontificium, qui primum declarasset eis duntaxat apostolicis litteris obtemperandum esse quæ essent in archivo Romano reconditæ, ac deinde ipsos reprehenderet quod decretis priscorum paparum, in bibliotheca Romana certe non exstantibus, obtemperare noluissent?

At dicet aliquis bonus : Anastasium, etsi generatim in hac epistola decretales Pseudo-Isidorianas laudaverit, de iis hoc fortasse loco non cogitasse, at saltem non animadvertisse ad quid tenderet data illa de archivo Romano regula. At infelix excusatio; nam illa ipsa dicta ejus epistolæ quæ falsas decretales tam dilucide significant et commendant, post hanc datam regulam illico et eo modo proferuntur ut manifesto appareat non solum Anastasium, cum id præciperet, ad eas attendisse, verum etiam ea mente præcepisse ut scriptis Pseudo-Isidorianis majorem auctoritatem adjungeret[1] !

1. Ecce contextum et continuationem sermonis : « ... amplectamur opuscula, quæ duntaxat et antiquitus sancta Romana ecclesia conservans, nobis quoque custodienda mandavit, et penes se *in suis archivis et vetustis rite monumentis recondita veneratur*. Absit enim ut scripta eorum quoquomodo parvipendenda dicamus, quorum videmus, Deo auctore, sanctam Ecclesiam, *aut roseo cruore floridam* (ergo jam cogitabat Anastasius de decretis illis vetustissimorum paparum nomine confictis, quæ nempe tum scripta esse putabantur cum ecclesia christiana sanguine martyrum ruberet), aut rorifluis sudoribus et salubribus eloquiis adornatam. Si enim ipsorum decreto ceterorum opuscula tractatorum approbantur vel reprobantur, ita ut quod sedes apostolica probat, hodie teneatur acceptum, et quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur, quanto potius quæ ipsa pro catholica fide, pro profanis dogmatibus repellendis, pro variis et multifariis Ecclesiæ necessitatibus et fidelium moribus diverso tempore scripsit, omni debent honore præferri, et ab omnibus prorsus in quibuslibet opportunitatibus discretione vel dispensatione magistra reverenter assumi. *Quanquam quidam vestrum scripserint haud illa decretalia priscorum*

Profecto mentiri etiam potuisset apertius, sed, perfidiose tantum instillando, utilitatem duplicabat, cum sic simul et Gallos episcopos induceret in errorem, et sibi, si fraus deinde deprehenderetur, aliquod effugium faceret. Tanta erat hominis simulatio et audacia !

Quapropter, cum vix credi possit Nicolaum summum pontificem fraudis ejus participem fuisse, magis adducor ad credendum Anastasium, antequam in episcopos Galliæ hunc dolum moliretur, ipsum papam decepisse, id est, falsarum decretalium exemplaria, quæ aut a Rothado episcopo acceperat, aut ipse recens transcripserat, Nicolao obtulisse tanquam ab archivo Romano deprompta [1]. Quæ causa rei si cui non placeat, hunc rogo, priusquam Nicolaum accuset fallaciæ, ut videat an non possit alia inveniri defensio.

pontificum in toto codicis canonum corpore contineri descripta (attendas ad istud : « *Quanquam illa* », ex quo intelligitur hoc loco easdem decretales agi quæ supra in archivo Romano antiquitus inesse dicebantur), cum ipsi, ubi suæ intentioni hæc suffragari conspiciunt, *illis indifferenter utantur*, et solum nunc ad imminutionem potestatis sedis apostolicæ et ad suorum augmentum privilegiorum minus accepta esse perhibeant. Nam nonnulla eorum (Gallorum episcoporum) scripta penes nos habentur, quæ non solum quorumcumque Romanorum pontificum, verum etiam *priorum decreta in suis causis præferre noscuntur.* » Quæ verba, ut supra demonstravimus, falsas decretales certis indiciis notant. (Migne, t. CXIX, p. 901 ; cf. Appendicem.)

1. Olim Carolus de Smedt, cui quidem non notum erat quas partes Anastasius in litteris Nicolai habuerit, opinionem in hac re proposuit, quam nunc constat probari non posse. Sic enim doctissimus ille vir, cum eamdem Nicolai epistolam eumdemque locum ageret de quo nos etiam plura diximus : « Il ne viendra à l'esprit d'aucun de nos lecteurs que la dernière partie de cette phrase renferme une affirmation mensongère tendant à faire croire que le texte authentique des décrétales pseudo-isidoriennes était conservé dans les archives de Rome. Le grand caractère de Nicolas Ier le met à l'abri d'un tel soupçon (at Anastasii versutum ingenium num tali suspicione liberatur?). On ne peut voir évidemment dans ces mots que l'énoncé d'une condition générale à laquelle devaient satisfaire les décrétales attribuées aux Papes pour avoir force de loi (itaque in hoc est mendacium et fraus Anastasii quod generalem illam regulam præposuit, ut probaret falsas decretales vigere). Ce sens est confirmé d'ailleurs par la présence du mot *duntaxat*, inexplicable dans l'autre hypothèse (quod sane nimium explicatur, et in quo, ut ante monstravimus, mens fraudulenta maxime ostenditur). Et c'est sans doute parce que Nicolas ne trouva point

X. At hujus ad universos Gallos epistolæ, quæ bipartita est, totam industriam nondum exploravimus.

Postquam enim Anastasius, in priore parte, falsas priscorum paparum decretales æque accipiendas esse contendit quam quæ inessent in libris canonicis, deinde, in parte posteriore, probare aggreditur in commentis Pseudo-Isidorianis nihil admodum de episcoporum judicio inveniri, quod non similiter in litteris paparum canonicis inveniretur, nullumque esse de re illa discrimen inter decretales priscorum paparum et epistolas ab omnibus sine controversia receptas [1].

Quod si Anastasius id tantum dixisset, Nicolaum I, totius Ecclesiæ rectorem, jus habuisse leges antiquas immutandi, causasque episcopales, quarum antea cognitio provincialibus synodis dabatur, sibi deinde reservandi, non sane esset quod miraremur. Immo vero, cum tum aliquid theologicum ageretur, non historicum, næ ego rem alienam fugitassem. At in hoc peccavit noster, quod affirmare ausus est et Nicolaum I, cum judicia episcoporum sedi apostolicæ vindicaret, nihil novi instituisse, sed tantum epistolas canonicas decessorum suorum revocasse, et episcopos Galliarum, in causa Rothadiana præjudicando,

cette condition remplie pour les décrétales citées par Rhothade qu'il ne voulut jamais recourir à leur autorité, quoiqu'il eût entre les mains des lettres qu montraient que la collection pseudo-isidorienne était reçue comme authentique par les évêques francs. » Probe vero; at cum revera Nicolaus Anastasio concesserit ut falsas decretales et laudaret et canonicas esse probaret, hoc argumentum in contrariam partem convertere necesse est, ac dicere Nicolaum ideo id permisisse, quia scripta Pseudo-Isidoriana stare in ea conditione generali, id est, antiquitus fuisse in archivo Romano, tum persuasum habuerat, nisi malis eum papam Anastasianæ fraudis participem dicere. (V. de Smedt, op. l., p. 16, n. 2.)

1. Hoc modo Anastasius a priore parte ad posteriorem transit : « His ita divina favente gratia prælibatis, ostendimus nullam differentiam esse inter ea decreta quæ in codice canonum habentur sedis apostolicæ præsulum, et ea quæ præ multitudine vix per singula voluminum corpora reperiuntur », etc. Nicolai *Epist. ad univ. Gall. episc.* (Migne, p. 903; cf. Appendicem).

jam facta decreta paparum violasse. Frustra enim causatur Anastasius summos pontifices olim decrevisse ut ne majores causæ inconsultu sedis apostolicæ terminarentur[1]. Nam ex hoc ut aliquid pro re sua jure colligeret, necesse erat simul ostendere judicia episcoporum inter majores causas per easdem auctoritates adscriptas fuisse[2]. Quod non solum ex epistolis paparum canonicis et certis probari non poterat, sed etiam falsum esse constabat.

Namque, ut exemplo utar, inter varias Romanorum pontificum litteras in libris canonum jampridem adscriptas, erat Innocentii papæ I ad Victricium epistola, in qua is summus pontifex quinti seculi disciplinam legesque tum apud Romanos vigentes ordine ac breviter docuerat[3]. Hoc enim scripto Innocentius vicissim edisserebat cujus esset et de litibus clericorum et de causis majoribus sententiam pronuntiare. De re priore, Romanus pontifex decreta renovans concilii Nicæni et Sardicensis, quemcumque clericum, cujusvis esset ordinis, in sua provincia ab episcopis in synodum congregatis judicandum esse censebat, nec cuiquam licere a synodo suæ provinciæ ad alios judices provocare, salvo tamen ecclesiæ Romanæ jure, ad quam,

1. Sic ille Leonis I auctoritatem prætendit : « Ait enim : Nam cum majora negotia et difficiliores causarum exitus liberum tibi esset sub nostræ sententiæ exspectatione suspendere, nec ratio tibi, nec necessitas fuit in id quod mensuram tuam excederet deviandi. » (Migne, p. 903.)

2. Nec magis ad rem faciebat quod iste Gallis episcopis sic objecit : « Sed dicitis judicia episcoporum non esse majora negotia, nec difficiliores causarum exitus. At nos horum merito judicia majora negotia dicimus, et difficiliores exitus judicamus, qui quanto gradus sunt præcipui, et in Ecclesia Christi sublimiores, tanto, cum de horum statu vel casu agitur, majora negotia et difficiliores causarum exitus agitari vel haberi creduntur. » (Ibid., p. 903-4.) Non enim agebatur quid tum Nicolaus I de causis majoribus sentiret, sed quid antea de illis esset decretum, num porro æquum esset episcopos Galliarum accusare, quod, in causa Rothadiana, leges jam latas a Romanis pontificibus violassent.

3. V. Migne, *P. L.*, t. XX, p. 469 sqq.; cf. *Codicem canonum Dionysii Exigui*, ap. Migne, t. LXVII, p. 241.

ex concilio Sardicensi, appellare episcopus quisque poterat. « Si quæ autem, ait ille, causæ vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis quam etiam inferioris fuerint exortæ, ut, secundum synodum Nicænam, congregatis ejusdem provinciæ episcopis, jurgium terminetur, nec alicui liceat, sine præjudicio tamen Romanæ ecclesiæ, relictis his sacerdotibus qui in eadem provincia Dei ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias [1]. » Tantum Innocentius aberat ut judicia episcoporum synodis provincialibus denegaret solique Romano pontifici vindicaret !

His autem de causis episcopalibus expositis, idem pontifex statim ad causas majores transibat hoc modo : « Si autem majores causæ in medio fuerint devolutæ, » etc. [2]. Ex qua distinctione ac divisione jam manifestum est, Innocentii quidem sententia, judicia episcoporum non ex se inter majora negotia habita fuisse; quod tamen doctrinæ Pseudo-Isidorianæ quasi fundamentum erat ac robur. Sed quid dicam de iis quæ sequuntur? Declarat enim Innocentius ne majores quidem causas ita ad Romanum pontificem pertinere, ut ab eisdem præjudicandis episcopi alii prohibeantur; sunt illæ quidem ad sedem apostolicam referendæ, at non ante, ut voluerat Pseudo-Isidorus, sed post episcopale judicium : « Si autem, inquit, majores causæ in medio fuerint devolutæ, ad sedem apostolicam, sicut synodus statuit, *post judicium episcopale* referantur [3]. » Ergo, decernente Innocentio, in ipsis majoribus, quanto magis in causis episcopalibus, episcopis præjudicare licebat. Ita videlicet constabat inter decretales Pseudo-Isidorianas et certa antiquitatis monumenta nullum esse discrimen !

1. Migne, t. XX, p. 472-3; t. LXVII, p. 242.
2. Ibid.
3. Ibid.

Dices fortasse : At hanc Innocentii epistolam non legerat Anastasius. — At hominis audaciam non satis cognitam habere videris. Ut ille olim, ad probandum non licere synodis provincialibus de episcopis ferre sententiam, concilium Sardicense pro argumento usurpaverat, ex quo id licere perspicuum est, sic nunc, ut demonstret episcopales causas in numero majorum causarum jam pridem repositas fuisse atque Romano pontifici vindicatas, his ipsis Innocentii litteris uti non dubitat. Sed videte os hominis ! Ex hoc loco, propter illud « sine præjudicio Romanæ ecclesiæ », proposito suo, ut ipse quidem opinabatur, magis commodum, nihil nisi unam periodum excerpit, cetera vero quibus ejus commentum manifesto refellebatur, silentio cautissime prætermittit. Neque id patravit semel ; sed bis excerptam eamdem Innocentii epistolam eadem industria amputavit [1].

Et iste, dum ita ageret, argutam sapientiam Hincmaro archiepiscopo exprobrabat [2] ! Et in episcopis Galliæ acerrime reprehendebat quod litteras Romanorum pontificum ad arbitrium suum, ambitionis causa, tractarent [3] !

Est igitur denique exploratum illud, quod diu criticis magnum negotium facesserat, nimirum in litteris Nicolai I

1. In litteris ad universos episcopos Galliæ, Anastasius, cum Innocentium protulit, ab his incepit : « Si quæ autem causæ », desivit autem in ea : « convolare provincias » (v. Migne, t. CXIX, p. 898, et Appendicem). Quem eumdem Innocentium, scribens Carolo Calvo, sic rursus eodem consilio decurtatum citavit : « Et beatus Innocentius papa *sine præjudicio Romanæ Ecclesiæ* præcipit, cum causæ vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis quam inferioris fuerint exortæ, nulli licere, relictis his sacerdotibus qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. » Nicolai *Epist. ad Carolum Calv.* (Migne, t. CXIX, p. 894).

2. « Sed arguta sapientia tua, utinam in bono accepta, fomitem judicii et materiam dispositionis adversus Rothadum assumpsit », etc. Nicolai *Epist. ad Hincmarum* (Migne, ibid., p. 898).

3. « ... Quum ipsi (Galli), ubi suæ intentioni hæc (decreta) suffragari conspiciunt, illis indifferenter utantur, et solum nunc ad imminutionem potestatis sedis apostolicæ et ad suorum augmentum privilegiorum minus accepta esse perhibeant. » Nicolai *Epist. ad univ. Gall. episc.* (Migne, ibid., p. 901).

falsas quidem decretales generaliter laudari, suaderi, usurpatas sæpe reperiri, iis tamen spuriorum scriptorum excerptis nihil nominatim prætendi nisi certorum monumentorum auctoritatem. Habes igitur nunc Anastasianam artem ex toto detectam, cur iste, si quando aliquid Pseudo-Isidorianum protulit, id unde hauriretur solertissime celaverit, curque veras constanter appellaverit decretales, sed eas ad sensum Pseudo-Isidorianum detorquendo, falsasque veris tacite interserendo. Hac enim agendi ratione, quidquid in commentis Pseudo-Isidorianis auctoritati sedis apostolicæ prodesset, hoc et Anastasio retinere licebat, et episcopis Galliarum omnis obediendi auferebatur excusatio.

Et vero is ad exitus optatos tandem pervectus est, non quod Hincmarus aliique Galliarum præsules, idem in decretalibus Isidorianis et in epistolis canonicis statutum esse admiserint[1], aut existimaverint decreta illa priscorum paparum vigorem legis retinuisse, sed, experti quantum hæc placita Nicolao grata essent, atque ægre ferentes sæpius de hac re lacessiri, ii episcopi anno 867 Tricassibus in synodum congregati, summum pontificem sua sponte rogaverunt ut antiquas decretales renovaret, earumque secutus exemplum ipse decretum faceret ne quis deinde episcopus injussu Romani pontificis judicaretur[2].

Parvi autem interest quid Anastasius de scriptis Pseudo-Isidorianis intima mente senserit, an falsas decretales pro sinceris verisque ingenue habuerit; quanquam in illo homine

1. Hincmarus enim postea et epistolam Innocentii ad Victricium et canonem nonum concilii Chalcedonensis ipse interpretatus est, idque aliter ac egerat Anastasius. V. Hincmari *Opusc. LV capit.*, c. XXVI (Migne, t. CXXVI, p. 400).

2. « ... vestri apostolatus exoramus magnificam beatitudinem, ... more prædecessorum vestrorum, quæ de statu sacri pontificalis ordinis ab eis statuta et imprævaricabili auctoritate firmata sunt, ut immota de cetero maneant, mucrone apostolico quorumcumque metropolitanorum temeraria præsumptione suppressa, quin etiam, reliquorum episcoporum quorumcumque seu quantorumcumque audaci conniventia penitus summota, privilegia et decreta servari

tam callido, atque bibliothecæ Romanæ scientissimo, id parum veri simile videtur. Non enim in hoc est Anastasii improbitas quod ficta monumenta et ipse recepit et recepta ab aliis voluit, sed quod maxime, ad id obtinendum, indignis artibus usus est. Neque illud quidem apud catholicos excusari potest, quod is epistolaris Nicolai, sic auctoritatem summorum pontificum confirmando, Ecclesiæ christianæ magnam præstitisset utilitatem. Quantumvis enim sit causa aliqua et justa et utilis, mendacio eam tueri nefas est magnique periculi, aut si quid prodest ad tempus mendacium, fraude deinde detecta (quid enim diuturnitate non detegitur?), cuncta ruunt in partem pejorem ipsaque causa labefactatur.

Sic igitur Anastasius pro potestate summorum pontificum, in rebus Occidentalibus, pugnavit. Quam potestatem a Græcorum incursionibus utinam melioribus armis defendisset!

XI. Illum sane hominem, qui rem cum Photio haberet, præditum esse ea solertia, qua græca perspiceretur calliditas, aut etiam acerbitate verborum quæ Photianam audaciam retunderet, nec dedecebat, neque erat inutile; sed ea sub condicione ne iisdem fraudulentis artibus Græcos oppugnaret quas Græci adhibere dicebantur, neque in vindicandis sedis apostolicæ juribus quidquam fictum aut adulteratum proferret, ex quo Romanorum fama et existimatio apud Orientales viros violaretur, non sine detrimento totius rei publicæ christianæ.

Initio hujus controversiæ, id tantum, ut diximus, agebatur num merito Ignatius, Byzantinus patriarcha, de sede

innovata constitutione decernatis : ita ut nec vestris, nec futuris temporibus, præter consultum Romani pontificis, de gradu suo quilibet episcoporum dejiciatur, *sicut eorumdem sanctorum antecessorum vestrorum multiplicibus decretis et numerosis privilegiis stabilitum modis mirificis extat.* » Tricassini concilii *Epist. synod. ad Nicolaum* (Coleti, t. X, p. 378-9).

sua dejectus esset, utrum Photius jure an injuria illius locum occuparet. Ad quam dirimendam litem, Nicolaus, ut solebat, jus Romanorum pontificum evocavit, irritamque Ignatii ejectionem in primis ob eam causam pronuntiavit, quod illa injussu sedis apostolicæ facta fuerat [1]. Ex qua lege id dici licuerit non mearum partium est quærere, quanquam non dubito quin ea sententia certis etiam exemplis monumentisque defendi potuisset (agebatur enim de judicio patriarchæ, non de cujuscumque episcopi), si fuisset Nicolao epistolaris aliquis probior. Anastasius profecto Græcis objurgare non potuit quod decretales antiquorum paparum neglexissent, sciebat enim in manibus eorum hæc scripta non esse; attamen solita calliditate non temperavit, causæque bonæ damnum improbitate sua fecit.

Omitto quam sæpe Anastasius contra Græcos commenticia illa concilia fictasque narrationes prætenderit, quæ olim, ad auctoritatem sedis apostolicæ propugnandam, Romani quidam confinxerant [2]. Quamvis enim nemo, ante Anastasium, litteras apostolicas his scriptis tam sæpe infecisset [3], tamen, cum ea in ecclesia Romana jamdudum vul-

1. Quam rationem, ut primum causa delata est ad sedem apostolicam, Anastasius Michaeli imperatori Nicolai nomine rescribens ostentavit hoc modo : « ... Multoties conventus factus fuerit sanctorum patrum, a quibus et deliberatum ac observatum existit, qualiter absque Romanæ Sedis Romanique pontificis consensu, nullius insurgentis deliberationis terminus daretur. Igitur a vobis Constantinopoli congregatum concilium (ut vestris apicibus nostris intimatum est auribus) hujus tenoris seriem parvipendens, ab institutis supra dictis manum considerationis suæ reflectere non trepidavit : adeo ut Ignatium supra jam nominatæ urbis patriarcham sine Romani consultu pontificis, ibidem cœtus conveniens, proprio privasset honore. Quod quam sit reprehensione dignum », etc. Nicolai *Epist. I ad Michaelem* (Coleti, t. IX, p. 1291).

2. Scripta pleraque quæ *Symmachiana apocrypha* vocantur, auctores habuisse Romanos confirmavit Ludov. Duchesne (v. *Étude sur le Liber pontificalis*, Paris, 1877, p. 175 sqq.). Hæc sunt ap. Migne, *P. L.*, t. VI et VIII, et ap. Coustant, *Epist. Rom. pontif.*, in Appendice.

3. *Acta Silvestri* ab eo sermone removeo, quæ, ante Symmachiana apocrypha alioque consilio, in Armenia, ut veri simile est, confecta sunt (v. Duchesne, op. cit., p. 165-173); quæ quidem jam summi pontifices in litteris suis

gata essent, multisque fecissent fidem [1], fieri certe potuit ut ipse Anastasius falsa pro veris ex animo habuerit. Hoc tamen dolendum est, talibus argumentis jura Romanorum pontificum confirmata fuisse in iisdem litteris [2] quibus patriarchæ Byzantini maxima acerbitate ironiaque reprehendebantur, quod ipsi, augendæ auctoritatis gratia, tabulas authenticas adulterare solerent, et scriptorem illum pontificium, dum fraudes antiquas Romanorum plenis manibus effunderet, hoc eodem loco Græcorum fraudes irrisisse, Byzantinisque fallaciis opposuisse Latinorum ingenuitatem [3].

prætulerant, ut Hadrianus I (*Acta conc. œcum. VII*, act. II, ap. Coleti, t. VIII, p. 747; Migne, t. XCVI, p. 1217-1221), ut multo ante Gelasius, si modo huic papæ jure adscribatur decretum *de recipiendis et non recipiendis libris* (v. Migne, *P. L.*, t. LIX, p. 161).

1. Hæc quam sæpe usurpaverit auctor Libri pontificalis rursus ostendit L. Duchesne (v. *Le Liber pontificalis*, Paris, 1884-5, Introduction, p. CXXXVII sqq.). Atque Nicolai I temporibus, tanta auctoritas fictis illis monumentis adjungebatur, ut Rhadoaldus Portuensis episcopus et Zacharias Anagninus, legati apostolici, in synodo Byzantii habita a. 861, *Silvestri constitutionem* nominatim laudaverint, quemadmodum hujus concilii Acta referunt : « Item Apocrisiarii dixerunt : Canon secundus Silvestri docet ut episcopus non condemnetur nisi LXXII testibus; vultis recipere canonem sancti Silvestri? Paulus episcopus Cesareæ Cappadociæ dixit : Recipimus. » (Deusdedit, *Collectio canonum*, p. 512; cf. *Constit. Silvestri*, c. III, ap. Migne, *P. L.*, t. VIII, p. 833-4, et ap. Coustant, op. cit., Append., p. 47.)

2. V. Nicolai *Epist. III ad Michaelem*, in qua describuntur *Gesta de Xysti purgatione* (« Hinc Sixtus apostolicæ sedis », etc., ap. Coleti, t. IX, p. 1325 ; cf. Coustant, Append., p. 120-1; « Sed et cum quidam », etc., Coleti, p. 1327; cf. Coustant, ibid., p. 119); *Constitutio Silvestri* (« Consonat autem huic necessario sententiæ sanctus Silvester, » etc., Coleti, p. 1326; cf. Coustant, ibid., p. 52; « Hinc etiam superius memoratus confessor Christi Silvester », etc., Coleti, p. 1327 B; cf. Coustant, ibid., p. 47); *Pseudo-synodus Sinuessana* (« Siquidem tempore Diocletiani », etc., Coleti, p. 1327 A; cf. Coustant, ibid., p. 30-4).

3. Sic enim ille in iisdem litteris ad Michaelem : « In epistola beatæ memoriæ præsulis Hadriani, si diligenter inquisieritis, profecto invenietis, *si tamen non falsata Græcorum more,* sed sicut a Sede missa est apostolica penes ecclesiam Constantinopolitanam hactenus perseverat. » Nicolai *Epistola III ad Michaelem* (Coleti, t. IX, p. 1319 A; Migne, *P. L.*, t. CXIX, p. 930). Quod idem, in alia ad Michaelem epistola, his verbis refricat : « ... quatenus per hoc scire valeant, utrum sic eadem epistola in sua penes vos integritate

At quis tulerit illum virum, qui Græcis corruptas leges acerrime vituperabat, ipsum simul canonem nonum concilii Chalcedonensis ita in alienum sensum detorsisse, ut ea quæ in gratiam et favorem patriarchæ Byzantini decreta erant, in privilegium Romani pontificis converterit?

Etenim synodus œcumenica Chalcedonensis[1] quondam instituerat ut, si quis clericus litem cum episcopo haberet, res in synodo provinciæ ageretur, sin autem clericis aut episcopis controversia esset cum metropolitano, deferretur causa sive ad exarchum diœceseos[2], sive ad sedem Constantinopolitanam, ibique judicaretur[3]. De pontifice autem Romano nihil prorsus in hoc canone agebatur, non quod Chalcedonenses patres auctoritatis Romanæ cepisset oblivio, sed lex ad solam Orientalem ecclesiam spectabat[4], in qua, cum ex omnibus partibus imperii Constantinopolim clerici litigantes magis ac magis in dies confluerent,

maneat, quemadmodum extiterat a nobis tuæ sublimitati directa : an a quoquam fuerit postmodum ad superius annotatas depravationes perducta. Et siquidem per vestratum aliquem tantum nefas patratum est : *quoniam apud Græcos, sicuti diversi temporis scripta testantur, familiaris est ista temeritas* » etc. Nicolai *Epist. IV ad Michaelem* (Migne, t. CXIX, p. 1025; Coleti, t. IX, p. 1353).

1. Quæ habita est m. Oct. a. 451. V. Hefele, *Histoire des conciles*, t. III, p. 1 sqq.

2. Quod si per illud « exarchum diœceseos » intelligendi sunt non solum primates majorum quarumdam provinciarum, sed ipsi etiam patriarchæ, ex hoc canone fiebat ut Byzantinus pontifex de clericorum causis ex universa Orientis ecclesia (quæ sola hoc loco agebatur) judicare posset. Quam interpretandi rationem, ut apud Græcos valuisse constat (v. Justiniani *Novell.* 21, c. 22), sic esse veriorem demonstravit Hefele in *Hist. des conc.*, t. III, p. 108-110.

3. Ecce canonem græco sermone factum : Εἰ δὲ καὶ κληρικὸς ἔχοι πρᾶγμα πρὸς τὸν ἴδιον ἐπίσκοπον ἢ πρὸς ἕτερον, παρὰ τῇ συνόδῳ τῆς ἐπαρχίας δικαζέσθω. Εἰ δὲ πρὸς τὸν τῆς αὐτῆς ἐπαρχίας μητροπολίτην, ἐπίσκοπος ἢ κληρικὸς ἀμφισβητοίη, καταλαμβανέτω τὸν ἔξαρχον τῆς διοικήσεως, ἢ τὸν τῆς βασιλευούσης Κωνσταντινουπόλεως θρόνον, καὶ ἐπ' αὐτῷ δικαζέσθω. *Chalc. syn.* c. IX (Pitra, *Juris ecclesiastici Græcorum monumenta*, t. I, p. 526; Hefele, *Hist. des conc.*, t. III, p. 107-8). Hujus autem canonis exemplum latinum, a Dionysio Exiguo translatum, lege infra, p. 182.

4. Quod scienter exposuit Hefel (*Hist. des conc.*, t. III, p. 108-110).

opportunum patribus visum erat patriarcham Byzantinum de omnibus illis litibus cognoscere ac judicare posse. Ex hoc igitur decreto non solum augebatur Byzantinæ sedis auctoritas, sed etiam constabat non esse verum id quod quidam existimabant, ex jure antiquo et constanti causas quascumque episcopales Romanæ sedi esse reservatas.

Jam vero Anastasianam audaciam rursus admiremur, quippe qui in eo ipso canone Chalcedonensi nihil aliud jussum esse contenderit nisi ut ad sedem Romanam omnes omnium clericorum causæ deferrentur. Ad quod demonstrandum incredibile est quibus artificiis, quam infelici verborum cavillatione usus sit [1].

Etenim, ut illius verba in modum syllogismi adhibeamus, Anastasius ita argumentatus est : In canone nono concilii Chalcedonensis dicitur causas clericorum ad primatem diœceseos esse deferendas [2]. Atqui ex altera parte « primas » idem sonat atque « primus », ex altera autem « diœceseos » pro « diœceseon », id est, numerus singularis pro plurali usurpatur. Igitur jam constat per illud decretum jussum esse ut ad primum diœceseon causæ clericorum deferantur. Porro quis est primus omnium diœceseon nisi pontifex Romanus? Ergo ex concilio Chalcedonensi omnia omnium judicia ad sedem apostolicam pertinent.

1. Rectius idem dixisset quod Hincmarus, canonem nonum Chalcedonensem olim apostolicæ sedi non fuisse ex toto probatum (v. Hincmari *Opusc. L V capit.*, c. XXIII, XXIV, Migne, t. CXXVI, p. 369, 375). At quoniam libri canonum in ecclesia Romana recepti illud decretum integrum referebant (v. Dionysii Exigui *Codicem canonum*, Migne, t. LXVII, p. 173), id Anastasius rejicere non ausus est, sed ad rem suam trahere detorquendo maluit.

2. In exemplaribus latinis illud græcum « ἔξαρχον τῆς διοικήσεως » translatum erat in « primatem diœceseos » (cf. infra, p. 182, n. 1). Sed hoc nomen, etsi fortasse rem a Græcis episcopis excogitatam non planissime redderet, nullam tamen habebat ambiguitatem, cum satis constaret quid primas diœceseos significaret, at saltem non idem sonare quod Romanus pontifex.

Sed ne quis mihi vitiatam Anastasii argumentationem reprehendat, hanc ad verbum perscribere juvat. « Quem autem, ait ille, primatem diœceseos sancta synodus dixerit, præter apostoli primi vicarium, nullus penitus intelligitur. Ipse enim primas, qui et primus habetur, et summus : quæ viritim, si locus exegerit, in subditis demonstrabimus. Ne vero moveat quia singulari numero diœceseos dictum est, sciendum est quia tantumdem valet dixisse primatem diœceseos quantum si perhibuisset diœceseon; plenæ sunt enim sanctæ Scripturæ tali forma locutionis. Denique scriptum est : Fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terræ. Qui enim non ait, Unus fons ascendebat e terra, sed ait, Fons autem ascendebat e terra, pro numero plurali posuit singularem », etc.[1]

Verumtamen, cum in illo canone disertissime esset scriptum lites episcoporum, sive ad primatem diœceseos, sive ad sedem Constantinopoleos juxta deferendas esse, cumque, ex Anastasii sententia, per illud « primas diœceseos » primus totius Ecclesiæ significaretur, necesse erat inferre Romano pontifici et patriarchæ Byzantino, per decretum Chalcedonense, parem esse datam judicandorum episcoporum potestatem. Quam conclusionem ut effugeret, Anastasius ad novam fallaciam decurrit, atque fingit in hoc canone decretum esse ut ad primatem diœceseos adirent omnes prorsus clerici, *ubicumque erant*, ad patriarcham vero ii tantum *qui in vicina regione degebant*. Quin etiam, ne ulla inter papam et patriarcham maneret juris æquabilitas, rursus iste comminiscitur juxta canonem Chalcedonensem *juberi* quidem adire ad primatem diœceseos, ad patriarcham vero *indulgentia permitti;* quanquam synodus de utroque

1. V. Nicolai *Epist. III ad Michaelem imper.* (Coleti, t. IX, p. 1331; Migne, t. CXIX, p. 945).

agens, eadem omnino verba, eamdemque enuntiationem disjunctivam usurpaverat [1].

Vix igitur concipi potest quo pacto Nicolaus hanc Anastasii interpretationem probatam ratamque habuerit. Quapropter nonnullis fortasse videbitur ipsum pontificem ejus erroris fuisse conscium [2]. Mihi vero illud recordanti,

1. CONCILII CHALCEDONENSIS CANON NONUS.

Si quis clericus adversus clericum habet negotium, non deserat episcopum proprium : sed prius actio ventiletur apud episcopum proprium, vel certe consilio ejusdem episcopi, apud quos utræque partes voluerint, judicium continebunt. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis correptionibus subjacebit. Quod si clericus habet causam adversus episcopum proprium, vel adversus alterum, apud synodum provinciæ judicetur. *Quod si adversus ejusdem provinciæ metropolitanum episcopus vel clericus habet querelam, petat primatem diœceseos, aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ, et apud ipsum judicetur.*

(Ex Codice canonum a Dionysio Exiguo compacto, ap. Migne, *P. L.*, t. LXVII, p. 173.)

ANASTASII INTERPRETATIO.

Sed ne sine auctoritate canonica quidquam prosequi videamur, nunc Chalcedonensis concilii sanctiones ad memoriam reducamus, quæ ita decernunt : Si clericus habet causam adversus episcopum proprium, vel adversus alterum, apud synodum provinciæ judicetur; quod si adversus ejusdem provinciæ metropolitanum episcopus vel clericus habet querelam, petat primatem diœceseos, aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ. In quo hic tenor observandus est, ut si videlicet clericus aut episcopus adversus metropolitanum habet querelam, et tanta urgetur necessitate, vel si hoc grave non ferat, *ubicumque sit positus*, primatem diœceseos petat; *quod si juxta Constantinopolitanam urbem quisquam eorum constitutus*, et solius præsulis ejus judicio velit esse contentus, petat eamdem regiam urbem. Cum enim dixisset : petat primatem diœceseos, *præceptum posuit* eadem sancta synodus regulamque constituit; cum vero disjunctiva conjunctione addidisset : aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ, liquet profecto quia hoc secundum *permissionem indulsit*, etc.

(Nicolai *Epist. III ad Michaelem*, Migne, t. CXIX, ep. 86, p. 944; Coleti, t. IX, p. 1330-1331.)

2. Hæc antequam imperatori Byzantino scriberet, Anastasius eumdem canonem Chalcedonensem usurpaverat in hunc modum : « Si adversus provinciæ metropolitanum episcopus vel clericus habeat querelam, juxta Chalce-

quod supra monstratum est, quam densis ignorantiæ tenebris Romana civitas a sexto seculo circumfusa fuerit, in quibus necesse erat ut memoria antiquitatis, Græcæ præsertim, quam maxime obscuraretur, Nicolaum id ex bona fide probasse, non admodum incredibile videtur. At Anastasius, qui talia de suo sensu deprompsit, vix ac ne vix quidem ab omni fraudis suspicione liberatur, tam quia præter ceteros Romanos et historiæ et linguæ græcæ peritus erat, quam quod in ejus scriptis plura, ut vidimus, reperiuntur quæ ex eadem industria et fraude profecta sunt.

Quantum vero Anastasius, hac agendi ratione, auctoritatem Romanam in discrimen adduxerit, non opus est pluribus edocere. Sic telum acerrimum illis Græcis et Photio dedit, quibus eo gratius erat Romanos in manifesta fraude deprehendere, quo ipsi vehementius a Romanis astutiæ condemnabantur et doli. Quanto etiam majoris periculi res erat ita cum Photio agere, acutissimi ingenii viro atque in omni genere eruditionis paratissimo, cum is præsertim summos pontifices, ad augendam auctoritatem suam, conciliorum decreta adulterare solere, ex aliis sedis apostolicæ litteris colligeret [1]. Quapropter jure ac merito, ut opinor, dici

donenses regulas jubetur ut petat primatem diœceseos aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ, et apud ipsum judicetur. Quod tamen nulli dubium est multo magis apud Romuleam urbem, quam apud Constantinopolitanam, esse penitus observandum. » Nicolai *Epist. ad Carolum Calvum* (Migne, t. CXIX, ep. 73, p. 893). Hoc quidem loco verba « primas diœceseos » aliam in partem non esse traducta, sed vera significatione proposita existimavit J. Hefele (*Hist. des conc.*, t. V, p. 505); ex quo inferendum esset non solum Anastasio, sed etiam Nicolao I, modo falsa, modo vera, pro rerum opportunitate, placuisse. Mihi vero multo veri similius est Anastasium, ut in epistola ad Michaelem, sic in illa Chalcedonensem canonem prave usurpasse. Nisi enim in priore periodo optio daretur aut papæ aut patriarchæ Byzantini, argumentum *a fortiori* quod sequitur non tam bene procederet.

1. V. Ἐρωτήματα δέκα σὺν Ἴσαις ταῖς ἀποκρίσεσι, in quo opusculo Photius, inter alia, Felicem papam III vehementer increpat quod, in epistola quadam ad Misenum et Vitalem scripta, concilium Nicænum contenderit Romanis pontificibus jus fecisse omnes synodos confirmandi : ἀναιδῶς γὰρ ἐκεῖ τὸν

agens, eadem omnino verba, eamdemque enuntiationem disjunctivam usurpaverat [1].

Vix igitur concipi potest quo pacto Nicolaus hanc Anastasii interpretationem probatam ratamque habuerit. Quapropter nonnullis fortasse videbitur ipsum pontificem ejus erroris fuisse conscium [2]. Mihi vero illud recordanti,

1. CONCILII CHALCEDONENSIS CANON NONUS.

Si quis clericus adversus clericum habet negotium, non deserat episcopum proprium : sed prius actio ventiletur apud episcopum proprium, vel certe consilio ejusdem episcopi, apud quos utræque partes voluerint, judicium continebunt. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis correptionibus subjacebit. Quod si clericus habet causam adversus episcopum proprium, vel adversus alterum, apud synodum provinciæ judicetur. *Quod si adversus ejusdem provinciæ metropolitanum episcopus vel clericus habet querelam, petat primatem diœceseos, aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ, et apud ipsum judicetur.*

(Ex Codice canonum a Dionysio Exiguo compacto, ap. Migne, *P. L.*, t. LXVII, p. 173.)

ANASTASII INTERPRETATIO.

Sed ne sine auctoritate canonica quidquam prosequi videamur, nunc Chalcedonensis concilii sanctiones ad memoriam reducamus, quæ ita decernunt : Si clericus habet causam adversus episcopum proprium, vel adversus alterum, apud synodum provinciæ judicetur; quod si adversus ejusdem provinciæ metropolitanum episcopus vel clericus habet querelam, petat primatem diœceseos, aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ. In quo hic tenor observandus est, ut si videlicet clericus aut episcopus adversus metropolitanum habet querelam, et tanta urgetur necessitate, vel si hoc grave non ferat, *ubicumque sit positus*, primatem diœceseos petat; *quod si juxta Constantinopolitanam urbem quisquam eorum constitutus*, et solius præsulis ejus judicio velit esse contentus, petat eamdem regiam urbem. Cum enim dixisset : petat primatem diœceseos, *præceptum posuit* eadem sancta synodus regulamque constituit; cum vero disjunctiva conjunctione addidisset : aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ, liquet profecto quia hoc secundum *permissionem indulsit*, etc.

(Nicolai *Epist. III ad Michaelem*, Migne, t. CXIX, ep. 86, p. 944; Coleti, t. IX, p. 1330-1331.)

2. Hæc antequam imperatori Byzantino scriberet, Anastasius eumdem canonem Chalcedonensem usurpaverat in hunc modum : « Si adversus provinciæ metropolitanum episcopus vel clericus habeat querelam, juxta Chalce-

quod supra monstratum est, quam densis ignorantiæ tenebris Romana civitas a sexto seculo circumfusa fuerit, in quibus necesse erat ut memoria antiquitatis, Græcæ præsertim, quam maxime obscuraretur, Nicolaum id ex bona fide probasse, non admodum incredibile videtur. At Anastasius, qui talia de suo sensu deprompsit, vix ac ne vix quidem ab omni fraudis suspicione liberatur, tam quia præter ceteros Romanos et historiæ et linguæ græcæ peritus erat, quam quod in ejus scriptis plura, ut vidimus, reperiuntur quæ ex eadem industria et fraude profecta sunt.

Quantum vero Anastasius, hac agendi ratione, auctoritatem Romanam in discrimen adduxerit, non opus est pluribus edocere. Sic telum acerrimum illis Græcis et Photio dedit, quibus eo gratius erat Romanos in manifesta fraude deprehendere, quo ipsi vehementius a Romanis astutiæ condemnabantur et doli. Quanto etiam majoris periculi res erat ita cum Photio agere, acutissimi ingenii viro atque in omni genere eruditionis paratissimo, cum is præsertim summos pontifices, ad augendam auctoritatem suam, conciliorum decreta adulterare solere, ex aliis sedis apostolicæ litteris colligeret [1]. Quapropter jure ac merito, ut opinor, dici

donenses regulas jubetur ut petat primatem diœceseos aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ, et apud ipsum judicetur. Quod tamen nulli dubium est multo magis apud Romuleam urbem, quam apud Constantinopolitanam, esse penitus observandum. » Nicolai *Epist. ad Carolum Calvum* (Migne, t. CXIX, ep. 73, p. 893). Hoc quidem loco verba « primas diœceseos » aliam in partem non esse traducta, sed vera significatione proposita existimavit J. Hefele (*Hist. des conc.*, t. V, p. 505); ex quo inferendum esset non solum Anastasio, sed etiam Nicolao I, modo falsa, modo vera, pro rerum opportunitate, placuisse. Mihi vero multo veri similius est Anastasium, ut in epistola ad Michaelem, sic in illa Chalcedonensem canonem prave usurpasse. Nisi enim in priore periodo optio daretur aut papæ aut patriarchæ Byzantini, argumentum *a fortiori* quod sequitur non tam bene procederet.

1. V. Ἐρωτήματα δέκα σὺν ἴσαις ταῖς ἀποκρίσεσι, in quo opusculo Photius, inter alia, Felicem papam III vehementer increpat quod, in epistola quadam ad Misenum et Vitalem scripta, concilium Nicænum contenderit Romanis pontificibus jus fecisse omnes synodos confirmandi : ἀναιδῶς γὰρ ἐκεῖ τὸν

agens, eadem omnino verba, eamdemque enuntiationem disjunctivam usurpaverat [1].

Vix igitur concipi potest quo pacto Nicolaus hanc Anastasii interpretationem probatam ratamque habuerit. Quapropter nonnullis fortasse videbitur ipsum pontificem ejus erroris fuisse conscium [2]. Mihi vero illud recordanti,

1. CONCILII CHALCEDONENSIS CANON NONUS.

Si quis clericus adversus clericum habet negotium, non deserat episcopum proprium : sed prius actio ventiletur apud episcopum proprium, vel certe consilio ejusdem episcopi, apud quos utræque partes voluerint, judicium continebunt. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis correptionibus subjacebit. Quod si clericus habet causam adversus episcopum proprium, vel adversus alterum, apud synodum provinciæ judicetur. *Quod si adversus ejusdem provinciæ metropolitanum episcopus vel clericus habet querelam, petat primatem diœceseos, aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ, et apud ipsum judicetur.*

(Ex Codice canonum a Dionysio Exiguo compacto, ap. Migne, *P. L.*, t. LXVII, p. 173.)

ANASTASII INTERPRETATIO.

Sed ne sine auctoritate canonica quidquam prosequi videamur, nunc Chalcedonensis concilii sanctiones ad memoriam reducamus, quæ ita decernunt : Si clericus habet causam adversus episcopum proprium, vel adversus alterum, apud synodum provinciæ judicetur; quod si adversus ejusdem provinciæ metropolitanum episcopus vel clericus habet querelam, petat primatem diœceseos, aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ. In quo hic tenor observandus est, ut si videlicet clericus aut episcopus adversus metropolitanum habet querelam, et tanta urgetur necessitate, vel si hoc grave non ferat, *ubicumque sit positus*, primatem diœceseos petat; *quod si juxta Constantinopolitanam urbem quisquam eorum constitutus*, et solius præsulis ejus judicio velit esse contentus, petat eamdem regiam urbem. Cum enim dixisset : petat primatem diœceseos, *præceptum posuit* eadem sancta synodus regulamque constituit; cum vero disjunctiva conjunctione addidisset : aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ, liquet profecto quia hoc secundum *permissionem indulsit*, etc.

(Nicolai *Epist. III ad Michaelem*, Migne, t. CXIX, ep. 86, p. 944; Coleti, t. IX, p. 1330-1331.)

2. Hæc antequam imperatori Byzantino scriberet, Anastasius eumdem canonem Chalcedonensem usurpaverat in hunc modum : « Si adversus provinciæ metropolitanum episcopus vel clericus habeat querelam, juxta Chalce-

quod supra monstratum est, quam densis ignorantiæ tenebris Romana civitas a sexto seculo circumfusa fuerit, in quibus necesse erat ut memoria antiquitatis, Græcæ præsertim, quam maxime obscuraretur, Nicolaum id ex bona fide probasse, non admodum incredibile videtur. At Anastasius, qui talia de suo sensu deprompsit, vix ac ne vix quidem ab omni fraudis suspicione liberatur, tam quia præter ceteros Romanos et historiæ et linguæ græcæ peritus erat, quam quod in ejus scriptis plura, ut vidimus, reperiuntur quæ ex eadem industria et fraude profecta sunt.

Quantum vero Anastasius, hac agendi ratione, auctoritatem Romanam in discrimen adduxerit, non opus est pluribus edocere. Sic telum acerrimum illis Græcis et Photio dedit, quibus eo gratius erat Romanos in manifesta fraude deprehendere, quo ipsi vehementius a Romanis astutiæ condemnabantur et doli. Quanto etiam majoris periculi res erat ita cum Photio agere, acutissimi ingenii viro atque in omni genere eruditionis paratissimo, cum is præsertim summos pontifices, ad augendam auctoritatem suam, conciliorum decreta adulterare solere, ex aliis sedis apostolicæ litteris colligeret [1]. Quapropter jure ac merito, ut opinor, dici

donenses regulas jubetur ut petat primatem diœceseos aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ, et apud ipsum judicetur. Quod tamen nulli dubium est multo magis apud Romuleam urbem, quam apud Constantinopolitanam, esse penitus observandum. » Nicolai *Epist. ad Carolum Calvum* (Migne, t. CXIX, ep. 73, p. 893). Hoc quidem loco verba « primas diœceseos » aliam in partem non esse traducta, sed vera significatione proposita existimavit J. Hefele (*Hist. des conc.*, t. V, p. 505); ex quo inferendum esset non solum Anastasio, sed etiam Nicolao I, modò falsa, modo vera, pro rerum opportunitate, placuisse. Mihi vero multo veri similius est Anastasium, ut in epistola ad Michaelem, sic in illa Chalcedonensem canonem prave usurpasse. Nisi enim in priore periodo optio daretur aut papæ aut patriarchæ Byzantini, argumentum *a fortiori* quod sequitur non tam bene procederet.

1. V. Ἐρωτήματα δέκα σὺν ἴσαις ταῖς ἀποκρίσεσι, in quo opusculo Photius, inter alia, Felicem papam III vehementer increpat quod, in epistola quadam ad Misenum et Vitalem scripta, concilium Nicænum contenderit Romanis pontificibus jus fecisse omnes synodos confirmandi : ἀναιδῶς γὰρ ἐκεῖ τὸν

potest, per Anastasium non stetisse quin illa odia et suspiciones, quæ jampridem inter Græcos et Latinos insinuaverant, multo tum gravius exarserint.

XII. Nec vero bona fides et simplex veritas in illis litteris nitent, quas, in eadem causa Photiana, cum jam Nicolaus propius abesset a morte, Anastasius, ejus nomine, ad universos Galliæ Germaniæque episcopos scripsit [1].

Harum autem litterarum finis erat Occidentales ecclesias edocere quibus contumeliis et Romanus pontifex et universa Latinorum religio a Byzantinis afficerentur, ut per illam narrationem Gallorum Germanorumque doctissimi viri ad defendendas cultus sui injurias incitarentur, fieretque Occidentalium ecclesiarum adversus Græcos quasi communis oppugnatio [2].

Quid dicam satis fuisse, ad id assequendum, stare in re vera, cum Byzantini Romanis multa objecissent aut minus recte, aut cum maxima contumelia? Verum Ana-

κανόνα τὸν λέγοντα τὸν Ῥώμης ἐπίσκοπον ἐν ἑκάστῃ συνόδῳ τὸ κῦρος ἔχειν, τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου εἶναι ἀποφαίνεται. (Migne, *P. G.*, t. CIV, p. 1220.) Verumne sit id quod Photius narrat, scitu difficile est. Illam quidem Felicis epistolam memoravit Evagrius (*Historia ecclesiastica*, l. III, c. xx; Migne, *P. G.*, t. LXXXVI b, p. 2637), sed quid in ea inesset prorsus tacuit. Cf. Jaffé, *Regesta*, n. 597.

1. V. Nicolai *Epist. ad Hincmarum et ceteros episc. in regno Caroli constit.* (Coleti, t. IX, p. 1487; Migne, t. CXIX, ep. 152, p. 1152). De his litteris consule Hincmari *Annales*, in a. 867 (Pertz, *SS.*, t. I, p. 475-6). Datæ sunt d. 10 kal. nov., ind. I; Nicolaus autem idus decembris ejusdem anni fato functus est (Hincmari *Ann.*, ibid., p. 476; Jaffé, p. 368). Similem epistolam acceperunt episcopi Germaniæ. V. *Fuldenses Annales*, a. 868 (Pertz, ibid., p. 380).

2. « Ita ut cum unum pariter idemque nos hostes sentire cognoverint (Græci) nec injurias a se nobis illatas ulcisci solummodo nos affectare mendaciter astruant, nimirum cum adversus se monomachiam aggredi quodammodo nos intuentur... ita ut, Christo duce, una mente, et ore, ac brachio, quasi strenui propugnatores, phalanges hostium premere ac debellare communi studio reperiamur, eorumque perniciosam factionem, ipso auxiliante, socia concertatione funditus interrupisse comperiamus. » Nicolai *Epist. ad Hincmarum* (Migne, t. CXIX, p. 1160).

stasius, ut episcopis Occidentalibus majorem indignationem commoveret, Græcorum sensus non fideliter, ut par erat, exposuit, sed falsa quædam, pro more suo, miscuit cum veris.

Quanquam enim Orientales quædam synodi Constantinopolitanos patriarchas eximio privilegio jamdudum auxerant, ob eam causam quod Byzantium æque ac antiqua Roma regia civitas esset et Roma nova [1], nunquam tamen, ne Photii quidem temporibus, Græci contenderant Romanos pontifices a principatu concidisse; sed disertissime profitebantur Byzantinis præsulibus non primas in ecclesia universa obtigisse, sed tantum ab episcopo Romano secundas [2]. Sic ipse Photius in *Syntagmate canonum* : « Constantinopolitanus episcopus habeat priores honoris partes post Romanum episcopum, eo quod sit ipsa nova Roma [3]. »

At hæc Anastasii commodis non satis proderant, qui, veritus ne quidam episcopi Galliæ, si vera audirent, sedis

1. Concilium œcumenicum II, a. 381 habitum, decreverat episcopum Byzantinum honore maximo, secundum Romanum pontificem, colendum esse : Τὸν μέν τοι Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην. (Can. III, ap. Pitra, *Juris eccles. Græc. monumenta*, t. I, p. 509.) Idem confirmavit concilium Chalcedonense œcumenicum a. 541 habitum, in canone XXVIII (Pitra, ibid., p. 532-3). Quid de istis canonibus senserint Romani pontifices et cur eos diu rejecerint, vide apud Hefele (*Histoire des conciles*, t. II, p. 218-220; t. III, p. 125 sqq.).

2. Ut ipsæ leges civiles imperii Byzantini principatum Romæ veteris dilucide comprobarent. Hæc enim Justinianus in novella CXXXI : « Sanctissimum namque veteris Romæ papam, ex sanctarum synodorum placitis, omnium pontificum primum esse, beatissimum vero Constantinopolitanæ urbis, novæ Romæ episcopum, secundam obtinere sedem ab apostolico veteris Romæ throno, decernimus. » (Pitra, ibid., p. 513.)

3. Photii *Syntagma canonum*, tit. I, cap. V (Migne, *P. G.*, t. CIV, p. 470). Cur Græci deinde in aliam abierint sententiam, non nostrum onus est quærere; sed tamen non abs re alienum videtur animadvertere, seculo etiam undecimo, Joh. Zonaram in eo quod concilia œcumenica censuerant satis fideliter perstitisse. V. Zonaræ *Commentaria*, in operibus Th. Balsamonis (Migne, *P. G.*, t. CXXXVII, p. 324-6).

apostolicæ jura non adeo violari arbitrarentur[1], Græcos in hac esse sententia commentus est ut superbe prædicarent totius Ecclesiæ principatum ademptum esse Romanis atque in Byzantinos illatum : « Sed quid mirum, inquit, si hoc isti (Græci) prætendunt, cum etiam glorientur atque perhibeant, quando de Romana urbe imperatores Constantinopolim sunt translati, tunc et *primatum Romanæ sedis ad Constantinopolitanam ecclesiam transmigrasse*, et cum dignitatibus regiis etiam ecclesiæ Romanæ privilegia translata fuisse[2] ? »

Quod ut episcopis Galliæ manifestum faceret, hoc argumentum attulit, Photium in suis scriptis archiepiscopi atque universalis patriarchæ nomen usurpare [3]. Verum hac etiam in re Anastasium malitiose egisse vehementer suspicor. Namque is, etiamsi pro comperto habuisset Photium se in suis litteris œcumenicum patriarcham appellare solere, quod affirmare non ausim[4], plane tamen noverat hanc

1. Eo magis quod codices canonum apud Occidentales tum temporis vulgati canonem tertium concilii Constant. œcumenici II referebant (v. *Collect. Hispan.*, ap. Hinschius, *Decret. Pseudo-Isid.*, p. 276 ; *Collect. Dionys.*, ap. Migne, *P. L.*, t. LXVII, p. 172). Cautius etiam agendum erat cum Hincmaro, quem Anastasius expertus erat de privilegiis paparum paulo liberius existimantem.

2. Nicolai *Epist. ad Hincmarum et episc. Galliæ* (Migne, t. CXIX, p. 1157; Coleti, t. IX, p. 1490).

3. « Ita ut ejusdem invasor Ecclesiæ Photius etiam ipse se in scriptis suis archiepiscopum atque universalem patriarcham appellet. » Nicolai *Epist. ad Hincm.* (Migne, p. 1157; Coleti, p. 1490-1).

4. Unde id Anastasius certo cognoscere potuerit, non video; immo video Anastasianum quoddam mendaciolum. Nam Photius, in illis duabus epistolis quas Nicolao papæ miserat, quasque Anastasius sub oculis habuerat, ab ea temperaverat appellatione. V. Migne, *P. G.*, t. CII, p. 586, 594. Neque id tantum prudenti consilio egit, cum ad papam scriberet, sed recentem suam consecrationem ecclesiæ Antiochenæ nuntians, sic suis litteris subscripserat : Φώτιος ἐπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης (Migne, ibid., p. 1117); idque eo magis notatu dignum est quod patriarchæ Orientales, cum ad episcopum Byzantinum scriberent, œcumenicum patriarcham illum nominare solebant. V. infra, p. 187, n. 1. Atque ex omnibus Photii epistolis quæ typis mandatæ sunt, duas novi, in quibus Photius se œcumenicum patriarcham appellavit, i. e., epistolam Aquileiensi archiepiscopo longo post tempore, a. circ. 883, scriptam

esse jam veterem consuetudinem eamdemque in pluribus synodis Orientalibus confirmatam [1]. Licebat igitur Anastasio, quemadmodum olim jam fecerat Hadrianus papa I, hanc appellationem superbam, atque propter ambiguitatem periculosam, castigare [2]; ex hoc vero eruere eam esse Photii audaciam qua se diceret Ecclesiæ universæ principem, non sine mala fide poterat, cum in aperto esset, ante Photium, patriarchas complures Byzantinos illud nomen usurpasse, qui tamen Romani pontificis principatum agnoverant [3].

Quod si deinde animadverterimus hanc Anastasii infidelem narrationem apud Occidentales viros ita invaluisse,

(v. ap. Migne, ibid., p. 794), atque litteras Asutio principi Armeniorum incertis temporibus missas (Migne, ibid., p. 714).

1. Illud nomen episcopis Byzantinis primum datum est in synodo Constantinopolitana a. 536 habita (v. Hefele, *Histoire des conciles*, t. III, p. 373). In concilio autem œcumenico VII, cui legati Hadriani papæ I præerant, Tarasius, patriarcha Constantinopolitanus, hoc eodem titulo sæpe auctus est. V. *Acta conc. Const. œcum. VII*, act. II, ap. Migne, t. CXXIX, p. 237; Coleti, t. VIII, 768, 1348). Atque recitatæ sunt in ea synodo litteræ Orientalium patriarcharum, in quibus Tarasius œcumenicus patriarcha vocabatur (v. Act. III, Migne, p. 258: Coleti, p. 817, 1366). Quæ omnia Anastasio nota erant, ut qui, Michaeli imperatori scribens, nonnulla ex synodo œcumenica VII excerpsisset. V. Nicolai *Epist. ad Michael.* (Migne, t. CXIX, p. 930; Coleti, t. IX, p. 1319). Ceterum, cum Anastasius post aliquot annos Acta ejusdem concilii in sermonem latinum vertit, paulo temperatius ita locutus est : « In eo sane, quo frequenter universalem œcumenicum in hac synodo Græci patriarcham suum *inconvenienter* appellant, apostolatus vester (Johannem enim papam VIII compellat) adulationi veniam det, sæpe prælatis suis non sine reprehensione placere studentium. » Anastasii *Præfatio in Synodum VII* (Migne, t. CXXIX, p. 197).

2. « Et valde mirati sumus, quod in vestris imperialibus jussis pro patriarcha regiæ urbis, scilicet Tarasio, directis, universalem ibidem eum reperimus exaratum : sed utrum per imperitiam, aut schisma, vel hæresim iniquorum scriptum est, ignoramus », etc. Hadriani I *Epist. ad Constantinum et Irenem imperatores* (Coleti, t. VIII, p. 764).

3. Id ipse Anastasius fateri deinde debuit. Sic enim ille in *Præfatione ad conc. œcum. VII :* « Verum cum apud Constantinopolim positus frequenter Græcos super hoc vocabulo reprehenderem, et fastus vel arrogantiæ redarguerem, asserebant quod non ideo œcumenicum, quem multi universalem interpretati sunt, dicerent patriarcham, quod universi orbis teneat præsulatum; sed quod cuidam parti præsit orbis, quæ a christianis inhabitatur. » (Migne, t. CXXIX, p. 197.)

ut, his ductæ litteris apostolicis, ecclesiæ præsertim Galliarum in fictam illam Græcorum opinionem et exarserint et scripserint[1], fortasse judicabimus tam astuti viri operam non adeo rei publicæ christianæ profuisse. Quanquam enim utile erat ambitionem Byzantinam coerceri, Græcorum tamen errores augere mentiendo, hanc vim tantum habebat ut inter utramque ecclesiam majus efficeretur odium, spesque componendæ pacis debilitaretur.

XIII. Sed ad res virosque Occidentis redeamus. Quemadmodum Photius, temporibus illis, primas inter Græcos tenuit summo ingenio præclaraque eruditione, sic, in ecclesia Occidentali, laudibus ingenii et doctrinæ floruit Hincmarus, nec quisquam ex Galliarum episcopis tantam auctoritatem habuit. Ut patriarchæ Byzantino, sic archiepiscopo Remensi res sæpe fuit cum summis pontificibus, ac præcipue cum Nicolao; quanquam Hincmarus imperium Romani pontificis nunquam recusavit, sed jussa sedis apostolicæ, si non omnia libenter, at certe obedienter facessere tandem solebat. Nec enim utrique deerat natura solers ac subtilis, sed ea in Hincmaro non ita fuit, ut easdem fraudes strueret quas Photius, quas Anastasius[2]. Hincmari, quantum intelligo, major et religio et integritas et animi excelsitas[3], non quod eum omni culpa caruisse putem : erat aliquando judex durior ac parum placabilis, ut non inutile fuerit summos pontifices interdum sese interponere virique

1. V. Ratramni Corbiensis *Contra Græcorum opposita*, l. IV, c. VIII (Migne, *P. L.*, t. CXXI, p. 334 sqq.); Æneæ Parisiensis episcopi *Librum adversus Græcos*, c. CLXXXVII sqq. (Migne, ibid., p. 748 sqq.); Hincmari *Epist. ad Odonem episcopum Bellovacensem* (Migne, t. CXXVI, p. 94).

2. Hincmarum fraudis et mendacii recentiores quidam accusarunt; quod quam sit leviter allatum probavit H. Schrörs (*Hinkmar*, p. 507-512).

3. Varia de Hincmaro fuerunt judicia historicorum, quorum plures non tam æquabilitate historica quam studio theologico egerunt. Qua de re consulendus est H. Schrörs, qui ipse cum benignius, tum etiam, ut opinor, verius judicavit. V. op. cit., p. 473-5.

potentissimi dominatum refrenare. At in hoc severe castigandus est Anastasius, quod, pugnans cum Hincmaro, ad indignam fallaciam descenderit, famam sedis apostolicæ apud valentissimum illum episcopum adduxerit in discrimen, fueritque causa cur Gallis Romanorum fides suspecta videri jure potuisset.

Quid iste egerit in causa Rothadiana, paulo ante vidimus; sed in causa Wulfadi mendacium impudentiore mendacio cumulavit.

Etenim, anno 853, episcopi provinciarum quinque Gallicarum, Suessionibus in concilium congregati, Wulfadum, canonicum presbyterum, et quosdam alios canonicos aut monachos ab omni ordine et dignitate ecclesiastica dejecerant[1]. Reis hoc erat crimen, quod ab Ebbone, Remensi antea præsule, sed tum a sacris muneribus amoto, inanem atque illicitam ordinationem accepissent[2]. Hincmarus autem, quamvis in Suessionico concilio adesset, sententiam tamen ipse ferre noluerat, timens ne accusaretur quod in propria causa judicasset; quanquam deinde omni incubuerat studio ut ejusdem concilii Acta et decreta summo pontifici probarentur. In quo fortasse, ut ipse quidem significavit, non insigne odium in Wulfadum ejusque socios exercebat[3]; sed quoniam, confirmato de illis judicio, confirmaretur etiam Ebbonis ejectio, nihil hoc esse poterat Hincmaro utilius, qui, vivo Ebbone, Remensis archiepiscopus in ejus locum suffectus erat[4].

1. V. Coleti, t. IX, p. 1087 sqq.; Flodoardi *Historiam Remensis ecclesiæ*, l. III (Pertz, *SS.*, XIII, 484 sqq.); Hefele, *Hist. des conciles*, t. V, p. 388 sqq.

2. Ebbo dejectus est ab episcopatu a. 835. V. *Epistolam synodicam concilii Tricassini ad Nicolaum I* (Coleti, t. X, p. 375). Cf. Hefele, op. cit., p. 284-5.

3. V. Hincmari *Epistolam ad Nicolaum* (Migne, t. CXXVI, p. 63), et *Epistolam ad Egilonem* (Migne, ibid., p. 65). Quod Carolus Calvus confirmavit, scribens ad eumdem papam. V. Coleti, t. X, p. 323.

4. Id est, anno 845. V. *Epist. synod. conc. Tricassini* (Coleti, t. X, p. 377).

Non nostrum est enarrare quibus de causis Hincmarus, id quod tantopere cupiebat, a Leone papa IV obtinere non potuerit; at Benedictus III, ut primum Acta synodi Suessionicæ et decreta recepit, hæc rata confirmataque pronuntiavit, ea tamen condicione si res se ita habuissent ut erat in his scriptis relatum [1]. Quæ sane pontificalis approbatio, in qua, propter illam condicionem, suspicandi liber erat locus, archiepiscopo Remensi cumulate satis facere non poterat.

Itaque, cum Nicolaus in sedem apostolicam successisset, Hincmarus, mense Aprili anni 863, per Odonem Bellovacensem episcopum [2], ab eo papa precatus erat ut sententiam

1. Hincmarus, qua ratione et quo tempore hanc approbationem Benedicti sibi fecerit, sic ipse narrat, scribens ad Nicolaum : « Missos cum litteris Romam direxi, quibus in via nuntius venit de obitu papæ Leonis. Pervenientes autem Romam cum præfatis litteris, et intervenientibus prædictis episcopis (Petro Aretino et Petro Spoletino), domnus nomine et gratia Benedictus mihi quod nostis privilegium inde direxit. » Hincmari *Epist. ad Nicolaum I* (Migne, t. CXXVI, p. 85). Quod si Nicolai litteras sequi velimus, Hincmarus ignorantia Benedicti III, tum recentis papæ, abusus esset. Hæc enim Anastasius, a. 866, ex Nicolai persona scribebat ad episcopos Galliæ : « Cumque sanctæ memoriæ Benedictus, vir apostolicus, ei (Leoni IV) successisset in ordine pontificatus, rursus reverendus Hincmarus arma præparat, et eidem summo præsuli, tanquam suarum inexperto versutiarum, latenter subripit, et in ipso consecrationis ejus principio, suadet ut concilium quidem ad votum unius hominis congregatum firmaret : non tamen ei ullo modo subripi aut suaderi potuit ut a justæ diffinitionis et discretissimæ moderationis tramite vel aliquantulum declinaret. Verumtamen, sicut videre est, et ipsi jam forsitan agnovistis, ita per quoddam ei privilegium concessum illius concilii roboravit institutum, ut auctoritatis summam sedi apostolicæ reservaret, et, ut vobis jam scripsimus, ita tribuit honorem alteri, ut sibi quod tribuebat non demeret. » Nicolai *Epist. ad episc. conc. Suessionici* (Migne, t. CXIX, p. 1096). Quod idem fere reperies in ejusdem ad Hincmarum epistola (Migne, ibid., p. 1104). Datum est igitur hoc Benedicti privilegium ineunte mense Octobri a. 855 (v. Jaffé, n. 2664); typis autem mandatum est a Jacobo Sirmond (v. *Concilia Galliæ*, t. III, p. 107), ex codice manuscripto sæculi noni, qui exstat adhuc in bibliotheca Laudunensi (v. *Catalogue général des manuscrits des bibliothèques publiques des départements*, t. I, p. 209, n. 407).

2. Qui maxime Romam venerat ut ad Nicolaum I deferret Acta recentioris synodi Suessionicæ, in qua erat damnatus Rothadus. V. Nicolai *Epist. ad episc. syn. Suession.* (Migne, t. CXIX, p. 830).

in Wulfadum ejusque socios latam plenius confirmaret. Neque tum omiserat, quo rem Nicolaus exploratius judicare posset, ad eum rursus mittere et Acta synodi Suessionicæ et Privilegium Benedicti III, id est, exemplar illius epistolæ qua Benedictus eam synodum probaverat[1]. Quibus scriptis duobus epistolam suam addiderat, per quam Nicolaum monebat inesse quidem in privilegio Benedicti III suspiciosam quamdam condicionem, sed id esse factum machinatione certi cujusdam Remensis clerici[2].

Utrum vero Nicolaus hæc tria sibi recitanda diligenter curaverit, an tantum Anastasius, cujus erat talia legere ac referre, res summo pontifici summatim suoque arbitratu renuntiaverit, quisque deinde poterit exploratius judicare. Utcumque sit, Nicolaus morem gessit Hincmaro, et eam, quæ petebatur, pleniorem concessit approbationem. Ejus auctoritate et nomine factum est novum quoddam privilegium, in quo condicio illa « si ita est » prorsus evanuerat, idque solum pronuntiabatur Suessionicam synodum esse « irrefragabilem perpetuoque mansuram, salvo tamen Romanæ sedis in omnibus jussu atque judicio[3] ».

1. « Exemplar denique privilegii sanctæ memoriæ Benedicti, sine ulla mutilatione vel adjectione seu mutatione, per venerabilem patrem et coepiscopum nostrum Odonem sanctissimæ paternitati vestræ transmisi. » Hincmari *Epistola ad Nicolaum* (Migne, t. CXXVI, p. 87). Tum etiam ab Hincmaro missa fuisse ad sedem apostolicam Acta concilii Suessionici anno 853 habiti, id invenimus in ipsis Nicolai litteris, quas ego paulo post afferam (v. p. 193, n. 1).

2. Quam epistolam vide infra, p. 202-3, n. 1.

3. Datum est hoc Nicolai privilegium die 28 mensis Aprilis anni 863 (v. Jaffé, n. 2720); quod qua ratione dissimile sit privilegii Benedicti, ex sequente collatione perspicias.

PRIVILEGIUM BENEDICTI III AD HINCMARUM	PRIVILEGIUM NICOLAI I AD HINCMARUM
« ... definitiones fraternitatis tuæ, et ceterorum episcoporum, quas in præfata synodo apostolicis canonicisque auctoritatibus propriis digitis roborasti, *si ita est, nostro ut scriptis*	« ... Synodum illam, quæ a te et ceteris venerabilibus archiepiscopis atque episcopis in urbe Suessionum, anno incarnationis dominicæ DCCCLIII, indictione prima, v. ka-

Verum ab illo decreto jam tertius agebatur annus, cum Nicolaus papa sententiam commutat, de Wulfado non æquo jure judicatum esse declarat, causam rursus inquiri ejectosque clericos in honores restitui jubet. Quinimmo, quæ Acta concilii Suessionici sine dubitatione olim probaverat, hæc eadem nunc existimat multis rebus referta aut inepte aut inique gestis, in hoc etiam ipsius Benedicti III sententiæ derogans, qui quidem res, ut erant in Actis enarratæ, et bonas et ratas se habere dixerat.

Hujus autem conversionis, si Nicolai epistolas audire velimus, ea causa fuisset, quod, ineunte anno 866, Romam ex Galliis venissent multi viri, a quibus sedes apostolica didicisset Wulfadum ejusque socios olim ab Hincmaro fuisse dejectos. Quo audito, Nicolao succurrisset archivum Romanum investigare, si forte de ista causa scripta aliqua in eo invenirentur. Et quidem, dum hæc quærerentur, summus pontifex, « Deo revelante », in ea ipsa Acta synodi Suessionicæ incidisset quæ Hincmarus, tribus ante annis, ad sedem apostolicam miserat, quibus attente revolutis, totius rei illuxisset veritas[1].

præsulatui intimasti et gestorum serie demonstrasti, ratas eas quidem definitiones apostolica fore promulgamus auctoritate, semperque manere statuimus, ut inde quæstio nullis aliquando temporibus oriatur, et adspirantes indebite anhelitus compressi funditus perpetuo maneant : ne amplius ullorum contradicentium adversitatibus Dei conturbetur Ecclesia; sed omnibus eruta pravæ pertractationis erroribus unita semper in Christo permaneat. »
(Sirmond, *Concilia Galliæ,* t. III, p. 108; Migne, t. CXV, p. 691.)

lendas Mai fuerat celebrata, et a decessore nostro beatæ memoriæ Benedicto papa est confirmata, sicut idem sanctæ recordationis pontifex illam confirmavit, ita et nos eam confirmatam, *et irrefragabilem,* perpetuoque mansuram apostolica auctoritate decernimus, *salvo tamen Romanæ sedis in omnibus jussu atque judicio.* »
(Sirmond, *Concilia Galliæ,* t. III, p. 216; Migne, t. CXIX, p. 821.)

1. Quo pacto Nicolaus adductus fuerit ut sententiam suam de damnatione Wulfadi commutaret, Anastasius, ejus nomine, bis narravit, primum, mense Aprili anni 866, deinde, eodem anno, mense decembri, at paulo aliter alio tempore.

Hoc quidem Anastasius, Nicolai auctoritate scribens. Nobis vero, etsi non negamus Gallos aliquot oratores tum Romam venisse, nec ponimus quidem in disceptationem utrum Nicolaus divinitus in hac re egerit, tamen necesse est addamus, et Romanum quemdam potentissimum hujus negotii auctorem fuisse Gallorumque oratorum ducem, et præter instinctum divinum adfuisse etiam summo pontifici impulsum alium valde humanum, qui ad investigandam

Nam cum, mense Aprili, scriptor pontificius dixisset Nicolaum papam, quanquam Acta concilii Suessionici diligenter retractasset ac revolvisset, non tamen compertum habuisse qua parte staret jus, ideoque noluisse reprehendere quemquam, neque Wulfadum, neque Hincmarum, idem ille, mense Decembri, affirmavit cuivis hæc Acta legenti eorum fallaciam incurrere in oculos, atque in ipso Actionum principio apparere; cujus discrepantiæ causa mox manifesta fiet, cum viderimus quid interea acciderit. Sed jam utramque epistolam conferamus :

NICOLAI EPISTOLA AD HERARDUM, ARCHIEP. TURONENSEM, SCRIPTA DIE 3 MENSIS APRILIS A. 866.

« Multorum a partibus Galliarum ad limina vel sedem confluentium apostolicam relatione didicimus, fratrem nostrum Hincmarum Rhemensem archiepiscopum quosdam clericos, qui de consecratione fuerant Ebbonis prædecessoris sui, propriis gradibus pepulisse. Quorum dejectionem audientes, quia, etiamsi nullo speciali privilegio ad hanc curandam principaliter incitaremur, oppressis tamen subvenire, et ad exemplum Dominicum elisos erigere et compeditos solvere nos oportet, operæ pretium duximus in archivis sanctæ Romanæ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ studiosius quærere, et si scripto forte memoria quælibet apud nos, sive de illis, sive de ordinatore ipsorum, esset recondita, diligenter investigare, quod et fecimus. Siquidem ex his quibusdam, *Deo revelante*, repertis, nihilominus etiam concilii, quod

NICOLAI EPISTOLA AD EPISCOPOS CONCILII SUESSIONICI SCRIPTA DIE 6 MENSIS DECEMBRIS A. 866.

« ... Nos etenim clamorem eorumdem dejectorum spernere clericorum ratio nulla sivit, et ad vociferationes eorum, ad sedem apostolicam etiam sub decessoribus meis frequenter emissas, aures obturare paterna charitas non permisit. Portamus quippe onera omnium qui gravantur, quinimmo hæc portat in nobis beatus apostolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suæ protegit ac tuetur hæredes. Verum cum nonnulla scripta sedi apostolicæ diversis temporibus delata, vel etiam ab ea data, ob hujus reperiendam rei certitudinem diligenter investigaremus, accidit ut etiam, *Deo revelante*, Acta concilii, quod auctore fratre et coepiscopo nostro Hincmaro præfatos viros segregasse dignoscitur, ab eodem venerabili antistite nobis dudum transmissa cum Actionibus pro Rothado venerabili episcopo, venirent ad manus.

bibliothecam scriptaque reperienda magno fuerat adjumento.

Etenim cum plura sint hujus singularis historiæ quæ recentioribus historicis impedimentum inferant [1], tum primum id inexplicabile videtur, cur Wulfadus, anno tantum 866, post silentium duodecim pæne annorum, ad sedem apostolicam rursus appellaverit, quam spem et a quo conceperit conciliandi pontificis Romani, quem de suis injuriis expostulare, a Leonis IV temporibus, aut noluerat aut reformidaverat [2]. Rem sane perobscuram nodumque difficilem, sed quem tamen expedire fortasse poterimus.

nobis ipse misit frater et coepiscopus noster Hincmarus, videlicet in quo præsignati clerici degradati sunt, Acta relegimus. Sed his omnibus, id est tam illis monumentis quæ penes nos habentur, quam iis quæ idem antistes nobis destinavit, rite collectis enucleanterque recensitis, *nondum liquido patet eosdem clericos regulariter gradu proprio caruisse. Verum nos nec hos interim justificamus, nec pro hoc quemlibet condemnamus : nec facile vocem istorum spernimus, nec reverentiam jam dicti fratris improvide reprehendimus.* »
(Migne, t. CXIX, p. 967; Jaffé, n. 2803. Quod idem fere reperies in *Epistola Nicolai ad Hincmarum*, eodem die scripta. V. Migne, ibid., p. 964; Jaffé, n. 2802.)

In quibus quanta reprehensionum inveniatur congeries, si voluerimus exhibere per singula, facilius chartæ quam verba deficient. Ibinamque falsitas in ipso mox Actionum invenitur principio. An non falsitas... ? », etc. (Migne, t. CXIX, p. 1093-4; Jaffé, n. 2822. Neque id dissimile est, quod, eodem die, ad Hincmarum scriptum est. V. Migne, ibid., p. 1102; Jaffé, n. 2823.)

1. V. Schrörs, qui nuperrime, etsi multam operam in hac re impenderat, fateri tamen debuit de parte quadam hujus historiæ ferri non posse certum judicium : « Ein entscheidendes Urteil lässt sich in dieser Frage nicht abgeben. » (*Hinkmar*, p. 284, n. 62.)

2. Wulfadum ejusque socios ad sedem apostolicam, Leone papa IV, appellasse, constat ex litteris hujus pontificis recens in codice Londinensi repertis. V. *Neues Archiv*, t. V, p. 380, n. 11. Cf. Nicolai *Epist. ad Hincmarum* (Migne, t. CXIX, p. 965), *Epist. ad Herardum* (ibid., p. 968), *Epist. ad syn. Suession.* (ibid., p. 1095), *Epist. ad Hincmarum* (ibid., p. 1103).

Recordemur enim quid anno superiore actum sit. Venerat in Gallias Arsenius, Hortensis episcopus, apostolica fungens legatione, Carolum Calvum adierat, qui tum Wulfadum retinebat apud se, atque benevolentia prosequebatur ac liberalitate[1]. Quid illis congressibus atque colloquiis Arsenius et rex Francorum inter se de Wulfado pacti sint, nonne iste apocrisiarius, pro suo more et ingenio, regiis muneribus corruptus sit, parum comperimus, nisi quia ex eo tempore patrocinium Wulfadi ejusque sociorum ab Arsenio arreptum fuisse constat.

Is enim, nulla interposita mora, priusquam ex Galliis proficisceretur, quæstionem suo arbitratu constituit, tum reos, tum judices interrogat, atque Hincmarum cogit ut rationem scripto reddat. Quod ipse Hincmarus professus est, sic de Wulfado ejusque sociis ad Egilonem scribens, anno 867 : « de præfatis ordinatis, ab Arsenio scripto interrogatus, scriptis rationem reddidi[2]. »

Quid? Si tempora conferimus, hoc possumus animadvertere, eo ipso tempore, id est ineunte anno 866, cum Arsenius Hortensis Romam ex Francia reversus est, tum primum Nicolaum causam Wulfadianam suscepisse, eamque iterum inquiri jussisse[3].

1. Ut ei et Carolomannum filium suum erudiendum, et duas abbatias fruendas dedisset. V. *Histoire littéraire de la France,* t. V, p. 478. Quantum autem Carolus Calvus de restituendo Wulfado laboraverit, testes sunt, præter Hincmarum (v. Hincmari *Annales,* a. 866, p. 471, 472), ipse Carolus, qui pluries super ea causa Romano pontifici scripsit (v. Caroli regis *Epistolas ad Nicolaum,* ap. Coleti, t. X, p. 294, 322 et 379), et Nicolaus papa, cui etiam necesse fuit regem Francorum clementi castigatione reprehendere, quod Wulfadum in sedem Bituricensem provehi quam celerrime vellet. V. Nicolai *Epistolam ad Carolum Calvum* (Migne, t. CXIX, p. 977).

2. Hincmari *Epist. ad Egilonem* (Migne, t. CXXVI, p. 69).

3. Arsenius, circiter mensem septembrem anni 865, ex Francia occidentali profectus est (v. Hincmari *Annales,* a. 855; Pertz, I, 468[45]-469); sed cum deinde, ad colligendos census, in Baioaria et in Alemannia moratus sit (ibid., p. 469, et supra, p. 93, 95), Romam rediit exeunte hoc anno, aut ineunte an-

Habemus igitur illum virum qui Wulfado ejusque sociis animum fecit ut rursus, post tam diuturnum silentium, ad sedem apostolicam appellarent, qui auxilium pollicitus est, qui spem vincendæ causæ ostentavit. Habemus illum auctorem qui summo pontifici mentem hujus retractandi judicii dedit. Hic est Arsenii manus atque instinctus; nec mirum est si hujus consilii particeps fuerit Anastasius, si patrem filius adjuverit, si totum hoc negotium, talibus auctoribus, pravitate aliqua ac fraude infectum videatur.

Quod si hac in re nihil aliud egisset Anastasius nisi ut summo pontifici in justitia aut clementia exercenda auxiliaretur, non esset ullo modo vituperandus, potius laudandus esset quod ejus opera, viri jure fortasse dejecti, sed diuturnitatem pœnæ experti, ad meliorem fortunam rediissent. At, abutens eo ministerio quo solebat et litteras sedi apostolicæ missas attrectare et responsa dictare, iste veterator, ne ipse vituperationem justam subiret, injustum crimen in Hincmarum machinatus est.

Etenim, acceptis illis Nicolai litteris quibus ipse jubebatur aut Wulfadum ejusque socios statim in sacros ordines restituere, aut rursus in concilio de illorum causa inquirere, archiepiscopus Remensis multum elaboraverat ut hoc onus sibi ingratissimum abjiceret. Itaque, ejus consilio et efflagitatu, Galli episcopi, Suessionibus, mense Augusto anni 866, in synodum congregati, id censuerunt non se repugnare quominus honores ecclesiastici condemnatis clericis redderentur, sed hoc esse illius Romani pontificis officium et jus, qui sententiam latam in Wulfadum approbando suam ipsam fecisset [1].

no 866. Primæ autem litteræ, quibus Nicolaus causam Wulfadianam tractavit, datæ sunt die 3 mensis Aprilis a. 866 (v. Jaffé, n. 2802, 2803, 2804).

1. « Carolus mense Augusto Suessionis civitatem adit, et synodo a papa Nicolao convocatæ considet; ubi secundum prædicti apostolici commendationem quæstione dirempta de Vulfado et collegis ejus, ab Ebone, quondam Remorum

Quid hæc valeret excusatio, non is sum qui judicem; at nescio an excogitari quidquam potuerit quod esset Nicolao molestius, cui sane ex hac responsione instabat ut, aut rursus damnationem Wulfadi approbaret, aut se olim imprudenter approbasse fateretur. Idque eo intolerabilius videbatur, quod suspicio illa de veritate facti quam Benedictus III caute imposuerat in sua epistola, in epistola Nicolai plane evanuerat.

Verum si summo pontifici res erat tædiosissima, id non minus ægre ferebat Anastasius, cui quidem ipsi objurgari poterat quod aut scripta ad sedem apostolicam missa oscitanter legisset, aut tum consilii Hincmariani conscius verum ex industria celasset. Hoc autem Anastasius excusandum maxime habebat, cur non attendisset ad prudentem illam Benedicti condicionem, cujus negligentia nullus fere locus honestæ retractationi daretur. Ex quo intelligi potest quantum iste Hincmaro succensuerit, cum, circiter exeuntem mensem Septembrem anni 866, Egilo, Senonensis archiepiscopus, Romam advenit, hanc Gallorum sententiam ferens [1].

archiepiscopo, post depositionem suam ordinatis, quoniam regulæ sacræ non poterant aperte convelli pro sui reverentia et quorumdam respectu, et, rege ac quibusdam pro Vulfado nimium satagentibus, schisma et scandalum aliter vitari non potuit, inventum est ut, quia synodi episcoporum quinque provinciarum regularis definitio de præfatorum dejectione Benedicti papæ et Nicolai subscriptionibus fuerat confirmata, secundum indulgentiam Nicænæ synodi de his quos damnatus ordinavit Meletius, et juxta traditionem Africani concilii de Donatistis, in gradibus reciperentur, *si tamen Nicolao papæ placeret suam immutare, quam confirmavit, sententiam.* » Hincmari *Annales*, a. 866 (Pertz, I, 471-2). Quod conferas cum illa *Epistola synodica* quam episcopi ad sedem apostolicam miserunt (Coleti, t. X, p. 316-319). Hujus autem sententiæ suasorem fuisse Hincmarum probant et *Schedulæ quattuor* huic synodo ab archiepiscopo Remensi datæ (Coleti, ibid., p. 299-313), et Caroli Calvi ad Nicolaum epistola (ibid., p. 323).

1. Egilo Romam profectus est ferens epistolam Hincmari ad Nicolaum scriptam et « datam kalendis septembr. indict. XIV ». V. Migne, t. CXXVI, p. 64.

His igitur in angustiis versabatur homo; nunc videas ex eis qua arte evaserit, nonne Hincmarus Egilonem, Romam profecturum, recte docuerit certos quosdam esse apud Nicolaum qui et epistolas summo pontifici scriptas et ipsas apostolicas litteras corrumperent[1].

Hæc enim fuit Anastasiana defensio : Nullam mutationem privilegii Benedicti III se primum fecisse, sed illud tantum exemplar, quod ab Hincmaro Romam esset missum, accurate descripsisse. Quod si ipse Nicolai nomine scribens condicionem illam « si ita est » omiserat, hanc esse culpam Hincmari, qui corruptum Benedictini privilegii exemplar sedi apostolicæ obtulisset, in quo jam esset et condicio deleta, et aliud repositum confirmatius. In hoc igitur solum peccasset Anastasius quod vir simplex in fraudulento viro nimiam collocasset fiduciam[2].

1. Præter litteras ad Nicolaum I scriptas, Hincmarus Egiloni tres alias epistolas dederat (v. Migne, t. CXXVI, ep. 8, 9, 10, p. 64-76), quibus eum monebat quid, dum Romæ moraretur, aut agere aut vitare oporteret. Quarum in una sic legatum suum hortabatur : « Et habete exemplaria de epistola synodali, et de mea epistola : ut si aliqui inde quiddam voluerint dicere, postquam illas apostolico dederitis, habeatis earum exemplaria, et habeatis eas bene cognitas. Similiter satagite ut illas epistolas, quas domnus apostolicus de ista causa facere jubebit, legatis antequam huc mittantur, ne aliquem dolum in eis scriptores, *sicut dicuntur facere*, possint imponere. » (Hincmari *Epist. ad Egilonem*, Migne, t. CXXVI, p. 68.) Et paulo ante : « Mitto etiam vobis capitula in quibus summa continetur de omnibus epistolis, quas pro ista causa nobis omnibus domnus apostolicus misit. Et necesse vobis erit ut ipsa capitula bene cognita habeatis, et memoria teneatis quæ sparsim in ipsis epistolis continentur, *ut si illi quos scitis more suo sua dicta involvere voluerint, habeatis veritatem quam illis respondere possitis.* » (Ibid., p. 64.) Neque id minus notatione dignum est quod Hincmarus eadem epistola significavit, non opus esse sibi visum ea scripta, quæ ipse recens in synodo Suessionica porrexerat, ad sedem apostolicam mittere : quia, aiebat, *sicut mihi mandatum est, increscit apostolico et Romanis tanta legere* (ibid., p. 64).

2. Quod colligo ex iis litteris quas, Nicolai nomine, Anastasius ad episcopos Galliarum rescripsit. Sic enim in illis crimen infertur Hincmaro : « Interposuit (Benedictus) ancipitem in eo (privilegio) sententiam dicens : *si ita est nostroque ut scriptis præsulatui intimasti, et gestorum serie demonstrasti, ratas easdem, quin diffinitiones, apostolica promulgamus fore auctoritate.* Licet ipse (Hincmarus) hujus tenoris circumstantiam de collati privilegii textu

Et quidem, si Anastasius de illo tantum exemplari egisset quod Hincmarus, anno 863, Romam per Odonem miserat, commentum suum fortasse celasset diutius. Ad hoc enim satis erat falsum aliquod Benedicti nomine privilegium confingere mentirique illud Romam, missu Hincmari, olim esse delatum; quod certe viro in bibliotheca Romana assiduo non adeo difficile videbatur.

At in hoc cautus homo incaute ac temere egit, quod finxit Remensem archiepiscopum sic delevisse et addidisse, non modo in illo exemplari quod sedi apostolicæ obtulerat, sed in omnibus etiam exemplaribus quæ ubique ostentare soleret. Sic enim iste in Hincmarum, ex Nicolai persona, adulteratas Benedicti litteras jaciebat : « Tu hujus tenoris circumstantiam de collati privilegii textu minus simpliciter excipiens, et nostræ visioni subduxeris, *et aliorum notioni subtraxeris*... Tu quæ horum tuo libitui favere conspexisti, omnium notitiæ patefecisti : *quæ autem sedis sunt apostolicæ reservata juri, cunctorum notioni subduxisti*[1]. » Quod dictum falsissime manifestum est.

excipiens, et nostræ visioni subduxerit, et aliorum notioni subtraxerit. Interserens insuper quæ idem summus pontifex aut nunquam, aut aliter sanxerat. Ipse namque de memoratis diffinitionibus dixit : *Ratas easdem apostolica promulgamus fore auctoritate, semperque manere statuimus*, et sequentia, quæ ipse quidem aliter posuit; frater vero Hincmarus quædam addens, plura subtrahens, vel commutans, aliter prosecutus est. » Nicolai *Epist. ad episc. synodi Suessionicæ* (Migne, t. CXIX, p. 1096). Hanc eamdem accusationem Anastasius repetit, ad ipsum Hincmarum eodem tempore scribens (Migne, ibid., p. 1104). In quo sane, si quis velit, ut ego volo, Nicolaum ab Anastasio deceptum, non ejusdem fraudis participem fuisse, necesse est ut is pontifex, aut, anno 863, missa Romam ab Hincmaro scripta non legerit, aut eorum memoriam, anno 866, amiserit.

1. Quibus scriptor pontificius hæc addit : « Testantur hoc exemplaria ejusdem privilegii, quæ sunt ad sedem apostolicam diverso tempore missa. » (Nicolai *Epist. ad Hincmarum*, Migne, t. CXIX, p. 1105.) Hæc quidem ad Hincmarum scribens ; at aliis episcopis rem aliqua dissimili ratione exposuit : « Testantur, ait, hoc exemplaria ejusdem privilegii quæ *ab eo* (Hincmaro) sunt ad sedem apostolicam diverso tempore missa. » (Nicolai *Epist. ad episc. synod. Suessionicæ*, Migne, ibid., p. 1097.)

Tantum enim aberat ut quod « de salvo jure sedis apostolicæ » in privilegio Benedictino memorabatur, id Hincmarus celare soleret, ipse nuper, in synodo Suessionibus habita, ceteros episcopos sua sponte monuerat et Benedictum III et Nicolaum I sibi in suis privilegiis jura Romanæ sedis reservasse [1].

Quid? In eadem synodo, Hincmarus hæc ipsa privilegia et authentica, et integra, et inviolatis sigillis impressa, in conspectu omnium posuerat, sic episcopos alloquens : « Hic potestis retexere, et sigilla eorum salva, ac incorruptas scripturas atque subscriptiones valetis inspicere [2]. »

Quibus in chartis mentionem de reservandis sedis apostolicæ juribus non deletam ab Hincmaro fuisse, ipsi episcopi hujus synodi Suessionicæ participes Nicolaum I synodica epistola Romam per Egilonem lata disertissime docuerant [3]. Itaque, acceptis deinde illis Nicolai litteris quibus Hincma-

1. Etenim de duobus illis privilegiis : ita Hincmarus locutus erat in primo *Libello*, quem synodo Suessionicæ tradidit : « Quæ domni apostolici Benedicti privilegio sub anathematis interpositione, ut inde quæstio nullis aliquando temporibus oriatur, sunt confirmata : et demum domni Nicolai papæ confirmatione, *sicut sanctæ recordationis Benedictus pontifex, confirmavit, salvo Romanæ sedis in omnibus jussu et judicio* », etc. *Schedulæ seu libelli quattuor synodo per vices oblati ab Hincmaro Remensi* (Coleti, t. X, p. 300).

2. Hincmari *Libellus primus* (Coleti, ibid., p. 300).

3. V. *Epistolam synodicam concilii Suessionici* (Coleti, t. X, p. 317). Quæ testificatio tam clara erat, ut ea pro argumento usus sit Hincmarus. Is enim sic rescripsit ad Nicolaum : « Sed et illum ipsum privilegii (Benedicti) tomum, et non exemplar, synodo vestra auctoritate congregatæ cum privilegio vestræ sanctitatis ostendi, et incorruptas scripturas atque sigilla monstravi, et ex integro, coram filio vestro domno rege Carolo, audientibus omnibus episcopis et qui synodo interfuerunt, relegi feci. Unde in epistola synodi vestræ auctoritati directa scriptum inter cætera habetur ad locum : « In suis ordinibus restituere « maturaremus, quin prædictos fratres, nisi privilegiis sanctæ Romanæ sedis « per reverendum confratrem nostrum Hincmarum archiepiscopum nostræ « unanimitati prolatis, quæ de ipsis viris quædam statuerunt, debita reverentia « exhiberetur; quorum summa, perfecta, et integra firmitas, ut claret et justum « est, in apostolicæ sedis reservata est arbitrio potestatis. » Quod synodus vobis non scriberet, si integra privilegia eis non ostendissem. » Hincmari *Epist. ad Nicolaum I* (Migne, t. CXXVI, p. 88). Cf. pag. seq. n. 2.

rus, nulla ratione habita ipsorum testimonii, fraudis tam immerito accusabatur, iidem episcopi in urbem Tricassinam convenerunt[1], ibique facta epistola Nicolao rursus significarunt et chartas privilegiorum authenticas sibi ab Hincmaro exhibitas fuisse, et se in eis mentionem de « salvo jure sedis Romanæ » invenisse, immo vero hanc esse causam cur ipsi Wulfadum restituere noluissent[2]. Cui testificationi eo major erat veritas ac vis quod tum Carolus Calvus eosdem illos episcopos ad Hincmari perniciem sollicitare videbatur[3].

Ergo in hac quidem parte Anastasium, si non mendacii[4], at saltem erroris manifestum tenemus; qui num

1. VIII kalendas Novembris anni 867. V. Coleti, t. X, p. 371; Hincmari *Annales* a. 867 (Pertz, *SS.*, I, 476).

2. « ... sine contradictione in suis ordinibus restituere (Wulfadum ejusque collegas) maturaremus, nisi privilegiis sanctæ Romanæ sedis per reverendum confratrem nostrum Hincmarum archiepiscopum nostræ unanimitati prolatis, quæ de ipsis viris quædam statuerunt, debita reverentia exhiberetur. Quorum summa, perfecta, et integra firmitas, ut claruit et justum est, in apostolicæ sedis reservata erat arbitrio potestatis : quorumque privilegiorum authenticas chartas cum salvis sigillis et incorruptis scripturis, idem confrater et consacerdos noster, non ad ullam controversiam, sed ad debitam reverentiam sedi apostolicæ, ut dignum est, exhibendam ostendit. » *Epistola synodica concilii Tricassini ad Nicolaum* (Coleti, t. X, p. 374-5).

3. Quæ Hincmarus in suis *Annalibus* narravit (Pertz, I, p. 475) confer cum epistola Caroli Calvi ad Nicolaum scripta anno 867 (Coleti, t. X, p. 382).

4. Nonnulli enim existimabunt ipsum Anastasium a Wulfado ejusque sociis deceptum fuisse, qui fortasse Romam, tanquam ab Hincmaro confecta ac per Gallias vulgata, adulterata quædam Benedicti privilegia misissent. Re quidem vera istorum Ebbonis clericorum ac monachorum aliquos falsarios fuisse constat. Nam, ut decretales Pseudo-Isidorianas omittam, quas natas in hoc nido vehementer suspicor, iidem certe clerici litteras apostolicas Gregorii IV nomine finxerant, quas primum in concilio Tricassino, anno 867, ante oculos episcoporum posuerunt. (V. Hincmari *Epist. ad Anastasium abbatem*, Migne, t. CXXVI, p. 257; Tricassinæ synodi *Epist. synod. ad Nicolaum I*, Coleti, t. X, p. 377. Has autem Gregorii IV litteras spurias esse jamdudum probatum est; v. Dümmler, *Gesch. d. ostfr. Reichs*, t. I, p. 242, n. 37; Jaffé, n. 2583.) Atque ad eamdem fraudem pertinere videtur illa *Narratio clericorum Ebbonis* (v. Bouquet, *Historiens des Gaules*, t. VII, p. 277-281), quam ego existimaverim ab iis falsariis, per idem tempus, hoc scriptam esse consilio quo ipsorum petitio videretur antiquior. At Anastasius istis non tam credulus fuit quam æmulus.

verius dixerit adulteratum Benedicti privilegium Romam ab Hincmaro missum fuisse, restat ut quæramus.

Omitto quam sit veri parum simile archiepiscopum Remensem, cui certe erat notissimum, quæcumque epistolæ et scripta a summis pontificibus darentur[1], eorum exemplaria in archivo sedis apostolicæ servari solere, tantæ tamen fuisse insaniæ ut corruptum scriptum pontificis Romani Romanis offerret, eaque fraude, quæ detegi quam facillime poterat, periclitaretur re sua tota frustrari. Neque inquiro an sit credibile, cum Hincmarus Benedicti privilegium Romam misisset, rogans ut id rursus firmiusque approbaretur, Anastasio non statim in mentem venisse ut hoc exemplar cum exemplari bibliothecæ Romanæ conferret, eamque collationem, quam tum debuerat, tantum instituisse annis post tribus. Erat archiepiscopo Remensi defensio facilior, quam ille ita fecit manifestam, ut et Nicolaum placaverit et Anastasium coegerit arma tandem et artem mutare.

Hincmarus enim, ut diximus, Romam una cum Benedicti privilegio epistolam suam miserat, quam nisi deinde Anastasius exstinxisset aut de medio tulisset, jam concipi non potest quo pacto Nicolaus istius commentum susceperit. Nam quid erat inanius quam Hincmarum accusare quod in suo exemplari condicionem illam suspiciosam « si ita est » delevisset, qui revera per litteras huic exemplari junctas Nicolaum disertis verbis rogaverat ut et ad illam dubitationem Benedictinam animum attenderet, et eam, si ipse novum faceret privilegium, omittendam curaret atque aliquid aliud reponeret. Præterea, quoniam Hincmarus ipsam chartam authenticam quam olim a Benedicto III acceperat, prudenter retinuerat apud se, nec Romam mise-

1. V. Hincmari *Epist. ad Nicolaum I* (Migne, t. CXXVI, p. 87).

rat nisi ejus exemplar, metuens ne fides scripto a se misso haberetur, ipse in eadem epistola Nicolao hanc mentem injecerat ut ad exemplar archivi Romani adiret illudque cum suo conferret[1].

Quapropter archiepiscopus Remensis, ut injustam eam accusationem ex Nicolai litteris didicit, defensionem non necesse habuit quærere longius, sed pro argumento ad diluendum crimen, ex epistola quam, anno 863, Romam per Odonem miserat, locum unum descriptum rursus ad Nicolaum misit, sic concludens hac invicta argumentatione : « Hæc sunt verba mea in epistola sanctæ paternitati vestræ directa. Nam, si inde quod ibi est positum « si ita est » erasissem, superflue quod quiddam ibi sub quadam dubitatione esset positum scriberem. Et si aliquid ibi adderem, mutarem, vel demerem, ut in scrinio sanctæ Romanæ ecclesiæ exemplar illius requireretis, et utrum ita se haberet agnosceretis, scribere non auderem. Ceterum si quocunque modo, quacunque occasione, a quocunque aliter ad vos delatum fuit, tamen ego per præfatum venerabilem coepiscopum nostrum, sicut se habet, exemplar hujus privilegii vobis direxi. Quod si vobis non fuerit tædium reservato

1. Sic enim Hincmarus ad Nicolaum scripserat : « Mitterem ipsam authenticam privilegii chartam, quam beatæ recordationis præcessor vester domnus Benedictus mihi sua auctoritate direxit ; sed timui ne mihi inde aliquid sinistri in via contingeret, et solatio, quod inde adversus insurgentium impetus habeo, fierem destitutus. Vestra vero dignatio in scrinio sanctæ Romanæ Ecclesiæ ex more exemplar illius potest requirere, et utrum ita se habeat evidenter agnoscere. In quo, si vestræ sanctitati placet, necesse est nobis ut quædam superaddatis, quæ hic frater ac filius noster, juxta quod necessitates nostras cognoscit, vestræ suggeret sanctitati. Quia, sicut sanctus Augustinus dicit, necesse est ut ad nova morborum genera nova quærantur medicamentorum experimenta. Sed et de synodo apud Suessiones habita, de qua, factione cujusdam clerici nostri, qui a nobis negligentiis suis territus aufugerat, *quiddam ibi sub quadam dubitatione est positum*, hic frater ac filius noster vobis rei veritatem potest narrare, qui eidem synodo interfuit, et adhuc in nomine abbatis subscripsit. » (Migne, t. CXXVI, p. 87.) Hæc quidem epistola jam non exstat integra, sed hunc locum ipse Hincmarus interposuit in alia ad eumdem papam scripta epistola.

in Romano scrinio illud quod per eum misi conferre, verum invenietis [1]. »

Hac autem responsione facta, Hincmarus e clero suo viros quosdam elegit studiosos et tenaces, qui, sumpta veste peregrinorum (timebant enim ne jussu Caroli regis ex itinere retraherentur), Romam, litteras archiepiscopi ferentes, advenerunt mense Augusto anni 867 [2].

Quorum interventu Anastasius sensit magnum sibi impendere periculum ne tandem argueretur mendax et proditor. Itaque initio, quantum ex aliquot indiciis id colligi potest, et ipse et ejus pater Arsenius operam dederunt ut aditus ad summum pontificem legatis Hincmari præcluderetur; sic enim melius intelligitur cur ii legati tres fere menses Romæ commorati sint [3]. Causam autem, ut videtur, præbebant quod Nicolaus et tum graviter ægrotaretur et esset in causa Photiana occupatissimus [4].

Sed tandem vicit legatorum patientia. Nicolaus enim, quanquam sæpe iis hominibus indulsit qui præ se observantiam sedis apostolicæ gerebant, ac rursus, si qui, ut archiepiscopus Remensis, repugnare aliquando ac liberius loqui viderentur, istis succensebat vehementer, non tamen is erat qui sciens ac videns injuste quemquam insectaretur, eo magis quod Hincmarus, non nescius quid papæ placeret, demisse in suis litteris ac suppliciter egerat [5].

1. Hincmari *Epistola ad Nicolaum* (Migne, ibid., p. 87).

2. « ... epistola Hincmari, Remorum episcopi, quam per clericos suos sub peregrinorum habitu propter contrariorum vitandas insidias præcedente Julio mense Romam miserat... Præfati autem Hincmari clerici in mense Augusto Romam venientes », etc. Hincmari *Annales*, a. 867 (Pertz, *SS.*, I, 475).

3. « Usque ad mensem Octobrium ibidem sunt morati. » Hincmari *Annales* (ibid.).

4. « Nicolaum papam jam valde infirmatum et in contentione quam contra Græcorum imperatores Michaelem et Basilium, sed et contra Orientales episcopos habebat, magnopere laborantem invenerunt. » Hincmari *Annales* (ibid.).

5. Nam, ut specimen ostendamus, sic Remensis archiepiscopus scripserat :

Itaque Hincmarianam defensionem summus pontifex recepit, eamque sibi gratam et probatam confessus est, idque voluit ut significaretur Hincmaro[1].

At vero Anastasius, fraudis molitor, qui potuit se ex hoc loco difficili extrahere? Fuit enim illi tum reddenda ratio ex quo exiisset istud Benedicti corruptum privilegium, quod pontifici Romano, tanquam ab Hincmaro datum, obtulerat. At cum Nicolaus (id enim satis superque constat) non adeo severe inquireret in suos, tum etiam Anastasius, cujus mens celeriter versabatur, aliquid novi invenerat, quo facilius et summum pontificem et ipsum Hincmarum deluderet.

Ut enim fortunam vertere intellexit, nec jam locum esse perdendi Hincmari, eidem se favere finxit, summumque in ejus causam ostentavit studium, ut legatis archiepiscopi eam opinionem injecisse videatur, se et Arsenium patrem maxime ad conciliandum papam contulisse. Hoc saltem ex iis possumus colligere quæ post hæc statim egit Hincmarus.

Is enim, ubi factus est certior quomodo res Romæ sese habuissent, quanquam eum istorum Romanorum dolus

« Et si vera essent quæ vobis de me a quibusdam audio dicta, non solum merito erga me taliter moveremini, verum et incomparabiliter severius quam moveamini zelo rectitudinis accenderemini. Sed gratias illi, cujus gratia sum id quod sum, quia perhibente mihi testimonium conscientia mea, licet in aliis sim peccator, tamen in his de quibus me apud auctoritatem vestram audio denotari, non talis sum in oculis divinis, qualis depingor in auribus humanis. De tumore namque erga sedem apostolicam, omnium Ecclesiarum matrem atque magistram, jam apud sanctæ recordationis Sergium atque Leonem fueram denotatus; sed debitis obsequiis, cooperante Domino, quocunque se locus mihi præbuit, monstravi quod fidelis et devotus, humilis quoque atque subjectus semper in omnibus et ubique erga sedem apostolicam et ejus rectores exstiterim; et modo cum tumore, quem, quantum potui, ab ineunte ætate vitavi, dolositate atque crudelitate, apud sanctam et prudentissimam simplicitatem vestram videor denotari. » (Migne, t. CXXVI, p. 78.)

1. « Nicolaus vero papa gratanter suscipiens quæ Hincmarus scripserat, ei de omnibus sibi satisfactum esse rescripsit. » Hincmari *Annales* (ibid.).

fortasse non fefellerat, tamen, non immemor ipse solertiæ, existimavit sibi esse melius talium parare amicitiam quam suscipere odium. Erat tum Actardus, episcopus Namnetensis, Romam profecturus, qui ex auctoritate synodi Trecensis summo pontifici renuntiaret quid esset iterum in hoc recentissimo concilio de causa Wulfadiana decretum [1]. Huic igitur Hincmarus dona et litteras Anastasio deferendas tradidit; quibus litteris, præter alia quæ jam supra attigi [2], archiepiscopus Remensis profitebatur se Anastasio et multum debere et confidere, et eumdem diligere [3], neque id quod summus pontifex falso contra se scriptum miserat se male interpretari. Nam « certus sum, aiebat, quia non aliter ipse nobis rescripsit, nisi ut in scriptis ex nostra parte sibi porrectis invenit ». Anastasium denique rogabat ut Actardum, legatum episcopum, non solum Nicolao, sed etiam Arsenio commendaret [4]. Quæ quidem litteræ cum ad Anastasium pervenerunt, Nicolaus jam fato functus erat [5]; at archiepiscopus Remensis ita amice scribens sibi pulchre, ut mox videbimus, consuluerat.

Hoc est Anastasianum opus, hoc ingenium. En quod iste sedis apostolicæ gloriæ, quod Nicolai contulerit. Nam si ejus pontificis nomen ex hac adjutoris improbi societate parum inter æquales detrimenti cepisse videtur, hæc causa fuit non modo quod multa a Nicolao fortiter libereque gesta sunt [6], cujus virtutis magna esse solet apud populos admiratio, sed quod eumdem pie sancteque vixisse nove-

1. V. Hincmari *Annales* a. 867 (Pertz, I, 475).
2. V. p. 17, 116.
3. « Multis infirmitatibus et anxietatibus pressus pauca scribo cui multa debeo, et quem multum diligo ac de quo multum confido. » Hincmari *Epistola ad Anastasium abbatem* (Migne, t. CXXVI, p. 258, et infra, in Appendice I).
4. « Vestram peto indubiam charitatem ut domno apostolico, et patri nostro Arsenio, et ceteris familiaribus vestris eum commendetis. » Ibid.
5. Hincmari *Annales*, a. 867 (Pertz, I, 476).
6. V. infra, in c. VI.

rant[1]. Ex quo nobis etiam, quamvis quædam nunc pateant quæ ante erant recondita, licet tamen atque æquum est Nicolaum in numero clarorum paparum retinere, idque solum optamus, ut huic tanto pontifici neque vera laus detrecta disputatione nostra, neque falsa afficta esse videatur.

1. Quæ fama ita disseminata erat, ut Hlotharius rex, etsi expertus erat Nicolai severitatem, tamen de illo pontifice nuper defuncto sic ad Hadrianum papam II scripserit : « Unde nostræ mansuetudinis affectio admodum ingemiscens, gemino dolore concutitur, videlicet quod mater omnium ecclesiarum Dei, sancta et apostolica Ecclesia, tali ac tanto caruit Patre, atque in cælesti Jerusalem lucerna ardens et lucens nostris periculosis temporibus a tenebrosis malefidis Dei finibus sit remota. Nec differt ut omnis Christiana religio de tanto pontifice doleat, et omnis ordo ecclesiasticus de prudentissimo ac sanctissimo Papa ingemiscat. » Hlotharii *Epistola ad Hadrianum II* (D. Bouquet, *Historiens des Gaules*, t. VII, p. 570).

VI

ANASTASII, HADRIANO PAPA II, FORTUNA VARIA

I. Quam ob causam Anastasius, electo Hadriano papa II, non solum pristina munera non amiserit, sed etiam ad ampliora sit provectus. — II. Hadriani II sic ornatus beneficiis, quod tamen periculum huic papæ conflaverit. — III. Concidit tandem Anastasii fortuna, sed brevi tempore reparatur. — IV. In gratiam ac favorem Hludowici II, loco Arsenii patris, Anastasius succedit, ac primum legatus imperatoris Constantinopolim mittitur. — V. Romam regressus, totam industriam atque improbitatem in Carolum Calvum pro Hludowico imperatore convertit.

I. Anastasius Adoni Viennensi episcopo sic scribebat circiter extremum annum 867 : « Triste tibi nuntium, proh dolor! nimium tristis et gemens transmitto. Venerabilis quippe recordationis pater et papa noster Nicolaus, ab hac misera vita idibus Novembris ad cælestem beatitudinem, ut credimus, ductus, nos miseros et valde desolatos reliquit[1]. »

Qui dolor ex Nicolai morte captus non ita Anastasium oppresserat, qui luctu et lacrimis a suis utilitatibus commodisque averteretur. Nam, defuncto pontifice, mæstissimus ille nihil antiquius habuerat quam ut patriarchium invaderet, atque usus opportunitate vacantis sedis apostolicæ, chartas et monumenta sibi utilia ab archivis surriperet[2],

1. V. Anastasii *Epistolam ad Adonem,* quam ego integram in Appendice I edidi.

2. V. Hadriani II *Decretum* jam supra citatum (p. 128) atque in Appendice I ex toto editum. Hoc autem furtum, mortuo quidem Nicolao I, sed nondum electo Hadriano II, factum fuisse, ex duobus colligo. Primum in

in hoc quidem æmulus Sergii, magistri militum atque cum nepte Nicolai I matrimonio conjuncti, qui, dum summus ille pontifex extremum spiritum trahebat, thesaurum sedis apostolicæ furatus est [1]. Neque Anastasius, qua miseria se depressum dicebat, hac erat impeditus quin aliis summum cruciatum immaniaque supplicia pararet, cum, eodem illo interregno, auctor fuerit ut Adalgrimo ad aras suppliciter confugienti effoderentur oculi linguaque evelleretur [2].

Atque in his etiam ad Adonem litteris non tam Nicolai gloriam quam suam propriam cogitabat, dumque defunctum pontificem miserabiliter laudabat, aliud meditabatur consilium, quod nos si manifestum facere poterimus, non modo quæ jam probavimus de Anastasii ingenio et rebus gestis confirmatiora videbuntur, sed etiam rerum Romanarum, quæ illo tempore fuerunt, clarius apparebit status.

Itaque cum Anastasius hæc ad Adonem episcopum scriberet, Nicolai I in locum jam suffectus erat novus papa,

Decreto Hadriani II, cum omnia Anastasii facinora, conservatis temporibus, narrentur, hujus direptionis, inter ea quæ ad Nicolai et Hadriani tempora pertinent, interponitur commemoratio. Deinde, si istud furandi genus, regnante papa, vix exerceri impune poterat, scimus tamen jam tum moris esse Romanorum ut, cum pontificatus veniret in interregnum, familiares defuncti pontificis patriarchium diripere solerent. V. *Le pape Formose,* p. 89-90.

1. « ... Sergium magistrum militum, Theodori magistri militum filium, qui reverendæ memoriæ domno Nicolao, cujus neptem in conjugium suscipiens, ita ingratus ac inhumanus exstiterat, ut vivente eo et in extremis posito, eidem thesauros suos ad eleemosynas faciendum cum præfatis suis complicibus abnegasset. » Johannis papæ VIII *Epistola ad universos Gallos et Germanos* (Migne, t. CXXVI, p. 678).

2. « ... Quemdamque Adalgrimum ad ecclesiam confugium facientem oculis et lingua privari suggesserit. » Hadriani II *Decretum* (Pertz, I, 479, et infra in Appendice I). Ut archivi Romani direptionem, sic insectationem Adalgrimi ab Anastasio, dum vacabat sedes apostolica, factam fuisse existimo. Nam, cum in Decreto Hadriani II hæc duo una eademque periodo conjuncta narrentur, tum etiam nisi civitas sine imperio fuisset atque in hac tanta, quam mox videbimus, rerum perturbatione permixta, Anastasianum illud atrociter factum pœnam, aut saltem inquisitionem non vitasset. Quod tamen Hadrianus papa, vertente tantum anno 868, plane notum habuisse videtur.

S. Marci antea presbyter, Hadrianus II[1]. Hic autem non sine tumultu factionumque certamine ad sedem apostolicam pervenerat. Breve quidem fuit, sed violentum discidium[2]. Multi enim hoc intervallo pontificatus in exsilium pulsi sunt, multi in ergastula conjecti variisque excruciati suppliciis[3]. Qui condemnati cum plerique læsæ majestatis atque apud imperatorem accusarentur[4], ex hoc licet colligere iterum factionem imperatoriam Romæ, per illud tempus, multum valuisse.

Quod si Liber pontificalis hoc loco et intelligi potest et habet fidem[5], scindebatur in duas partes nobilitas Romana, non quod quisquam Hadrianum presbyterum aversaretur (omnes enim hunc papam voluissent), sed, quoniam utraque

1. Hadrianus in summum pontificem sacratus est die 14 mens. Decembris a. 867. V. *Hadriani II Vitam*, c. IX (Vignoli, t. III, p. 225); Jaffé, p. 368.

2. A Nicolai morte ad consecrationem Hadriani intercessit mensis integer; sed pluribus diebus antequam fieret hæc consecratio, jam consederat belli furor, cum nempe, electo Hadriano, ab imperatore, qui tum Roma procul aberat (Beneventi enim morabatur), exspectarentur jussa et litteræ.

3. « ... Multorum sanctæ Dei ecclesiæ filiorum, qui, factiosorum tyrannide liberius solito sæviente, inter unius decessionem et alterius substitutionem pontificis diversis agebantur exsiliis, variisque afficiebantur incommodis. » *Vita Hadriani II*, c. IX, p. 226. V. notam sequentem.

4. Erant ex hoc numero Johannes diaconus, cognomine Hymmonides atque Vitæ Gregorii M. scriptor, et Gaudericus Stephanusque, hic Nepesinus, ille Veliternensis episcopus, « quos, ut in Libro pontificali refertur, procacissima falsitas serenissimo Augusto incusans, domo patriaque proscripserat » (*Vita Hadr.*, c. XIII, p. 228). Sed deinde, rogante Hadriano II, Hludowicus imperator non solum tres illos exsules Romam remisit, « verum etiam, ut rursus Libro pontificali utar, quoscumque privata simultate tanquam reos imperatoriæ majestatis et in ergastulis quilibet truserat, ut reverterentur, præcipit absolvi » (ibid.). Removeo ab hac narratione ea quæ Lambertus, dux Spoletanus, Romæ, dum consecrationis Hadriani sollemnia agebantur, atrociter commisit (v. *Vitam Hadriani II*, c. XX, p. 231-2), cum hæc, ut opinor, cum factionibus Romanis connexa non sint, sed ab ambitione Lamberti profecta.

5. Auctor quidem Vitæ Hadriani II de electione hujus papæ, sicut solent Libri pontificalis scriptores, multa verba fecit, sed obscure nonnunquam nec sine industria. Nam cum hæc, vivo papa, eaque mente scriberentur, ut electo pontifici cunctos Romanos assensum præbuisse constaret, si qua erat animorum dissensio, hæc, quantum fieri poterat, mitigata narratione levabatur. Quare cum ejusmodi scriptoribus caute aliquando agendum est.

factio non tam curabat quis esset pontificatu dignior, quam quicum in Urbe dominari facilius posset, una suffragari Hadriano ob eam solam causam dubitasset quod alteram videbat eidem summo studio favere[1].

Quidquid sit, etsi non dubito quin tandem fuerit plurimorum Romanorum in hac re consensio[2], tamen hæc duo pro certis habenda videntur, primum factionem illam quæ pro eligendo Hadriano maxime laborasse dicitur, eorum fuisse qui Hludowici imperatoris voluntatem sequi solebant, deinde hujus factionis ducem auctoremque præfuisse Arsenium, Hortensem episcopum.

Etenim, quamvis imperatoris legati, qui tunc Romam venerant, ad suffragia cum Romanis ferenda vocati non essent[3], illis tamen, quemadmodum ex Libro pontificali

1. « Omnes urbis Romanæ concives, simul et hi quos extrinsecus tunc adesse contigerat, tam pauperes quam divites, tam clericalis ordo quam cunctum populi vulgus, omnis scilicet ætatis, professionis, et sexus, contemptis omnibus excusationibus, Hadrianum desiderant, Hadrianum dari sibi præsulem ac pastorem exoptant. Nullusque in totius urbis amplissimo spatio repertus est, *nisi vel se, vel suum quemque provehi voluisset* (vides ut hoc loco scriptor pontificius id quod dissimulare cupit ingenue tamen ex parte detegat, quod genus calliditatis incallidum non semel in eis scriptoribus reperitur), qui non Hadrianum promoveri ad hoc culmen medullitus exoptaret. Proceres vero, licet soluto in duas partes corpore viderentur esse divisi, una tamen mente parique circa hunc flagrabant ardore, quoniam causam divisionis eorum non nisi nimius in tantum virum faciebat charitatis affectus, dum sic alterutra pars sibi præferri gestiret, ut si hunc altera pars deligeret, pars altera penitus dubitaret, nec erat ibi parti alteri retinendi voluntas, nisi quia opinabatur eam sua in alium vota dirigere. » *Vita Hadriani II*, c. IV (Vignoli, t. III, p. 222).

2. Quam consensionem sic indicavit Hincmarus : « Cui (Nicolao) successit Adrianus papa electione clericorum et consensu Hludowici imperatoris in pontificatu. » Hincmari *Annales*, a. 867 (Pertz, I, 476).

3. Hoc Romani apud imperatoris legatos excusarunt, « quod non causa contemptus Augusti, sed futuri temporis prospectu hoc omissum omnino fuerit, ne videlicet legatos Principum in electione Romanorum Præsulum mos expectandi per hujusmodi fomitem inolesceret. » *Vita Hadriani*, c. VI, p. 224. Et vero nihil in hoc Romani legem aut consuetudinem violaverant. Nam, quanquam ex renovatione veteris consuetudinis necesse erat ut Romani pontifices, consentiente imperatore ejusque legatis præsentibus, consecrarentur, hoc tamen ad electionem non pertinebat, de qua Stephanus III sic statuerat : « Sub

accepimus, Hadrianum præferri non modo in optatis erat, sed spe anxia exspectabatur[1]. Atque huic suffragationi ab imperatoris maxime fautoribus subventum esse tam notum erat, ita multi timebant ne propterea imperatoriæ factioni adderentur præmia atque auctoritas, ut ipse Hludowicus, per eas litteras quibus, ut tum moris erat[2], facultatem consecrandi Hadriani concessit, hunc Romanis timorem opportunum duxerit eripere, hoc eis confirmans (utrum sincere an ficte, non judico) : « nulli quippiam præmii fore ex consecratione ipsius quoquo modo pollicendum, cum ipse hanc non suorum suggestione, sed Romanorum potius unanimitate commotus ardentissime cuperet provenire[3]. »

Rem vero Arsenium præcipue duxisse, utque olim Nicolaum I, sic Hadrianum II potentissimi illius episcopi nisum esse patrocinio, ex hoc apparet quod, electo Hadriano, Arsenius ex amplo statu, quem, Nicolai temporibus, occu-

anathematis interdictione decernimus, ut nulli unquam laicorum sive ex manu armata vel ex aliis ordinibus præsumant inveniri in electione pontificis : sed a cunctis sacerdotibus atque proceribus ecclesiæ et cuncto clero ipsa pontificalis electio proveniat. » Quod decretum Nicolaus I renovaverat. V. *Stephani III concilium Romanum*, act. III (Coleti, t. VIII, p. 484; cf. Jaffé, p. 285), et *Nicolai I concilium Romanum* (Muratori, *Script. rer. Ital.*, t. II^{b}, p. 127; cf. Jaffé, p. 345).

1. « Missi principis... indignati scilicet, non quod tantum virum nollent pontificem, *quem nimirum anxie cupiebant;* sed quod se, dum præsentes essent, Quirites non invitaverint, nec *optatæ a se futuri præsulis electioni* interesse consenserint. » *Vita Hadriani II*, c. VII, p. 224.

2. Ab illa quidem assensus imperatorii necessitate, quam Gregorius IV acceperat (v. Einhardi *Annales*, a. 827, ap. Pertz, *SS.* I, 216), Romani se pluries eximere tentaverant (v. *Vitam Sergii II*, c. VII, ap. Vignoli, t. III, p. 41; *Vitam Leonis IV*, c. VIII, ibid., p. 70; Prudentii *Annales*, a. 844, ap. Pertz, *SS.*, t. I, p. 440); sed, a Benedicti III temporibus, æquiore animo obtemperare cœperunt (v. *Vitam Benedicti III*, c. VI, p. 126). Verumtamen falli videtur Niehues, qui nuper eam opinionem refricuit qua quidam opinabantur a Stephano papa IV (a. 816) jam factum esse illud decretum : « ne absque imperiali notitia et suorum legatorum præsentia pontificis fieret consecratio » (v. *Historisches Jahrbuch d. Görres-Gesellschaft*, t. I, p. 141 sqq., 145). Multo enim veri similius est hoc decretum nihil esse aliud quam canonem decimum concilii Romani, a. 898, Johanne papa IX, habiti. (V. Coleti, t. XI, p. 703; cf. Jaffé, p. 317.)

3. *Vita Hadriani II*, c. X, p. 225.

paverat, non modo non concidit, verum ampliorem etiam locum apud sedem apostolicam majoremque pontificis assecutus est favorem.

Cujus Arsenianæ fortunæ primum testem habemus ipsum Anastasium, qui parenti suo tantam cum Hadriano papa familiaritatem fuisse confessus est, ut aperte diceret hujus pontificis animam ex anima Arsenii pendere[1].

Et vero, ut Hadrianus II ad gubernacula ecclesiæ Romanæ sedit, illi Arsenium adstare videmus, et consiliari, et aliquando etiam imminere. Per hunc episcopum aditus ad summum pontificem et commendatio facilior; huic gerenda mandantur magni momenti negotia. Ita Hincmarus Arsenium, donis atque blanditiis allectum, laudatorem apud Hadrianum II deprecatoremque habuit[2]. Cui nonnihil etiam debuerunt clarissimi Slavorum apostoli, Cyrillus[3] atque Methodius, Romam, ineunte Hadriani pontificatu, cum suis pluribus ingressi[4]. Nam cum eorum adventu hæc res inter Romanos agitari cœpisset, liceretne in sacris ritibus linguam slavicam usurpari, Arsenius a summo pontifice delectus est qui in Urbe liturgias ab illis apostolis slavice celebratas præsens inspiceret et comitaretur[5].

1. V. Anastasii *Epistolam ad Adonem*, infra, p. 228, et in Appendice I.

2. V. Hadriani II *Epistolam ad Hincmarum*, jam supra citatam in Procemio, p. 13.

3. Qui etiam tum Constantinus, tum Philosophus appellatur. V. *Vitam cum Translatione S. Clementis*, c. x (ap. Ginzel, *Geschichte der Slawenapostel Cyrill und Method*, 2a edit., in Codice, p. 10).

4. V. *Vitam cum Translatione S. Clementis*, ibid., p. 9-10; cf. *Legendam Moravicam*, c. VI (ibid., p. 15).

5. « ... postquam consecrati sunt (apostoli Slavici), illico liturgiam in ecclesia sancti apostoli Petri Slovenica lingua cecinerunt, et sequente die cecinerunt in ecclesia sanctæ Petronillæ, et sequente cecinerunt in ecclesia sancti Andreæ, ac dein in ecclesia magni doctoris catholici Pauli apostoli, et per totam noctem cecinerunt glorificantes Slovenice, et sequente die iterum liturgiam super sanctum ejus sepulcrum, adjuti ab Arsenio episcopo, qui ex septem erat episcopis, et ab Anastasio bibliothecario. » *Vita Constantini*, c. XVII (ap. Dümmler, *Die Legende vom heiligen Cyrillus*, in *Denkschriften der Akademie der*

De quibus ritibus episcopus Hortensis ita propense ad sedem apostolicam detulit ut paulo post Hadrianus II litteras scribi jusserit, per quas linguam slavicam « in omni ecclesiastico facto totaliter, una cum sacra missa, nominatim cum liturgia et baptismate », adhiberi licebat [1].

Quantum autem Arsenius et pontificis animum præoccuparet, et simul imperatoris utilitatibus serviret, quam fortiter cujusque causa ecclesiasticis negotiis sese interponeret, nihil quidquam magis confirmat quam quod iste de

Wissenschaften, t. XIX, Wien, 1870). V. etiam Dümmler, *Gesch. d. ostfr. Reichs*, t. I, p. 699-700; L. Léger, *Cyrille et Méthode*, p. 106, qui tamen fallitur cum negat ordinationem Slavorum apostolorum factam esse mense Januario anni 868. V. *Hadrien II et les fausses décrétales*, p. 44, et *Le pape Formose*, p. 140, n. 3; p. 179, n. 3.

1. Hadriani II *Epist. ad Rastilavum et Cozelum* (ap. Ginzel, ibid., p. 44-45; quæ litteræ etiam in *Legenda Pannonica* descriptæ reperiuntur; v. Ginzel, ibid., p. 26-27). Sunt quidem viri complures doctissimi qui existiment hanc Hadriani II epistolam non scriptam esse anno 868 ineunte, sed exeunte circiter anno 869 (v. Erben, *Regesta Bohemiæ*, t. I, p. 14; Dümmler, *Gesch. d. ostfr. Reichs*, t. I, p. 701; Jaffé, *Regesta*, p. 372; L. Léger, op. cit., p. 115); at ea argumenta afferunt quæ vim parvam habere videantur. Non enim liquet id quod quidam opinantur (v. Dümmler, *Archiv für Kunde österr. Geschichtsquellen*, t. XIII, p. 181; *Gesch. d. ostfr. Reichs*, t. I, p. 701, n. 33; Dudik, *Mährens Geschichte*, t. I, p. 182-3, n. 1), Cyrillum a. 869 ex hac vita migrasse. Ego vero iis assentior qui dicunt Cyrillum mortuum esse die 14 mens. Febr. a. 868 (v. Dobrowsky, *Cyrill und Method*, p. 76; Ginzel, *Gesch. d. Slawenapostel Cyrill und Method*, p. 49, n. 2). Quapropter, donec alia firmiora proponantur, existimo Hadriani II ad Rastilavum litteras scriptas esse, mortuo quidem Cyrillo, sed circiter exeunte mense Februario a. 868, cum præsertim earum scriptor tum mortuum esse Michaelem imperatorem ignorare videatur; quod revera Romæ non ante vernum tempus anni 868 notum esse constat (v. A. Lapôtre, *Le pape Formose*, p. 150, n. 4; p. 153, n. 1). Hanc autem epistolam sinceram esse, non spuriam, vix opus est demonstrare, cum adhuc nihil contra prolatum sit alicujus momenti (v. Ginzel, op. cit., p. 8-9, qui nihil objecit probabile). Verumtamen iis quæ jam doct. Dümmler ad eam defendendam exposuit (*Archiv*, t. XIII, p. 145 sqq.) hoc addere juvat, verba illa : *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, a quibus initium hujus epistolæ capitur, in aliis etiam ejusdem papæ litteris non semel reperiri, fuisseque Hadriano II quasi agendi regulam. V. Hadriani II *Epist. ad Hludowicum regem Germaniæ* (Migne, t. CXXII, ep. 4, p. 1263) et *Epist. ad episcopos in regno Caroli Calvi constitutos* (ibid., ep. 21, p. 1293).

causa Photiana in mentem Hadriani injecit. Hludowicus enim imperator, extremo Nicolai pontificatu, pro Photio adversus pontificem Romanum niti cœperat[1], non quod multum curaret quis esset vere patriarcha Byzantinus, sed, quoniam tum graviter alienatus erat a Nicolao[2], atque ex altera parte Græcorum auxilia ad expellendos Sarracenos[3] desiderabat, sic Photii patrocinium arripiendo et papam lædere et Michaelem Byzantinum imperatorem conciliare, gratum atque utile videbatur. Quod Hludowici consilium ita perspectum erat, ut, mortuo Nicolao, cum apud Hadrianum successorem factionem imperatoriam valere apparuit, multi idcirco sententiam novam a novo pontifice parari conjectarent (nondum enim Romam certus nuntius de interitu Michaelis deque expulso Photio pervenerat[4]), ut etiam Græci Ignatiani, qui tum Romæ morabantur, suspectum haberent ipsum Hadrianum ejusque colloquium atque conspectum fugerent[5].

Has quidem suspiciones et timorem Hadrianus II non

1. Quod colligo ex iis quæ acta sunt in concilio Byzantino anni medii 867, in quo Photius, postquam Nicolaum papam excommunicatione multasset, Hludowico imperatori Engelbergæque ejus conjugi laudationes atque acclamationes efferendas curavit. V. Metrophanis *Epistolam ad Manuelem* (Coleti, t. X, p. 893). Quin etiam, hoc absoluto concilio, Photius Engelbergam per litteras rogavit ut Hludowicum ad expellendum Roma Nicolaum hortaretur (ibid.). Cf. *Le pape Formose*, p. 146-147.

2. V. infra, p. 220.

3. Quos ut exturbaret ex urbe Bari, Hludowicus imperator, ab anno 866, in Italiam inferiorem descenderat. V. *Chronica S. Benedicti Casinensis* (*Monumenta Germaniæ*, in-4, *Script. rer. Langob.*, p. 469 seqq.); Erchemperti *Historiam Langob. Beneventanorum*, § 30 (ibid., p. 246), Johannis diaconi *Gest. episc. Neapolit.*, § 64, 65 (ibid., p. 434-5), Hincmari *Annales*, a. 869 (Pertz, *SS.*, I, 474). Cf. Amari, *Storia dei Musulmani di Sicilia*, t. I, p. 378.

4. Pervenit enim tempore verno a. 868. V. *Le pape Formose*, p. 150-3, 176, n. 1.

5. « A cujus videlicet sanctissimi Hadriani papæ collegio, cum per dies aliquot quidam Græcorum et aliarum gentium servorum Dei per id tempus Romæ morantium se clanculo suspendissent. » V. *Vitam Hadriani II*, c. XVI (Vignoli, t. III, p. 229). Cf. *Le pape Formose*, p. 142-3.

diu exspectaverat ut levaret, utque in hac tanta causa idem quod ejus decessor velle videretur, ipsas illas litteras quas Nicolaus de re Photiana scribi jusserat, quæque in Orientem delatæ nondum erant, easdem ipse statuerat sine ulla mutatione mittere[1]. Sed Arsenii gratiam familiaritatemque videamus! Hic ab Hadriano papa, instando atque imminendo, hoc saltem obtinuit ut in illis Nicolai scriptis Hludowici imperatoris laudes prædicarentur[2].

Jam vero is apocrisiarius, in hac rerum fortuna, non pro solo imperatore laborabat. Hoc enim Arsenio laudi dari potest (si quæ laus est amoris cum ambitione conjuncti), quod familiæ suæ ac maxime Anastasii temporibus multam curam sibi impendendam putaverit. Ut quondam hunc iste filium ad ipsam sedem apostolicam producere tentaverat, ut eidem deinde summam Nicolai benevolentiam fidemque conciliaverat, sic Hadrianus II Arsenio amico concessit ut Anastasium non solum iisdem cum muneribus retineret apud se, sed etiam illustriore dignitate decoraret.

1. Etenim Nicolaus, mense Novembri a. 866, legationem cum multis epistolis (Jaffé, n. 2813-2820) ad Byzantinos miserat (*Vita Nicolai*, c. LXX, LXXI, p. 211); sed legati apostolici, Donatus, Leo atque Marinus, cum fines imperii Byzantini ingredi prohibiti essent (v. *Vitam Nicolai*, ibid.), Romam pontificales litteras retulerant. Hæ sunt epistolæ quas Hadrianus, ab initio administrandi, rursus mittere statuerat, quasque revera per eosdem legatos misit, mense Junio a. 869. Hæc enim scriptor Vitæ Hadriani II : « Post hæc (Hadrianus) cum epistolis decessoris sui, sicut ab eo fuerat ordinatum, Donatum episcopum Ostiensem et Marinum diaconum Constantinopolim destinavit : deinde ejusdem epistolas suo tantum nomine titulatas, et commonitorium, sed et Stephanum Nepesinum episcopum sociavit. » (Vignoli, III, 238.) Quo tamen loco, cum dicitur Hadrianum Nicolai epistolas « suo tantum nomine titulatas » Constantinopolim ferendas curasse, non verum perfecte significatur. Nam ex iis quæ deinde in eadem Vita narrantur, patet earum Nicolai epistolarum unam saltem auctam esse Hludowici imperatoris laudibus. V. notam sequentem. Ceterum manifestum est scriptorem illius Vitæ multam operam navare ut ostendat Hadrianum II a decessoris sui voluntate et decretis nunquam decessisse. Cf. *Le pape Formose*, p. 183, n. 3.

2. « ... Ad laudem serenissimi nostri Cæsaris sanctissimus domnus Hadrianus pontifex in epistola sui decessoris, *Arsenio episcopo imminente*, adjecerat. » *Vita Hadriani II*, c. XLII, p. 244. Qua de re iterum dicam postea, p. 248.

Nam primum epistolas pontificias dictandi munus Anastasio continuatur, quemadmodum id constat ex ipsius testimonio [1].

Erat autem Anastasius in ordinem sacerdotum nondum reductus; quod quidem, ut supra diximus, Nicolaus se facturum promiserat [2], sed, quoniam is pontifex nihil magis reformidavit quam ne sedes apostolica, omnium arbiter et judex, ipsa in judicando peccasse videretur [3], longam satisfactionem de culpa præmitti voluerat. Itaque Hadrianus non exspectandum esse diutius existimavit; at eodem illo die cum in summum pontificem sacratus est, ipse, inter missarum sollemnia, Anastasio communionem ecclesiasticam dedit [4].

Quo facto, cum jam nihil obstaret quin ad honores ecclesiasticos restitutus sacerdos produceretur, statim bibliothecarii munere et nomine augetur Anastasius [5], atque huic quidem Romanorum doctissimo, sed pontificalium synodaliumque scriptorum direptori, custodienda sedis apostolicæ archiva scriptaque traduntur.

II. Nihil igitur quidquam Anastasii desiderio atque ambitioni defuisset, nisi illi ex hac ipsa Arsenii apud Hadrianum auctoritate et gratia, ut magna fortunæ utilitas effloruerat, sic etiam impendisset metus.

1. V. supra, p. 112-113. Atque id quod Anastasius hoc loco de litteris Hadriani ad causam Photianam spectantibus profitetur, de aliis negari non posse mox satis constabit. V. infra, p. 229, n. 1; p. 256.

2. V. p. 106.

3. Hæc Anastasius, ex Nicolai persona et nomine, scribebat ad Hludowicum Germaniæ regem : « Nam sedis apostolicæ sententia tanta semper consilii moderatione concipitur, tanta patientiæ maturitate decoquitur, tantaque deliberationis gravitate profertur, ut retractatione non egeat, nec immutari necessarium ducat : nisi forte sic prolata sit ut retractari possit, vel immutanda secundum præmissæ tenorem condicionis existat. » (Migne, t. CXIX, ep. 154, p. 1162.) Quod idem ad verbum describitur in *Epistola ad episcopos in regno Hludowici constitutos*. V. Migne, ep. 155, p. 1171.

4. V. *Vitam Hadriani II*, c. x, cit. in Proœmio, p. 6, n. 6.

5. Hanc rem in Proœmio pluribus argumentis collegi. V. p. 11-14.

Erat profecto parentis et filii multarum rerum summa consensio amorisque artissima vincula. Videres illos ambos voluntatem in Hincmarum simul immutare, quemque apud Nicolaum I calumniando infamaverant, eumdem certatim apud Hadrianum II omni laude cumulare [1]; in quo tamen fuisse Anastasio proprium etiam quoddam consilium arbitror [2]. Atque cum Cyrilli et Methodii Romam adventu quæstio de liturgia Slavica exstitit, idem in hac re sensisse videntur Arsenius et Anastasius. Ambo enim Slavorum apostolis in sacris ritibus adstiterunt [3]; ac, quanquam ex quo animo ita egerint dici verissime non potest, tamen qui nostra ætate hoc dolent quod sedes apostolica liturgiam Slavicam probatam habere non perseveraverit [4], gratias duobus nostris referant, quorum consilio atque opera usus in sacris linguæ slavicæ primum ab Hadriano II concessus est. Quam gratiam Anastasio majorem etiam habere debent, a quo illas litteras, quibus hoc summus pontifex permisit, scriptas esse veri simillimum est [5], at certe qui Cyrillum, cujus quidem dissimilis erat moribus, sed scientiam magni faciebat, multis laudibus in suis scriptis prædicavit [6].

1. V. Hadriani II *Epist. ad Hincmarum,* citat. in Procemio, p. 13.

2. V. infra, p. 230.

3. V. *Vitam Constantini,* c. XVII, et supra p. 213, n. 5.

4. Johannes VIII linguam slavicam in missis usurpari primum vetuit, sed deinde concessit (v. *Le pape Formose,* p. 226), quam tandem Stephanus V, fraude cujusdam falsarii deceptus, omnino prohibuit. (Ibid. in Appendice.)

5. Certum illud etiam dicerem, nisi essent complures historici qui opinentur hanc Hadriani epistolam non scriptam esse ineunte a. 868, sed a. 869 (v. supra, p. 214, n. 1). Et quidem litteras apostolicas ab Anastasio per totum annum 869 dictatas esse dici certo non potest. V. infra, p. 242-3.

6. Hæc de Cyrillo Anastasius, scribens ad Carolum Calvum : « Denique vir magnus et apostolicæ vitæ (al. sedis) præceptor Constantinus philosophus, qui Romam sub venerabilis memoriæ Hadriano juniori papa veniens, sancti Clementis corpus sedi suæ restituit, quique totum codicem memorati et memorandi Patris (Dionysii Areopagitæ) memoriæ mandaverat, et quantum utilitatis medulla ejus habebat, auditoribus commendabat, solitus erat dicere », etc.

At vero, si Anastasio nihil erat optatius quam ut concordia cum parente in omnibus jungeretur, nec religioni habebat illius auctoritatem ad suum commodum convertere, tamen Arsenium imperatoris voluntatibus obsequentem non sine metu videbat; non quod ipse simultates cum Hludowico exerceret; hac enim sollertia fuerat qui, vivo Nicolao, sedis apostolicæ gratiam retineret, quin ab imperatore alienaretur. Immo vero, statim post Nicolaum mortuum, Anastasio ea manebat cum imperatore conjunctio, ut, dum sedes apostolica vacabat, dolosus ille ad Hludowicum secretos nuntios miserit, qui, ut deinde ipse Hadrianus et novit et professus est, « inter piissimos principes et ecclesiam Dei discordias seminarent[1] ». Neque Anastasio hæc causa formidinis erat, quod sic periclitaretur ecclesiæ Romanæ libertas; nam, quantumvis iste propugnationem juris ecclesiastici in suis scriptis prætulerit, imperium laicale ad tyrannidem, utilitatis suæ causa, et jam antea excitare non dubitaverat, et deinde ita imperatoris servus ac minister fuit, ut ipsum nomen pontificis Romani summum in periculum ac discrimen vocaret[2].

Sed tum Hludowicus imperator in hac erat voluntate, cui si Arsenius et ipse obsecutus esset et Hadrianum papam adduxisset ad obsequendum, Anastasii existimatio atque superbia non mediocre accepisset detrimentum.

Vidimus enim in capite tertio hujus libri, quæ primum fuerit inter Hludowicum et Nicolaum intima familiaritas

(Migne, t. CXXIX, p. 741). Atque idem in alio scripto controversiam quamdam retulit, quam Photius habuisset cum « Constantino philosopho, magnæ sanctitatis viro, fortissimo ejus (Photii) amico ». Anastasii *Præfatio in synodum octavam* (Migne, ibid., p. 14).

1. « ... homines ad seminandum inter piissimos principes et ecclesiam Dei discordias per muros hujus urbis more furis exire coegerit ». Hadriani II *Decretum* (Pertz, I, p. 479, et in Appendice I). De tempore autem hujus Anastasiani facti vide supra, p. 208.

2. V. infra, p. 254 sqq.

animorumque perfecta consensio[1]. Sed tres anni vix intercesserant, Nicolaus totus patuit, isque qui imperatoris præsertim auxilio factus erat pontifex maximus, non se imperatoriæ ministrum potentiæ, sed suæ defensorem prodidit. Hinc ruptum fœdus dissociataque amicitia, hinc, ut fit, eo vehementior iracundia atque suspicio, quo spes major fuerat atque fiducia.

Si qui erant igitur qui querelam de Nicolao haberent, semper ad auxilium aderat Hludowicus, ut aula principis omnibus sedis apostolicæ hostibus receptaculum videretur, rebellionisque munimentum. Atque hoc sæpius res sine modo et consilio erumpebant, quod omnia movebantur ira feminea et manu. Etenim, præter Photianas partes, quibus, ut antea dixi, Hludowicus ejusque conjux favebant[2], illos eosdem patronos, sed maxime Engelbergam, habuerat Johannes, archiepiscopus Ravennas, qui primus expertus erat quanti res esset periculi talis papæ obedientiam, etiam cum imperatoris auxilio, abjicere velle[3]; illos Guntharius

1. P. 70-73.

2. V. supra, p. 215.

3. Hoc Johannis archiepiscopi Ravennatis cum Nicolao papa I longum acerrimumque bellum, quod exortum est a. 861 (v. Jaffé, p. 343), in Vita Nicolai pluribus atque ordine narratur (*Vit. Nicolai*, c. XXI-XXXV, L, p. 183-191, 199-200), sed prudens scriptor, pro more suo, non commisit ut quidquam diceret Hludowico imperatori ingratum et odiosum, ita tamen verum dissimulans ut id ex parte pareret (v. in capite XXVIII, p. 186-7). Rem multo apertius, quamvis infensius pontifici Romano, sic exposuit scriptor *Libelli de potest. imperat. in urbe Roma :* « Præsidebat namque tunc Ravennati ecclesiæ Johannes archiepiscopus, qui serviens imperatori familior erat. Unde invidia ductus Romanus pontifex nomine Nicolaus, exarsit in iram contra illum, vocans eum subdole Romam, ut quasi ecclesiastico judicio posset hunc condemnare et alterum subrogare. His quippe auditis, archiepiscopus confugit ad reginam Engelbergam, quæ suos legatos direxit apostolico, rogans ut redderet gratiam archiepiscopo. Quod cum impetrare nequiret, suo domino humiliter intimavit ut gratiam interferret suæ tuitionis archiepiscopo, vetans apostolicum ei nullam inquietudinem facere. Et quia inaudito principe apostolicus excommunicationes in eum protulit, gravis inimicitia inter eos facta est. Erectus est denique regius honor contra apostolicam dignitatem, objiciens ei antiqua patrum statuta : non licere prælato excommunicare episcopum, inconsulto synodali

atque Theutgaudus, Hlothariani divortii fautores, ad quos restituendos ipse Hludowicus cum uxore Romam hostiliter ingressus est[1]. Præterea, etsi Hludowicus Hlothario, fratri suo, in contentione illa quæ huic cum Nicolao propter repudiatam uxorem Thietbergam fuerat, nondum apertius favisset, tamen, Engelberga duce, magis ad gratificandum quam ad repugnandum inclinare videbatur[2].

Itaque, ut primum Nicolaus e vita excesserat, qui aut amissos honores desiderabant, aut rem suam male judicatam querebantur, ii statim ad auxilia imperatoria concurrerunt, si forte Hludowicus novum papam ad mutandas Nicolai sententias adducere valeret[3].

concilio, et quia synodus non a papa, sed ab imperatore vocari deberet », etc. (Pertz, *SS.*, t. III, p. 721.)

1. V. Hincmari *Annales*, a. 864 (Pertz, I, 462-5), in quibus inter alia plura hæc sunt, quæ Engelbergam præsentem ac rebus sese interponentem ostendunt : « ... imperator febre corripitur. Quapropter conjugem ad apostolicum mittit, cujus fidei jussione apostolicus ad imperatorem venit, et habita mutua sermocinatione, sicut inter eos convenit, apostolicus Romam ad Lateranense palatium rediit » (ibid.). Hanc etiam Romæ sedisque apostolicæ oppressionem persecutus est scriptor Vitæ Nicolai I, sed dum indignatur eorum procacitatem qui cum imperatore erant, de præsentia atque auxilio imperatoris cautissime reticuit. V. *Vitam Nicolai*, c. L, p. 199-200.

2. Waldrada, exeunte a. 865, ex Italia in Franciam ad Hlotharium redierat (v. supra, p. 95, n. 1); quæ fuga, nisi Hludowico imperatori probata fuisset, non video quo pacto potuisset succedere. Et hoc fit veri similius quod deinde Hludowicus apud Hadrianum papam maxime laboravit, ut Waldradæ indulgentiam absolutionemque excommunicationis obtineret. V. infra, p. 232; et *Hadrien II et les fausses décrétales*, p. 50, ubi ostendebam olim quas partes in illa quasi tragœdia Engelberga egerit. Nec est obliviscendum Hludowicum imperatorem cum Hlothario fratre pacem et concordiam conservare voluisse, ut ambo conjuncti Carolo Calvo regnum Provinciæ appetenti firmius repugnarent.

3. Quod quidem Anastasius, in epistola ad Adonem, professus est, sed ita tamen ut ab imperatore invidiam facti prudenter depelleret. Nam postquam exposuit quæ consilia, post mortem Nicolai, ejus inimici struerent, sic prosequitur : « Quorum conatus idcirco creditur ad effectum venire, quia imperatoris cum his manus esse, *falso ut credimus*, dicitur. » (Migne, t. CXXIX, p. 742, et infra in Appendice I.) Istud vero « falso ut credimus », utrum ex animo an ex industria dictum sit, alius ejusdem epistolæ locus argumento esse potest (v. infra, p. 229). Atque hæc etiam industria in Vita Hadriani II reperitur, cujus scriptor, in hoc saltem scriptori Vitæ Nicolai I similis (eumdem

Cujus consilii socium non magnum opus fuerat Arsenium conjungere; qui quidem, dum Nicolaus vivebat, haud ignarus ab illo pontifice per vim extorqueri nihil posse, atque eumdem solere, quo gravior erat oppressio, eo magis animum ad firmitatem intendere, prudenter agere in illis contentionibus anteposuerat quam propriam fortunam nihil proficiendo evertere, sed qui, defuncto Nicolao, personam depônere maturavit, et hoc minore religione quod ad extremum, ut supra vidimus, in offensionem hujus pontificis incurrerat[1].

Etenim Arsenius, nec passus rogari neque exspectans quidem donec Hadrianus in summum pontificem sacraretur, Guntharium Theutgaudumque archiepiscopos excommunicatos, spe recipiendæ dignitatis ostensa, Romam sua sponte vocavit; in quo non solum sibi proposuerat imperatoris gratiam fovere, sed etiam ab iis archiepiscopis nummos muneraque exprimere sperabat[2]. Et quod erat pollicitus, id ex parte ad eventum adduxit. Nam ex his condemnatis Theutgaudus Trevirensis, una simul cum Ana-

esse ego existimaverim), non solum diligenter cavit ne nomini imperatoris officeret, sed etiam occasionem laudandi arripuit. V. c. VIII et XIII, in quo, inter alia, mentio est de Hludowici « christianissima conjuge ». (Vignoli, t. III, p. 228.)

1. V. p. 97.

2. « Arsenius autem, magnæ calliditatis et nimiæ cupiditatis homo, spe falsa educens Theutgaudum et Guntharium de restitutione ipsorum, ut ab eis exenia acciperet, Romam venire fecit: qui diutius ibi manentes, pene omnes suos amiserunt, tandem autem Theutgaudus ibidem mortuus est, et Guntharius vix corporis mortem evasit. » Hincmari *Annales* (Pertz, I, 476). Hæc quidem Hincmarus in a. 867 retulit, sed quoniam Theutgaudus fato functus est vertente a. 868 aut parte priore a. 869 (v. Johannis diaconi *Vitam Gregorii M.*, lib. IV, c. XCIV, ap. Migne, *P. L.*, t. LXXV, p. 238; et *Annales Xantenses*, ap. Pertz, *SS.*, II, 233, in quibus mors Theutgaudi in a. 869 commemoratur), atque illud Guntharii periculum accidit a. 869, cum nempe Hlotharius ejusque socii, quorum Guntharius unus fuisse videtur (Hincmari *Annales*, a. 869, p. 481), febre in Italia correpti sunt (ibid., p. 482), ex his colligo Hincmaro non morem fuisse ut singula facta singulo quoque anno in suos Annales referret, sed hæc aliquando multo post scribere incepisse.

stasio bibliothecario atque cum Zacharia Anagnino, communionem ecclesiasticam, per ipsam illam missam qua Hadrianus ordinatus est, recepit[1]; ut sic Arsenii filio ingratum illud acciderit, ut in hac restitutione sacerdotali invisorum hominum contagione læderetur.

Hæc quidem Anastasii gaudio aliquid triste miscuerant, at nihil erat molestius quam quod a Nicolai inimicis, favente imperatore, parari ferebatur. Quod si isti hoc sibi tantum statuissent ut de Nicolai sententiis aliquid derogaretur, Anastasius, quanquam illarum scriptor fuerat, id tamen fortasse non tulisset ægrius; ipse enim postea quam se propenso animo talium inceptorum comitem, propter suum proprium emolumentum, adjunxerit, nos deinceps videbimus. At Nicolai decreta non modo mutata esse, sed notata deletaque volebant[2], et hoc eam ob causam cujus infamia in ipsum Anastasium magna ex parte redundaret. Non solum enim ex Nicolai rebus gestis, verum ex iis maxime quæ erant ejus nomine scripta, accusandi causa quærebatur, eoque ventum erat ut in illis commenta hæretica reprehenderentur[3]; quæ accusatio et plaga ad Anastasium

1. V. *Vitam Hadriani II*, c. x (cit. supra, p. 6, n. 6). Theutgaudo Hadrianus etiam concessit ut in monasterio S. Gregorii ad clivum Scauri habitare posset. V. Johannis diaconi *Vitam Gregorii M.*, l. c., p. 237. Sed si quærimus cur Guntharius eamdem indulgentiam non statim obtinuerit, causa esse videtur sive quia in eo culpa major erat (v. Hincmari *Annales*, a. 864, p. 465), aut quod satisfactionem dare noluisset. Quæ ut data est a. 869, Guntharius communionem inter laicos ab Hadriano accepit (v. Hincmari *Annales*, a. 869, p. 481-2). Quin etiam olim ostendebam Hadriano papæ hanc mentem fuisse ut Guntharium et Zachariam in episcopalem dignitatem restitueret (v. *Hadrien II et les fausses décrétales*, p. 21-22); quod certe de Zacharia deinde perfecit (v. *Le pape Formose*, p. 160-1).

2. « ... ejus acta penitus infringere nitebantur. » *Vita Hadriani II*, c. XIV, p. 228.

3. Quam conspirationem videas quomodo Anastasius denuntiaverit, quam severe iste olim ter quaterque excommunicatus de aliis excommunicatis sit locutus : « Verum nunc, ait, congregatio omnis, quos ille (Nicolaus) vel pro diverso adulterii genere, vel pro aliis criminibus redarguit, ad hoc exarserunt, ut universa ejus opera destruere et *cuncta scripta delere* meditari non me-

Nicolai in scribendo assiduum adjutorem pertinebat, eique, ut ita dicam, infigebatur qua vulnus penetraret intimius, id est, in hanc sui existimationem qua se Bibliothecarius scientia doctrinaque excellere putabat. Quibus si addideris ex hoc numero excommunicatorum qui Nicolao crimen hæresis inferebant, eos fuisse qui quondam hunc papam denuntiaverant sceleratum Anastasii magisterium in omnibus decernendis adhibere solere, ut esset forsitan hic rumor longe lateque diffusus [1], jam plane perspicies iste bibliothecarius quam difficili in loco versaretur, cum præsertim Hadrianum II idem velle quod Nicolai inimici, multi palam prædicarent [2].

tuant »; et infra crimen hæresis Nicolao illatum sic significat et refutat : « præcipue cum... nec hæresi unquam, *ut fingunt,* annuerit ». Anastasi. *Epist. ad Adonem* (Migne, t. CXXIX, p. 742, et infra in Appendice I). Sunt qui opinentur Nicolaum reum hæresis factum fuisse, quod Gothescalci de gratia divina et libero arbitrio opinionibus annuisset (v. *Histoire littéraire de la France,* t. V, p. 464); at supra probavi nihil quidquam a Nicolao in hac causa esse judicatum (v. p. 129-130). Est quidem in *Responsis ad Bulgaros* sententia quædam de formula in baptismum adhibenda quam multi falsam existimant (v. *Respons.* CIV, ap. Migne, t. CXIX, p. 1014-1015), sed, quamvis hic locus theologorum ingenia torqueat, tamen non veri simile est rem parvi momenti, quæ fortasse in notitiam Occidentalium hominum non venerat, causam criminandi tam graviter præbuisse. Quapropter, cum nihil aliud possim certo proponere, res in medio relinquenda videtur.

1. Hæc quidem Capitula, in quibus Anastasius tanta acerbitate verborum vapulabat, Guntharius et Theutgaudus primum soli Nicolao scripserant, sed deinde, mutatis quibusdam, ad omnes episcopos mitti voluerunt. Et hæc sane vix dubium est quin in Orientem ad ipsum Photium pervenerint (v. *Le pape Formose,* p. 131). Exemplar eorum Capitulorum quæ Nicolao missa sunt scriptor Annalium Fuldensium in manibus habuit, atque integrum descripsit (v. *Annales Fuldenses,* a. 863, Pertz, I, 377-8), alia vero ad episcopos mittenda Hincmarus in suos Annales retulit (v. Hincmari *Annales,* a. 864, ibid., p. 463-4). Hoc tamen notandum est, in exemplari Hincmariano non esse illum locum ubi mentio est Anastasii. Quod utrum fuerit huic exemplari proprium ac singulare, an Guntharius et Theutgaudus ipsi in omnibus exemplaribus ad episcopos missis deleverint, judicare non possum.

2. Hæc de Hadriani voluntate cur et quam falso dicerentur, sic scriptor Vitæ Hadriani II significavit : « Quorum scilicet (Nicolai) hostium quia nonnullos parturientes injustitiam conceptum dolorem effusuros esse cognoscens (Hadrianus), penes se, velut zizaniam inter frumenta, usque ad maturitatis tempus dispensatorie retinebat, rumore fallaciter exsurgente, creditum est, quod

Anastasius profecto si rem æquabiliter, non ex ambitione considerasset, nihil prorsus debuit Hadrianum papam cavere, qui quidem, ut liberalissimus erat et beneficentissimus [1], Nicolai I sententiis nonnihil laxamenti dare meditabatur, sed, quamvis imperatori morem in multis gereret, tamen ad infamandum decessorem suum et sic sedi apostolicæ per ignominiam unius papæ inurendam labem, non se esse paratum pluribus documentis ostenderat.

Nam, ut omittam scriptorem Libri pontificalis, qui nimis studii in hac re habere videtur [2], tantum aberat ut Hadrianus Nicolai scripta opinionibus hæreticis referta existimaret, ipse in suis litteris conscribendis eumdem socium adjutoremque Anastasium habere voluerat. Quid? Anastasio, in omnibus epistolis quas Hadriani nomine, ineunte illo pontificatu, composuit, integrum et liberum fuit hoc præceptum crebro usurpare : Nicolai quidem judicia mitiganda videri, sed ea evertenda non esse, nec maculandum tanti pontificis splendorem [3]. Quæ certe, Hadriano papa aut ultro præcipiente, aut saltem annuente, scribe-

omnia decessoris sui acta, quæ ille zelo divino sanxerat, hostes vero ejus ad proprios libitus infamabant, voluisset infringere. » (Vignoli, III, p. 228-9.)

1. Cujus liberalitatis mirum exemplum in Vita Hadriani relatum est (c. II, p. 220; v. etiam c. XI, p. 227). Huic autem pontifici non hoc consilium esse ut factioni imperatoriæ unice inserviret, sed ut pacem conciliaret inter omnes, ex hoc apparebat quod nullam curam habuerat priorem quam ut fautores victæ factionis ab exsilio revocaret. V. *Vitam Hadriani*, c. XIII, p. 227-8.

2. Ex hoc testimonio, Hadrianus II decessoris sui « conversationis exempla sic sollertissime sequebatur, ut ab hostibus sancti Nicolai, quia omnibus ejus acta penitus infringere nitebantur, Nicolaitanus et scriberetur, et publice diceretur. » *Vita Hadriani II*, c. XIV, p. 228.

3. Quin etiam, die 2 mens. Febr. a. 868, Anastasius, ex Hadriani person ad synodum Tricassinam scribens, non solum jusserat « apostolicæ recordationis papam Nicolaum in codicibus vel diptychis ecclesiarum scribi, et nomen ejus inter sacra missarum sollemnia recitari », sed deinde de iis locutus quæ adversus Nicolai scripta parabantur, hæc diserte potuerat scribere : « scientes præterea, quia quæcumque hic adversus ejus personam vel decreta gerentur, *me his nunquam præbiturum consensum* » (Migne, t. CXXII, ep. 3, p. 1262). Cf. Hadriani *Epist. ad Adonem* (ibid., ep. 12, p. 1274-5; et infra, p. 229).

bantur. Neque Arsenius quidem, quantumvis licet se imperatori venditaret, is erat qui existimationem filii sui violari pateretur.

At hæc non satis erant ad metum Anastasii eamque, quam alebat animi superbia, suspicionem depellendam. Itaque, ne quid Hadrianus, Arsenii ductus consilio, de Nicolao gravius consuleret, fœdus quoddam societatemque resistendi conflare statuit; ut is qui antea, si quando Galli episcopi se a Romanis sedeque apostolica in libertatem vindicabant, increpare solitus erat verbis acerrimis, idem, ut se a summo pontifice et Romanis tueretur, episcopatus Gallicani auxilium imploraverit.

Erat enim Gallus quidam archiepiscopus, Ado Viennensis, quo nemo videbatur aptior qui et Anastasii consiliis accederet et plures alios episcopos in consensionem impellere valeret. Is enim cum esset, ut ego conjectura ducor ad credendum, Anastasii consobrinus atque Arsenii nepos [1], at certe utriusque amicissimus [2], tum etiam eo erat ad Nicolai defensionem propensior quo ipse hunc sibi benevolentiorem papam ac singulariter conjunctum habuerat [3].

1. V. Appendicem I.

2. Necesse est magnam fuisse Anastasii cum Adone familiaritatem atque amicitiam, ut is presbyter archiepiscopum illum in inscriptione litterarum suarum « dilectissimum » vocaverit (Migne, t. CXXIX, p. 741, et in Appendice I). Atque quam intime etiam Arsenius Adone uteretur, probat illa provincia quam Anastasius ab Adone apud parentem suum suscipiendam in illis eisdem litteris rogavit (v. infra, p. 228). Hanc autem familiaritatem, etiamsi vincula propinquitatis non interessent, inde conflatam esse intelligimus, quod Ado, et cum esset juvenis, et Nicolai temporibus, Romam venerat (v. Hincmari *Annales*, a. 866, p. 472, et infra in Appendice I). Huc adde quod, a. 865, Nicolaus Arsenio in Gallias proficiscenti præceperat ut Adonem conveniret consiliaque cum illo consociaret. Hæc enim Anastasius ad Adonem ex Nicolai persona scribebat : « Alias autem misimus Arsenium venerabilem episcopum, apocrisiarium et missum apostolicæ sedis et consiliarium nostrum, Galliarum et Germaniæ partibus *de negotiis instantis temporis quædam vobiscum rimaturum ac inventurum.* » (Migne, t. CXIX, ep. 81, p. 917.)

3. Ut ex Romanis Anastasius atque Arsenius, sic Ado ex Gallis episcopis maximam Nicolai gratiam sibi conciliasse videtur. Primo quidem, si Ph. Jaffé

Adonem igitur Anastasius totius rei conscium et ducem adhibet; huic illam epistolam mittit, in qua videlicet magnam religionem pietatemque præ se ferebat, sed cujus nos jam rationem atque industriam inspicere possumus.

Etenim, postquam explicavit quid contra Nicolaum cogitaretur, et quam spem hujus pontificis inimici in imperatore posuissent, sic ad suum consilium propius accedit : « *Hæc ergo*, inquit, *cunctis fratribus nuntiate, et in quibus prodesse posse confiditis, laborare pro domo Dei curate. Nam si tanti pontificis acta cassantur, vestra, quæso, ubi parebunt? Verum scio quia, licet apud nos paucos, apud vos tamen reliquit sibi Dominus plurimos qui non curvaverant genua ante Baal. Habemus autem præsulem Hadrianum nomine* (hic animadvertas quam perite laudes Hadriani

audire velimus, Nicolaus Adoni pallium petenti satisfacere noluisset, donec is archiepiscopus quid de quinta et sexta synodis sentiret apertius significasset (Jaffé, *Regesta*, n. 2693); at neque Jaffé neque *Regestorum* recentiores editores illam Nicolai epistolam satis accurate legerunt, cum in ea pallium concedi haud obscure significetur (v. Migne, t. CXIX, ep. 15, p. 796). Plures autem aliæ Nicolai ad Adonem epistolæ adhuc exstant (v. Jaffé, n. 2697, 2750, 2755, 2772, 2790, 2836, 2876), ex quibus apparet ipsum Adonem in litteris Nicolao scribendis creberrimum fuisse. Nam, ut unum de multis afferam, sic Nicolaus ad illum archiepiscopum scribebat mens. Dec. a. 864 : « Sæpe sanctitatis vestræ litteras suscepimus, quæ nos monebant et obnixe rogabant, ut de ecclesiasticis causis Ecclesiam vestram qualiter agere deberet instrueremus. » (Migne, t. CXIX, ep. 69, p. 889.) In una quidem earum Nicolai epistolarum, archiepiscopus Viennensis non sine quadam ironia carpitur. Sed fides quæ tum Adoni erat apud sedem apostolicam non idcirco derogata est, cum deinde Nicolaus archiepiscopatum Viennensem privilegiis atque honoribus ornaverit. (V. Nicolai *Epist. ad Adonem*, ap. Migne, t. CXIX, ep. 151, p. 1151; cf. Jaffé, n. 2876.) Est etiam alia quædam Nicolai ad Adonem epistola, qua archiepiscopus Viennensis sedis apostolicæ Vicarius in septem Galliarum provincias constituitur; sed hoc scriptum spurium esse quidam existimant. (V. Jaffé, n. 2877; Migne, t. CXXIX, p. 1015.) Nec solum Ado litteris et missis et allatis consuetudinem cum Nicolao papa habuit, sed ipse Romam venit, a. 866 (v. Hincmari *Annales*, a. 866, p. 472). A quo itinere non ita pridem redierat, cum, extremo a. 867, legatum ad Nicolaum misit, qui Romam, jam sedente Hadriano, ingressus est (v. Hadriani II *Epist. ad Adonem*, ap. Migne, t. CXXII, ep. 2, p. 1261). Quare Anastasium huic legato suam ad Adonem epistolam dedisse et plura alia verbo commisisse vehementer suspicor.

cum suspicionibus conjungantur), *virum per omnia, quantum ad bonos mores pertinet, valde strenuum et industrium. De quo adhuc utrum ecclesiastica negotia omnia an partem curare velit, ignoramus. Pendet autem anima ejus ex anima avunculi mei*[1], *vestri vero* (hic patet aliquod verbum deesse) *Arsenii, quamvis idem eo quod inimicitias multas obeuntis præsulis pertulerit, ac per hoc imperatori faveat* (vides quam parum sincere Anastasius supra dixerit imperatorem pro Nicolai inimicis non stare[2]), *a studio ecclesiasticæ correctionis paulolum refriguisset. Quem cito, quæso, vestris sacris monitis rursus inflectite, ne diebus suis, dum valet apud suum imperatorem et summum pontificem, Ecclesia Christi, ut maxime prima*[3]... »

Benignum sane est, nec bono filio indignum id quod Anastasius ad mutandam Arsenii voluntatem proponit, ut ad illum litteræ cum sacris monitis scribantur; sed istud maxime observes, egregius ille Nicolai laudator, qui nihil aliud curæ habuisset nisi hujus pontificis nomen ac gloriam, quam tamen impudenter, ut patrem virtute deficientem excusaret, totam causam defectionis in ipsum Nicolaum transtulerit.

Sed leonum, ut aiunt, animi index cauda. Itaque epistolæ jam perfectæ Anastasius embolium quoddam addidit, in quo, postquam Adonem vehementer rogavit ut ab iis quæ Romæ parabantur et ipse præcaveret, et reliquos metropolitanos ad præcavendum hortaretur, sic suum consilium apertissime profitetur: « Unde etiam scribo vobis et per Deum contestor ne consentiatis neque appro-

1. Hunc locum, ut est in editis, nunc ad litteram refero; sed ostendam postea legendum esse verius hoc modo : « Pendet autem anima ejus ex anima avunculi vestri, mei vero (*f.* patris) Arsenii. » V. Appendicem I.

2. Cf. supra, p. 221, n. 3.

3. Manca est in editis hæc ultima periodus. V. Anastasii *Epist. ad Adonem* (Migne, t. CXXIX, p. 742, et in Appendice I).

betis, immo resistatis iis quæ contra Nicolaum papam agi tentantur[1]. »

Hæc quidem Bibliothecarius cum Adone amico. At major etiam industria fuit, qua iste Hincmarum ad eamdem concertationem ausus est excitare.

Etenim, quoniam Hincmarus Remensis sæpe contentionem cum Nicolao habuerat, nec dubitaverat quidem aliquando hujus pontificis scripta atque decreta severe notare[2],

1. Ibid. Non multo post Anastasius, Hadriani II nomine scribens, episcopos Galliæ de Nicolai decretis diligenter servandis admonuit; ac quanquam debuerat cautius propter pontificem loqui, tamen in utroque scripto tanta est similitudo cum orationis, tum quarumdam sententiarum, ut jam olim hæc duo ab eodem scriptore composita esse collegerim (v. *Hadrien II et les fausses décrétales*, p. 28-29, n. 7). Quam collationem utile est hoc loco repetere :

ANASTASII EPISTOLA AD ADONEM.

« ... intimetis *ne*, si hic factum fuerit concilium, *sic* quasi recuperationem sui status assequantur, *ut in* derogationem defuncti præsulis prosiliant, *præcipue* vero *cum* hunc nullus *redarguerit*, et modo qui objectis respondeat non supersit... Unde etiam scribo vobis et per Deum contestor ne consentiatis neque approbetis, immo resistatis iis quæ contra Nicolaum papam agi tentantur, *quoniam* auctoritas hujus Ecclesiæ mox dissolvitur, *si præsul* e... (deest aliquid) addicitur. »

(Migne, t. CXXIX, p. 742.)

HADRIANI II EPISTOLA AD SYNODUM TRICASSINAM.

« Tantum *ne* ejusmodi homines *sic* innocentiam suam asserere studeant, *ut in* accusationem tanti pontificis maximeque in Dei judicio collocati quoquomodo prorumpere audeant, *præcipue cum* illum, dum advixit, nemo impetere præsumpserit, vel eum de injusto judicio *arguere* vel tenuiter ausus exstiterit... Estote igitur circa hæc vigiles, estote fortes, et ista omnibus ultra Alpes constitutis episcopis nuntiantes, ut et ipsi super his solliciti et intenti propugnatores sint salubribus monitis incitate, *quoniam si* sedis apostolicæ *præsul*, vel ipsius decreta detestationi vel abdicationi habentur, nullius vestrum vel nomen vel institutum firmum aut stabile permanere valebit. »

(Migne, t. CXXII, p. 1263.)

2. V. supra, p. 121, n. 6. Nec minus libere de quibusdam aliis litteris Nicolai Hincmarus locutus est : « Arsenius rediens, ait, epistolam Nicolai papæ plenam terribilibus et a modestia sedis apostolicæ antea inauditis maledictionibus detulit. » Hincmari *Annales*, a. 865 (Pertz, I, 469). Videas etiam quanta acerbitate idem archiepiscopus cum de restitutione Rothadi, tum de Wulfadi episcopali consecratione judicaverit. (Ibid., p. 468, et a. 866, p. 472.)

hinc erat periculum ne potentissimus ille archiepiscopus rei ab Anastasio compositæ non solum se nollet adjungere, verum etiam pro sua virili parte obsisteret. Hæc est, ut opinor, causa verior cur, primis Hadriani temporibus, Anastasius Hincmaro ejusque legato Actardo multa benevolentiæ atque obsequii signa ostentaverit [1], cur illius laudibus aures pontificis impleverit.

Sed in hoc maxime bibliothecarii nostri sollertiam admiremur! Quanquam enim Hincmaro Nicolai sententiæ complures displicebant, una tamen erat cujus ille ad propugnationem ac defensionem videbatur aptissimus. Ut enim ex omnibus Francorum regibus unus Carolus Calvus Hlotharii divortio constanter repugnaverat [2], sic Hincmarus, ne fieret istud regium adulterium, præter ceteros episcopos omni incubuerat studio atque opera [3]. Hac igitur parte, archiepiscopus Remensis præbebat quod manu, ut ita dicam, facilius caperetur ducereturque in communem pro Nicolai decretis pactionem. Itaque per Actardum legatum Roma in Franciam redeuntem litteræ apostolicæ delatæ sunt ex Hadriani persona ab Anastasio dictatæ, quibus Hincmarus, in iis quæ ad causam Hlotharii regis pertinerent, decretorum pontificalium custos defensorque honorificentissime constituebatur [4]; ut jam archiepiscopus Remensis,

1. De illis muneribus quæ Anastasius per Actardum ad Hincmarum ferenda curavit v. supra, p. 12, n. 1.

2. V. Nicolai *Epist. ad Carolum Calvum* (Migne, t. CXIX, ep. 148, p. 1142-3).

3. « In quo videlicet pietatis opere, quia de regibus idem dilectus alius noster Carolus, de sacerdotibus vero tu potissimum sedi apostolicæ sedule laborans concurristis et concertastis. » Hadriani II *Epist. ad Hincmarum* (Migne, t. CXXII, ep. 10, p. 1273). Quæ autem Hincmarus in hac causa scripserit, habes ordine descripta ap. Schrörs, *Hinkmar*, p. 528 sqq.

4. « Quamobrem tuæ fraternitatis industriam specialiter admonemus, uti quod super hoc olim negotio gessisti studium nullatenus enervari consentias; sed vice nostra fretus, coram regibus et præsidibus, de testimoniis Domini loqui non cesses, ita ut quod auctore Deo destructum est, nullis dolose machi-

cum ex officio publico, tum beneficii memoria obstrictus, in castris Nicolaitarum se tenere cogeretur.

Et hoc magis lætabatur Anastasius, quod ex omnibus rebus a Nicolao judicatis ea quæ de Hlotharii matrimonio decreta erant, tum periclitari maxime videbantur. Hadrianus enim II, quanquam decessoris sui de re illa sententiam et justam et interea observandam dixerat, tamen, Thietberga regina una cum Hlothario divortium flagitante, hoc concesserat ut, congregato magno concilio, res rursus quæreretur[1]. Atque ab illo Hludowicus imperator nuper-

nantium reædificari valeat argumentis. » Hadriani II *Epist. ad Hincmarum*, dat. VIII idus Martii, ind. I (Migne, t. CXXII, ep. 10, p. 1271-2; cf. Jaffé, n. 2905, et Flodoardi *Hist. Rem. eccl.* l. III, c. XXI, ap. Pertz, *SS.*, t. XIII, p. 515). In qua etiam epistola alia notanda sunt, quibus Anastasii ingenium rursus indicatur. Nam exordium scribendi capiens ab ornatissima laudatione Hincmari, iste non solum sollertissime curavit ut archiepiscopus Remensis admoneretur egregiæ illius famæ, qua esset apud Hadrianum II, auctores Anastasium atque Arsenium fuisse (v. locum supra citatum, p. 13), sed hæc etiam ejusdem pontificis nomine non sine audacia subjecit : « Qua de re sic animam meam tuæ dilectionis ardorem concepisse cognosce, tanquam si millies mutuis frueremur alloquiis. Habeto ergo nostræ repromissionis pignus, et in nobis, *ut in nostris antecessoribus, fiducia tota prorsus innitere.* » (Migne, ibid., p. 1272-3.) Et is qui nunc scribebat antecessores Hadriani II totam fiduciam prorsus habuisse Hincmaro, ipse nuper, ex Nicolai persona, hunc archiepiscopum fraudulentum et mendacem compellaverat. (V. supra, p. 118-121, 196-197.) Et duobus ante annis, iste dictator pontificalis, ut eumdem Hincmarum perderet, registrum litterarum Leonis IV diligenter evolverat (Leonis IV litteras quæ sunt in *Neues Archiv*, t. V, p. 380-1, n. 11, conferas cum Nicolai litteris ad episcopos synodi Suessionicæ et ad Hincmarum scriptis, ap. Migne, t. CXIX, ep. 107, p. 1095B-1096, et ep. 108, p. 1103C-1104), in quo sane potuerat perspicere huic pontifici Remensem archiepiscopum non ita probatum fuisse, sed aliquando habitum ut corruptorem promissionis, ut ecclesiæ Remensis invasorem, ut inflatum hominem inflexibili superbiæ tumore, ut virum non solum superbum et præ ceteris inobedientem, verum etiam superbiæ patrem et primogenitum præsumptionis (v. Leonis IV *Epist. ad omnes episc. Galliarum*, et *Epist. ad Hlotharium augustum*, in *Neues Archiv*, t. V, p. 390-1, n. 37, 38). Ita videlicet Hadriani II antecessores Hincmaro perfecte confiderant !

1. V. Hadriani II *Epist. ad Hlotharium*, scriptam ineunte a. 868 (Jaffé, n. 2892; Migne, t. CXXII, ep. 1, p. 1259). In hac enim epistola sic primum summus pontifex jubebat : « Duo igitur a te carnis devicto illecebra dudum commissa videntur illicita, quæ ab antecessore nostro piæ memoriæ papa Nico-

rime obtinuerat ut Waldrada concubina omni excommunicationis vinculo liberaretur [1].

Porro Anastasiani consilii is exitus qui sperabatur prospere processit; immo vero, si qui adhuc existiment hanc ad Adonem epistolam non mihi plane esse intellectam, jam videant quomodo eamdem ipse Ado intellexerit.

Dum enim Hincmarus commisso munere diligenter fungebatur [2], archiepiscopus Viennensis, Anastasium auctorem secutus, ceteros episcopos in conscientiam rei propositæ vocabat. Mox enim ex variis Occidentis partibus Romam episcoporum sollemnes epistolæ venerunt, Hadriano papæ hanc mentem inculcantes, Nicolaum I neque indoctum, neque hæreticum fuisse, sed veræ atque orthodoxæ philosophiæ virum; quare non esse illius infamandam memoriam,

lao censura fuerant emendata canonica. Unum videlicet, nefarium Thietbergæ legitimæ conjugis tuæ divortium; alterum vero, scelestissimus Waldradæ mœchæ concubitus : quæ non solum lex omnis divina reprobat, condemnat et fieri omnimodis vetat, sed etiam mundana prohibent jura. » (Migne, p. 1259.) Sed deinde hæc spes ostendebatur : « Super his autem, quibus se a vobis quærit (Thietberga) disjungere, tam repente sine multorum fratrum nostrorum consilio, et ingenti examine, finitivam nunc proferre sententiam, aut consensus nostri immaturam dare licentiam jure distulimus. Deo autem nobis salutis opem vitamque præbente, tam pro his quam etiam pro aliis ecclesiasticis causis synodum facientes, et talia subtili examine indagantes, ut secundum Deum salvi esse possitis, idonea satis intentione deliberabimus coram Deo Salvatore nostro, atque finiemus. » (Ibid., p. 1260.) V. *Hadrien II et les fausses décrétales*, p. 24.

1. « Quod tamen beneficium... instantiam precum et incomparabilem dilectionem desiderabilis et spiritualis filii nostri jam memorati et jugiter memorandi Augusti tam tibi celeriter impetrasse cognosce. » Hadriani II *Epist. ad Waldradam* (Migne, t. CXXII, ep. 5, p. 1263). Cf. Hadriani II *Epist. ad episc. Germaniæ* (Migne, ep. 6, p. 1264); et Jaffé, n. 2897, 2898, 2899, 2900. Quæ quidem omnia dictare debuit Anastasius, sed in his cum decreta Nicolai non oppugnarentur, atque potius laudarentur, tum etiam cautissimo illi bibliothecario non displicebat imperatorem in litteris apostolicis venditare. V. Hadriani II *Epist. ad Hludowicum Germanicum* (Migne, ibid., ep. 4, p. 1263; Jaffé, n. 2895).

2. V. Hincmari *Epist. ad Hlotharium regem* (Flodoardi *Hist. Rem. eccl.*, l. III, c. XXI, Pertz, *SS.*, t. XIII, p. 515) et *Epist. ad Johannem episc. Cameracensem* (ibid., c. XXIII, p. 531).

sed religiose excolendam [1]. Hoc eodem tempore, ipse Ado suo nomine litteras ad sedem apostolicam mittebat, summumque pontificem, ne quid decretis Nicolai derogaretur, libere, ne dicam liberius, monebat [2]. Quas monitiones, quamvis gravissimas, Hadrianus II non solum toleranter passus est, sed metum omnibus eripere cupiens, jussit ad Galliarum cunctos archiepiscopos mitti litteras apostolicas, quibus, ut antea Nicolaus, sic ipse Græcorum opiniones falsas improbabat [3].

Atque tam vehementes erant illæ suspiciones quas Ado ex Anastasio indicante acceperat, ut in suo *Chronico* ausus sit scribere : plurimos Galliarum episcopos in hac cogitatione ac timore fuisse, ne Hadrianus papa II, de via pietatis deflectendo, ecclesiæ Romanæ vulnus erroris infligeret [4].

Hinc etiam acerbissimæ illæ litteræ ab episcopis Pro-

1. V. *Vitam Hadriani II*, c. xv, p. 229.

2. Illæ quidem Adonis ad Hadrianum litteræ evanuerunt, sed quid in eis fuerit ex responso pontificali novimus (Migne, t. CXXII, ep. 12, p. 1274-6), cujus nempe hoc est exordium : « Epistolam sanctitatis tuæ magna cum exsultatione suscepi. Igitur quæ pro privilegiis Ecclesiæ Romanæ vel decretis decessoris mei apostolicæ memoriæ papæ Nicolai sine mutilatione servandis hortaris, laudamus, quæ suades admittimus, et quæ mones penitus approbamus. Si quidem acta præfati pontificis tanto a nullo patimur quolibet pacto convelli, quanto », etc. (ibid.). Quod Hadriani II responsum si cogitamus dictatum esse ab Anastasio, nihil est lepidius quam quomodo hic bibliothecarius suspiciones illas quas ipse per litteras commoverat, nunc idem Hadriani nomine levare nitatur, dicens Hadrianum atque Nicolaum esse quasi duos medicos quibus esset unum studium, sed quorum alter asperum medendi genus, alter lenia fomenta ad eosdem morbos sanandos adhiberet : « Si ergo, inquit, te scandalizat diversitas medicamentorum, cum magis debeat ædificare una eademque inventio medicorum, immo sanitas ægrotorum. » (Ibid.) Hæc autem Hadriani ad Adonem epistola data est die 8 mens. Maii a. 868 (v. Jaffé, n. 2907).

3. Quarum litterarum exemplar ab Hincmaro Remensi receptum Flodoardus et vidit et breviter complexus est in *Hist. Rem. eccl.*, l. III, c. xxi, p. 517. De illis tamen nulla mentio est apud Jaffé, neque apud recentiores *Regestorum* editores.

4. « ... Spiritu Dei tacti, periculum generale in ecclesia Dei oriri timebant, ne pontifex Romanus, favoribus inclinatus, ab ædificationibus pietatis exorbitando, Romanæ ecclesiæ vulnus erroris infligeret. » Adonis *Chronicon* (Pertz, *SS.*, t. II, p. 323).

vinciæ comitatusque Viennensis et Burgundiæ conscriptæ, quibus Hadrianus II cum Nicolao papa I non sine contumelia comparabatur. Nam, cum Hadrianus præcepisset ne quisquam, per illas regiones, injussu Hludowici imperatoris in episcopum sacraretur[1], ii præsules, adjutore, immo auctore, ut opinor, Adone Viennensi[2], ad summum pontificem hæc inter alia rescripserunt : « *Quid putamus, si beatissimus papa Nicolaus in diebus suis audisset, et in litteris*

1. Quæ Hadriani II epistola jam non exstat, sed de illa sic mentio est apud Hugonem Flaviniacensem : « Defuncto autem beato Nicholao cum imperante Ludovico successisset Adrianus, et litteras misisset Galliarum episcopis, ut non alios ordinarent episcopos nisi quibus præfatus imperator episcopatum concederet, et ordinari mandaret, non consenserunt venerabiles episcopi, sed pariter congregati litteris factis communiter suggesserunt papæ se decreta sanctorum patrum fideliter observare velle et secundum scita canonum episcopos consecraturos; quarum textus in cathalogo sacrarum scripturarum habetur. » Hugonis *Chronicon* (Pertz, *SS.*, t. VIII, p. 354). Has autem Hadriani litteras scriptas esse vertente a. 869, non multo post mortuum Hlotharium, recte existimant E. Dümmler (*Gesch. d. ostfr. Reichs*, t. I, p. 726) et Jaffé (*Regesta*, n. 2922). Etenim tunc summus ille pontifex, ut regnum Hlotharii ad Hludowicum imperatorem, secundum jus hereditatis, ex toto rediret, magnam diligentiam adhibebat, atque illius adhuc exstant litteræ quattuor quæ de hac re in Franciam cum legatis apostolicis missæ sunt, mense Septembri a. 869 (v. Migne, t. CXXII, ep. 20, 21, 22, 23; Jaffé, n. 2917, 2918, 2919, 2921). Hoc igitur episcopis Galliæ præcipiens, Hadrianus II non tam Ecclesiæ jura imminui quam Hludowici servari volebat. Sed mentem pontificis aliter judicare episcopis provinciæ Viennensis eo magis proderat, quo ex eis plures, at certe Ado archiepiscopus in Carolum Calvum propensior videbatur. Hanc autem Adoni propensionem fuisse, ex ejus *Chronico* satis apparet, in quo Carolus Calvus omni laude cumulatur, ob studium in disponendis causis ecclesiasticis celebratur, vocaturque rex.piissimus et inclytus et præclarissimus in regibus Carolus (Adonis *Chronicon*, Pertz, *SS.*, t. II, p. 323). Quapropter, si, anno 870, Carolus Calvus Viennam ingredi potuit non vi et armis, sed quia, ut ait Hincmarus (*Annales*, a. 870, p. 491), « ingeniose cogitans magnam partem eorum qui in Vienna erant sibi conciliavit », ad hoc vehementer suspicor Adonis operam non parum contulisse.

2. Sic autem opinor non solum quia auctoritas archiepiscopi Viennensis apud earum provinciarum episcopos multum valebat, sed quod etiam in illas easdem Hadriano II rescriptas litteras adhibita atque descripta est epistola quædam, quam, anno 865, Ado Viennensis a Nicolao I acceperat. Conferas enim Hugonis *Chronicon* (Pertz, *SS.*, t. VIII, p. 354-35) cum Nicolai ad Adonem epistola (Migne, t. CXIX, ep. 81, p. 917-8).

quasi ab apostolica sede confictis, quod layci comites non permitterent in civitatibus episcopos ordinari, nisi quos secularis potestas e latere suo misisset? Quid inde scriberet? Quo dolore moveretur? Quosve gemitus daret, cum perspiceret sacratissimum ordinem tam illicite tractari et ad tantum nefas prosilire quemquam ausum, ut de sede apostolica tam inconvenientia et extra usum ecclesiasticum omnino scriberet[1]? » Ita Galliarum episcopis, maximeque provinciæ Viennensis, Hadrianus papa II in contemptionem venerat! Ita ad injiciendam illam suspicionem litteræ artesque Anastasianæ maximam vim habuerant[2]!

Quam famam, etiamsi Hadrianus meruisset, indignum sane erat summum illum pontificem sic ab eo obtrectari quem nuper multis ornaverat beneficiis, quem munifice ecclesiæ Romanæ bibliothecarium creaverat, cuique summam rerum omnium fiduciam habere videbatur; cum

1. Hugonis *Chronicon*, l. c. Qua in re Hadrianus papa nec sincere nec juste reprehendebatur, cum ad consecrandos episcopos regis aut imperatoris assensum requiri nec esset novum, temporibus illis, neque inusitatum. Et hoc Ado Viennensis eo minus admirari poterat, quod ipse ante aliquot mensibus, jussu Hlotharii atque Hludowici imperatoris, quibus se sociaverat Carolus Calvus (v. Sirmond, *Concilia Galliæ*, t. III, p. 376-377), Bernarium in episcopatum Gratianopolitanum ordinaverat (v. Dümmler, *Gesch. d. ostfr. Reichs*, t. I, p. 682, n. 58). Quod quidem Nicolaus I de successore suo judicasset, difficile est cognoscere, sed scimus quid plures papæ ejusdem ætatis in re simili censuerint. Tantum enim abest ut hoc Hadriano II proprium ac singulare fuerit, ut Stephanus V dixerit se Reatinæ ecclesiæ episcopum consecrare non posse, donec imperator, *ut prisca consuetudo dictat* (sunt hæc illius verba), et Guidoni comiti Spoletino licentiam dederit, et sibi imperatoriam epistolam miserit (Stephani V *Epist. ad Guidonem comitem*, Migne, t. CXXIX, ep. 2, p. 794); ut ipse Johannes papa VIII hunc assensum ab imperatore aut a rege Italiæ haud indignum duxerit postulare (v. Johannis VIII *Epist. ad Carolomannum regem*, ap. Migne, t. CXXVI, ep. 214, p. 830; et *Epist. ad Supponem comitem*, in *Neues Archiv*, t. V, p. 298-9, n. 2).

2. Plus etiam iste obtinuerat quam deinde voluit. Nam cum episcopi Galliæ hæc ad Hadrianum rescriberent, Anastasius, mutatis studiis, in partes imperatoris confugerat apertius; vixque dubium est quin litteræ illæ pontificales, in quas Ado tam vehementer stomachabatur, ab eo bibliothecario scriptæ sint. V. infra, p. 243 sqq.

præsertim id quod olim, propter causarum ignorantiam, ab Anastasio sine ambitione factum putabatur, nunc nihil aliud esse nisi sui amorem atque existimationem dici jure possit. Nunc etiam, quia sæpe quæ seorsum et distinctis argumentis collecta sunt, si deinde conferuntur inter se, utrumque magis illustratur ac confirmatur ab altero, quis non videat, quod supra manifestum fecimus, ostendentes Anastasium Nicolai scripta et litteras composuisse, id ex hac tanta Anastasiana pro iisdem scriptis propugnatione atque opera, novo atque optimo argumento comprobari?

III. In hac igitur fortuna et ambitione jam plures menses vixerant Anastasius ejusque pater Arsenius, ambo simul circumventum Hadrianum occupantes, atque inter se, quanquam erat de Nicolao aliqua agendi diversitas, summa amicitia conjuncti, repente inexspectata procella fundatissima illa familia concutitur. Ruit Arsenii potestas, eodemque labefactata motu Anastasii fortuna inclinatur. Rem sane tragicam atque ejus ætatis morumque Romanorum lamentabile documentum[1].

Erat enim Hadriano papæ non nupta filia, quam olim, dum esset laicus aut clerus inferioris ordinis[2], ex Stephania uxore habuerat[3]. Hæc quidem, ut videtur, non prima florebat juventute[4]; sed ex quo præsertim tempore summi

1. Certa hujus facti monumenta Hincmarus Remensis Roma arcessivit eaque descripta in suos Annales transtulit, in annum 868. (Pertz, I, 477-9; et in Append. I.)

2. Supra enim, cum de Arsenii juventute agerem (v. p. 38), præterii dicere hunc morem, temporibus illis, fuisse ut clerici ordinis inferioris uxorem ducerent, ex quo incertum est utrum Hadrianus II hanc filiam laicus habuerit an clericus nondum ad sacros ordines provectus. Nam ex *Vita Hadriani* hoc unum novimus, hunc papam subdiaconatum a Gregorio IV accepisse (Vignoli, t. III, p. 219), qui papa fuit ab a. 827 ad a. 844.

3. V. Hincmari *Annales*, a. 868 (Pertz, I, 477).

4. Ipse Hadrianus, cum summus pontifex creatus est, natus erat annos quinque et septuaginta (v. *Vitam Hadriani II*, c. IV, p. 221), atque annum quintum et vicesimum ab ordinatione sacerdotali agebat (v. ibid., p. 221-2, in

pontifices non solum in res divinas cælestesque thesauros, sed in terrenum etiam imperium atque opes sane tractabiles dominabantur, non deerant ex nobilitate Romana, qui, fortunæ causa aut augendæ aut reparandæ, in papales familias nubere gestirent. Sic a Johanne papa VIII accepimus neptes paparum Nicolai I et Benedicti III tam laute esse dotatas ut, qui eas uxores duxerant, patricii decoctores, Georgius atque Sergius, ex rerum suarum ruinis ad affluentiam divitiarum exierint[1].

Quod de iis pontificibus si vere dictum est, qui tamen, antequam principatum Ecclesiæ obtinuerant, non luculentissimam familiam habuisse videntur[2], quanto magis appetenda erat affinitas cum Hadriano papa II, clarissimo illo genere, ex quo jam duo nati, Stephanus IV et Sergius II, ad honores summi pontificatus ascenderant[3].

nota); quibus annis si tempus addideris quo ille castimoniam in subdiaconatu observare debuit, concludes Hadriani II filiam non genitam esse post annum 840. Non enim credibile est legem ecclesiasticam palam aperteque ab eo esse violatam, qui, ut in Libro pontificali refertur, « presbyter ordinatus tam inculpabiliter deguit, tam viriliter ministravit, ut non tantum sicut factus presbyter, sed sicut futurus pontifex, reverenter ab omnibus coleretur ». *Vita Hadriani II*, c. I, p. 219.

1. Hæc Johannes VIII de Georgio, magistro militum : « Vivente nepte sanctissimæ recordationis Benedicti papæ, *cujus opibus de paupertate surrexerat...* » Johannis VIII *Epist. ad univers. Gallos et Germanos* (Migne, t. CXXVI, ep. 24, p. 678). De Sergio sic idem papa : « Sergium magistrum militum, Theodori magistri militum filium, qui reverendæ memoriæ domno Nicolao, cujus neptem in conjugium suscipiens... quique eadem sua conjuge, *propter quam de maxima paupertate convaluerat*, derelicta... » (Ibid.)

2. Nam in Libro pontificali neuter dicitur ex illustri loco ortus, quam tamen mentionem, si esset facultas, scriptores hujus Libri non omittebant. V. *Vitam Hadriani I*, c. I (Vignoli, t. II, p. 161); *Vit. Stephani IV*, c. I (ibid., p. 316); *Vit. Sergii II*, c. I (ibid., t. III, p. 35); *Vit. Stephani V*, c. I (ibid., t. III, p. 261). Theodorus autem, Nicolai I pater, clericus matrimonio conjunctus ac notarius regionarius fuit. V. *Vitam Nicolai I*, c. I (Vignoli, t. III, p. 170); cf. Jaffé, p. 320 et n. 2616, 2653; Coleti, t. IX, p. 1134 E, et infra, in Appendice I.

3. « Hic (Hadrianus II) ex proximitatis genealogia beatæ recordationis quarti Stephani, et Sergii junioris pontificum descendens. » *Vit. Hadriani II*, c. I (Vignoli, t. III, p. 219). Sed de Stephano papa IV jam dicebat scriptor

Itaque, electo Hadriano papa, Arsenius Hortensis ad ejus filiam statim respexerat, si forte cum illa filium suum posset conjungere. Erat enim huic episcopo præter Anastasium alter filius, Eleutherius nomine, qui si papæ efficeretur gener, non solum videbat Arsenius, justus pecuniæ æstimator, progeniem suam re fortunaque auctiorem futuram, sed, cum jam Anastasium apud Hadrianum collocasset bibliothecarium et litterarum dictatorem, sperabat se duobus adjutum filiis rerum Romanarum magis etiam potiri posse, et summum pontificem undique cinctum atque irretitum perpetuo in sua potestate retinere.

Et quidem Hadrianus II, ut tum nihil ab ista familia cavebat, in laqueum fortasse incidisset, nisi illam suam filiam, quæ ab Eleutherio ambiebatur, ipse antea despondisset alteri[1]; quam promissionem, jam factis sponsalibus, religioni habebat negligere.

Tres igitur menses ab Hadriano papa consecrato præterierant, nec spes erat Arsenio scrupulum pontifici ex animo evellere. Quod cum intelligit, admovet aliam machinam Eleutherioque auctor est ut filiam papæ rapiat, eamque sibi, injussu parentis, matrimonio jungat, ratus Hadrianum, si rem factam videret, jam non repugnaturum, sed æquo animo, id quod impedire non potuerat, serius ocius laturum.

At in hoc Arsenium fefellit conjectura. Re quidem vera Eleutherius mulierem haud egregie se tuentem invenisse videtur[2]; sed Hadrianus pater, ut filiam suam abductam

illius Vitæ : « Stephanus, natione Romanus,... nobili prosapia atque clarissimo genere ortus » (Vignoli, t. II, p. 316). Atque Sergii II sic genus celebratur : « Hic cum illustri editus a matre fuisset... » *Vit. Sergii II*, c. I (Vignoli, t. III, p. 35).

1. « Filiam Hadriani papæ ab alio desponsatam. » Hincmari *Annales*, a. 868 (Pertz, I, 477).

2. Quod conjicio ex hac Hincmari narratione : « Quarta autem feria post initium quadragesimæ (quæ, hoc anno 868, a die 7 m. Martii inceperat),

clandestinumque conjugium audivit, accepit magnum atque incredibilem dolorem [1]; ut Arsenius, metuens ne res ad imperatorem deferretur, summum pontificem prævertere confestim statuerit. Quapropter, Roma egressus, Beneventum properavit, eo maxime animo ut cum Engelberga rem totam componeret.

Neque iter ingrediens oblitus erat solitæ avaritiæ, atque ibat pecuniam suam portans et thesaurum. At Beneventum vix Arsenius pervenerat, cum subito in morbum desperatum incidit, atque Engelbergæ hæc una facultas fuit ut amici morientis extremum spiritum et gazam exciperet [2]. Qua de morte multi tum rumores manarunt, fabulis quidem permixti, sed qui sint argumento quam mala fuerit apud æquales istius viri existimatio. Ferebatur enim jacentem Arsenium circumdatum esse turba dæmonum, auditumque eorum cum episcopo moribundo horrendum colloquium, quo medio, ille quondam ab inferis et diabolo emersus, rursus in suam patriam sine viatico Christianorum abiisset [3].

Ergo tandem sedes apostolica ab illius oppressione liberabatur, qui tot annis rerum Romanarum pæne arbiter ac quasi effector paparum fuerat, cujus jugum vix ipsi pontifices Romani potuerant excutere. Quæ quidem liberatio magis evenisset feliciter, nisi Arsenius duos filios, haud indignam parente subolem, reliquisset.

Etenim, sublato Arsenio, Hadrianus papa magis instabat

factione Arsenii filius ejus, Eleutherius, filiam Adriani papæ ab alio desponsatam *dolo decepit* et rapuit, sibique conjunxit. » Hincmari *Annales*, a. 868 (Pertz, I, 477).

1. « Unde idem papa nimium est contristatus. » Hincmari *Annales* (ibid.).

2. « Arsenius ad Hludowicum imperatorem pergens in Beneventum infirmitate corripitur, et thesaurum suum in manus Ingelbergæ imperatricis committens... » Hincmari *Annales* (ibid.).

3. « ... et, ut dicebatur, cum dæmonibus confabulans, sine communione abiit in locum suum. » Hincmari *Annales* (ibid.).

filiam suam ab Eleutherio repetere, injustumque dirimere matrimonium; instabat maxime apud Hludowicum imperatorem, rogans ut, usitato more, legati imperatoris, ad rem ex lege Romana judicandam, mitterentur. Quod tandem obtinuit, sed non tam solatio quam majori etiam calamitati[1].

Nam ut vidit spes suas desperatas captumque sibi mox ereptum iri, Eleutherius, fœdissimum atque immanissimum monstrum, ne saltem alius possideret id quod ipse amittebat, filiam summi pontificis exstinguere molitus est. Atque, ut Hadrianum ulcisceretur atrocius, simulque et patri et conjugi insanabilem plagam inferret, Stephaniam, pontificis uxorem, ad filiæ interitum aggregans, ipse ambas una mulieres sceleratissimis manibus jugulavit[2].

Magnum sane, sed in hac nobilitate Romana atque temporibus illis non semel auditum nefas. Quod genus etiam facinoris, imperatore connivente, aliquando inultum abibat, ut neptis illa Benedicti III, quam Georgius maritus impune necavit[3]. Verumtamen Eleutherius, cui parentis auxilium jam non suppeditabat, hanc impunitatem non potuit consequi, sed ab imperatoris legatis comprehensus damnatusque justas pœnas sceleris morte dependit[4].

Interea vero Anastasius, quamvis interfectoris frater, in munere bibliothecarii atque in ipso papæ convictu impa-

1. « Quo mortuo (Arsenio), Adrianus papa apud imperatorem missos obtinuit, qui præfatum Eleutherium secundum leges Romanas judicarent. » Hincmari *Annales* (Pertz, I, 477).

2. « Stephaniam, uxorem ipsius pontificis, et ejus filiam quam sibi rapuit, interfecit. » Hincmari *Annales* (ibid.).

3. « ... pene publice jam dictam legitimam uxorem peremit. De cujus homicidio, et principibus adulterinos missos eruens, adjudicante conscio socero, nefandus gener impunitus exiliit. » Johannis VIII *Epist. ad univ. Gallos* (Migne, t. CXXVI, p. 678).

4. « Eleutherius a missis imperatoris occisus est. » Hincmari *Annales* (ibid.). Hæc autem medio a. 868.

vidus manebat, cum paulatim increbruit rumor illum fuisse Eleutherio suasorem et impulsorem necis. Quibus rumoribus mox accessit gravius quoddam testimonium. Nam Ado presbyter atque Anastasii consanguineus, audientibus multis, atque in ore ipsius pontificis asseveravit emissarium quemdam ab Anastasio ad Eleutherium venisse qui nefandam occisionem suasisset[1].

Præterea, ut solet fieri cum fortuna viri invidiosi nutare videtur, id quod quisque noverat prave ab Anastasio commissum, nunc palam profitebatur, alii recentiores dolos, alii antiqua facinora magna voce narrantes, multi liberius indignati quod, post tot interdictionum tantam auctoritatem, isti per papalem indulgentiam honores sacerdotii amissos recuperare licuisset[2]; ut Hadrianus, qui antea de amicissimo potentique bibliothecario nihil secus audierat, nunc delationes cotidie magis magisque reciperet.

Et vero recentem hominem ab acerbissimo animi dolore et iracundia in eum concitari cujus ipse conspectus memoriam luctus gravissimi renovabat, nec longum fuit nec magni negotii.

Magis fortasse consentaneum fuisset reum bibliothecarium statim in concilio audiri, nec prius dici sententiam quam causarum ex utraque parte facta esset contentio; sed Hadrianus ita animo commotus erat, artes Anastasianas ita præcavendas putabat, ut, ante synodale certamen, pœnam interim de illo sumptam esse voluerit.

Itaque, hoc anno 868, quarto idus Octobres, ad Sanctæ

1. Quæ ipse Hadrianus in suo *Decreto* sic retulit : « Modo vero, sicut multi vestrum mecum a quodam presbytero consanguineo ejus, nomine Adone, audistis, et aliis modis nobis revelatum est, beneficiorum quoque nostrorum immemor, hominem ad Eleutherium misit, exhortans homicidia perpetrari, quæ, sicut scitis, proh dolor ! facta sunt. » (Pertz, I, 479.)

2. « ... pro eo quod altiora se petens — quod sibi totiens interdictum fuerat — temere usurpavit, ac vetitum locum conscendit, satis nostra ecclesia murmuravit ac murmurat. » Hadriani II *Decretum* (ibid.).

Praxedis pergit pontifex maximus, atque, circumstante clericorum Romanorum corona multiplici, adductum Anastasium, postquam exprobravit tantis beneficiis quam ingratissime ille abusus esset, omni sacro ministerio, donec innocentiam in concilio purgaverit, rursus carere jubet[1]. Atque, ne interea Anastasius futurum judicium aut fuga declinaret, aut auxilium apud principes quæreret, illum ab Urbe plus quadraginta milibus discedere vetat[2].

At ex hac tempestate, quæ quemvis forsitan alium radicitus evellisset, Anastasius non solum ruinam perpetuam non passus est, sed fundamentum novæ atque firmioris fortunæ duxit; nec enim Hadrianus, cum hæc de isto bibliothecario decerneret, opinione præceperat se brevi tempore eumdem in antiquum locum gratiæ et dignitatis restituturum. Et quidem hoc jam factum esse exeunte anno 869, nihil habet dubitationis, cum ab eo tempore et se ipse Anastasius, et Anastasium alii æquales scriptores bibliothecarium sedis apostolicæ rursus nominent[3]. Adde quod ex

1. « Et ideo pro his omnibus et pro aliis multis, quibus ecclesiam Domini perculit atque læsit, quam etiam *subdolis machinationibus* hactenus tundere non desistit... judicii nostri sententia sancimus, illum eumdem Anastasium esse tenendum, quemadmodum de eo iidem domni pontifices Leo et Benedictus sollemniter et synodice statuerunt, nihil in ejus anathemate vel causa penitus adjungentes vel minuentes, nisi ut omni communione ecclesiastica privatus existat, donec de omnibus quibus impetitur nobis coram synodo rationem ponat; et qui cum eo in locutione, cibo vel potu communicaverit, pari excommunicatione cum eo teneatur annexus. » Hadriani II *Decretum* latum « in conspectu totius sanctæ Romanæ ecclesiæ ante hunc eumdem Anastasium apud Sanctam Praxedem positum, anno pontificatus domni Adriani, summi pontificis et universalis papæ primo, per 4 idus Octobris, indictione 2. » (Pertz, I, 479.)

2. Ibid.

3. Hoc enim anno exeunte, Anastasius imperatoris legatus Byzantium profectus est (v. infra, p. 245); de qua legatione sic ipse scripsit : « Verum ego qui Romanæ bibliothecæ curam gerebam, studium habui a Constantinopoli mecum ipsius synodi codicem deferendi. » Anastasii *Notæ in synodum VIII* (Migne, t. CXXIX, p. 39). Cf. *Acta synodi VIII*, act. X (ibid., p. 148B), et *Vitam Hadriani II*, c. XLII, p. 243, 244; c. XLV, p. 245.

litteris Hadriani II nomine scriptis satis apparet hunc dictatorem epistolarum pontificalium, a mense saltem Septembri anni 869 in pristinum munus rediisse [1].

Utrum vero ex hac restitutione colligere liceat Anastasio falsum crimen occisionis invidiose esse illatum, quod dein Hadrianus, re melius explorata, animoque sedatior agnovisset, an verius sollertissimus ille veterator, postquam imperatorem atque Engelbergam ad sui majus studium perduxisset, summo etiam pontifici innocentiam suam, quamvis nocens, persuaserit, seque iterum insinuaverit, ea quæstio non facile solvitur. Fuit profecto Anastasius qui moribus et natura a tali culpa non abhorreret; sed quoniam ipse Hincmarus Remensis rem in medio relinquendam judicavit, mihi rectius etiam videtur a ferendo judicio abstinere [2].

1. Hadrianus II, mortuo Hlothario rege d. 8 m. Augusti a. 869, ne in ejus regnum, quod ex jure hereditatum ad Hludowicum imperatorem redire videbatur, Carolus Calvus invaderet, complures litteras cum ad hunc regem, tum ad ejus proceres et episcopos scribi jussit (Jaffé, n. 2917-2920). De quibus litteris si illas proceribus atque episcopis missas cum ea epistola conferes quam Anastasius, a. 868, ad Hludowicum Germanicum Hadriani nomine scripserat, ex hac in duas alias componendas multa ad verbum descripta esse plane videbis. (Cf. Migne, t. CXXII, ep. 4, p. 1263-1265, cum ep. 20 et 21, p. 1291-1294.) Profecto, si res absolute consideratur, fieri potuit ut alius dictator, Registrum Hadriani II evolvens, repertam illam epistolam ab Anastasio compositam in suum commodum et opus converterit; sed multo veri similius est ipsum Anastasium, qui de re simili, anno superiore, ad Hludowicum Germanicum scripsisse recordabatur, id quod suum erat rursus assumpsisse; cum is præsertim, Nicolai I nomine scribens, quæ in quibusdam litteris jam dixerat, eadem sæpe in aliis ad verbum repetere soleret. Cf. Epistolam ad Hincmarum cum Epistola ad episc. synodi Suessionicæ (Migne, t. CXIX, ep. 106 et 107, p. 1093 sqq.), et Epistolam ad omnes Orientis patriarchas cum Epistola ad clerum Constantin. (Coleti, t. IX, p. 1307 sqq., et p. 1375 sqq.).

2. Quanquam enim Hincmarus Hadriani papæ *Decretum* ante oculos habuit, tamen Anastasium tanto sceleri astrictum confirmare non ausus est, sed de hoc famam fuisse tantummodo significavit : « Eleutherius, ait, consilio, *ut fertur*, fratris sui Anastasii, quem bibliothecarium Romanæ ecclesiæ in exordio ordinationis suæ Adrianus constituerat, Stephaniam », etc. Hincmari *Annales*, a. 868 (Pertz, I, 477).

Hoc tamen pro certo habendum est, bibliothecarium illum, ex quo pristinam dignitatem recepit, Hludowicum imperatorem magis coluisse, atque, ut ita dicam, in paternam assentationem et gratiam successisse.

IV. Nondum enim verterat annus 869, tum apparuit quæ inter Anastasium et imperatorem intercessisset intimior conjunctio.

Nam cum Hludowicus, qui ab hoc ineunte anno filiam suam Ermengardam Basilii filio[1] collocare promiserat, legatos tandem elegit qui Constantinopoli pactionem nuptialem facerent, neminem rei aptiorem ducem quam Anastasium, sedis apostolicæ bibliothecarium, judicavit[2].

Hic igitur, quem comitabantur duo illustres homines, Suppo archiminister[3] Engelbergæque consobrinus, et

1. Fortasse Constantino, qui ex filiis Basilii natu maximus erat.

2. Quanquam apud scriptores temporibus illis æquales non reperi ex his duobus imperatoribus uter matrimonium proposuerit, tamen Basilium fuisse conjicio, tam quia is legationem, Euthymium videlicet spatharium, ad Hludowicum ultro misit (v. *Le pape Formose*, p. 150-3), quam quod illæ nuptiæ a Hludowico, non a Basilio ruptæ sunt (v. paulo inferius). Accedit ut ex hoc matrimonio Græcorum imperatori major appareret utilitas quam imperatori Francorum. Nam, si inter utrumque convenerat ut, ad expellendos Sarracenos ex ducatu Beneventano, Francis Græci auxiliarentur (v. Hincmari *Annales*, a. 869, p. 481), hæc spes erat Basilio, non solum Francorum subsidiis amissas provincias in Italia australi recipere, verum etiam, propterea quod erat Hludowico filia unica Ermengarda, totius Italiæ potiri. Ut ut sit, anno 869, duo imperatores hac in re consentiebant, teste Anastasio, qui ait se Hludowici legatum Constantinopolim ivisse «causa nuptialis commercii, quod efficiendum ex filio imperatoris Basilii et genita præfati Dei cultoris Augusti, ab utraque parte sperabatur simul et parabatur». Anastasii *Præfatio in synodum VIII* (Migne, t. CXXIX, p. 17; Coleti, t. X, p. 478). Contendit etiam Anastasius legationem illam quam ferebat, cum imperatoriam, tum pontificalem fuisse : «ferentem etiam, ait, legationem ab apostolicis meritis, decorato præsulatu vestro... In tam enim pio negotio, et quod ad utriusque imperii unitatem, immo totius Christi ecclesiæ libertatem pertinere procul dubio credebatur, præcipue summi pontificii vestri quærebatur assensus» (ibid.).

3. Sic appellatur in *Vita Hadriani II* (Vignoli, t. III, p. 243, c. XLIII); in Actis autem concilii œcumenici VIII, primus concofanariorum vocatur (Migne, t. CXXIX, p. 148; Coleti, t. X, p. 630; et infra, p. 246, n. 3). Fuit Piceni comes (v. Johannis diaconi *Vitam Gregorii M.*, l. IV, c. XCV, Migne, t. LXXV,

Evrardus (Eberhard) mensæ præpositus [1], ex Italia profectus circiter mensem Novembrem, Byzantium mense Februario anni sequentis advenit [2].

Quod quidem ad rem ipsam attinet quam gerendam Anastasius acceperat, nihil certi novimus, nisi pactionem illam nuptialem quæ tum composita est, ad irritum deinde cecidisse, cum Hludowicus, anno sequente, filiam suam Constantinopolim abduci renuerit [3]. Fuit tamen

p. 238; *Chronicon Casaurense*, l. III, ap. Muratori, *Script. rer. Ital.*, t. II[b], p. 800, 819), atque, expulso Lamberto, dux Spoletinus a Hludowico imperatore creatus est (v. Muratori, ibid., p. 935, 946). Obiit anno 879. V. Johannis VIII *Epist. ad Engelbergam* (Migne, t. CXXVI, ep. 241, p. 852).

1. V. *Acta concilii VIII* (l. c.). Idem qui dux erat Forojuliensis (v. Andreæ Bergomatis *Historiam*, § 8, in *Monum. Germ. hist.*, in-4, p. 226), quique uxorem duxit Giselam, Hludowici Pii filiam (v. Agnelli *Librum pontificalem*, c. CLXXII, in *Mon. Germ. hist.*, in-4, p. 389), vir, ut laicus illius ætatis, doctissimus (v. Wattenbach, *Deutschlands Geschichtsquellen im Mittelalter*, 5[a] edit., t. I, p. 164, n. 2). Exstat adhuc ejus testamentum (v. d'Achery, *Spicilegium*, t. XII, p. 488 sqq., et *Archivio Veneto*, t. VII, part. I, p. 19 sqq.).

2. Anastasium ejusque socios Constantinopolim eo tempore venisse probant Acta concilii VIII (Migne, t. CXXIX, p. 148; Coleti, t. X, p. 630); ex Italia autem circiter mensem Novembrem discessisse ex hoc veri simile est quod legati sedis apostolicæ qui paulo ante idem iter confecerant, tres menses in via fuerant, id est, a die 10 mens. Junii a. 869 (Jaffé, n. 2913, 2914) ad diem 15 mens. Sept. (v. *Vit. Hadriani II*, c. XXXVI, p. 240).

3. « Basilius... patricium suum ad Bairam (Bari) cum 400 navibus miserat, ut et Hludowico contra Sarracenos ferret suffragium, et filiam ipsius Hludowici *a se desponsatam* (Hincmarus hoc loco graviter fallitur) de eodem Hludowico susciperet et illi in conjugio sibi copulandam duceret. Sed quadam occasione interveniente, displicuit Hludowico dare filiam patricio. » Hincmari *Annales*, a. 869 (Pertz, I, 485). At in hoc etiam Hincmarus falli videtur, quod hæc anno 869 accidisse narrat. Nam si res se ita habuissent, Anastasius ad pactionem nuptialem faciendam Constantinopolim profectus esset tum cum Hludowicus propositum matrimonium abnegabat; quod sane dici nullo modo potest. Quare recentiores historici Hincmarianos *Annales* in hac re perperam, mea quidem sententia, sequuntur (v. Dümmler, *Gesch. d. ostfr. Reichs*, t. I, p. 704; O. Harnark, *Das karolingische und das byzantinische Reich*, p. 77). Hæc ego anno 870, non 869 adscribenda opinor. Causa autem renuendi fuisse videtur quod Græcorum exercitus ad Barim oppugnandam nihil juvisset; de quo quidem Hludowicus multum questus est in illa epistola quam a. 871 ad Basilium scripsit (v. *Chronicon Salernitanum*, ap. Pertz, *SS.*, t. III, p. 525). Sed Engelbergæ levitatem femineam ad id etiam multum contulisse existimo.

Anastasii labor et iter cum re alia large compensatum, neque iste sine causa professus est sibi Constantinopolim ingredienti lætissimum illum diem illuxisse ac triumphum.

Opportune enim acciderat ut, cum advenit hæc Hludowici imperatoris legatio, episcopatus Byzantinus, jussu Basilii legatisque sedis apostolicæ præsentibus, in Photio judicando condemnandoque versaretur[1]. Cujus etiam concilii in ultima sessione, Anastasio data est facultas ut honorifice consederet, atque cum omnibus episcopis et proceribus in Photium, jacentem hostem, anathema conclamaret[3]. Quo sane quid esse potuit Anastasio jucundius, illi scriptori qui se per litteras Nicolai I et Hadriani II ad hos felices exitus maxime contulisse jactabat, qui universum orbem adversus Photium concitaverat? Quam illi gloriosum se scriptorem dicere posse illarum epistolarum quas tum synodus œcumenica recitabat, quibus plus ducenti episcopi acclamabant[4]! Nec mirum si iste, elatus inflatusque insolentia, adventum suum in urbem Byzantinam

1. « Igitur cum hæc celebraretur venerabilis synodus, accidit me famulum vestrum missum a Ludovico piissimo imperatore cum duobus aliis viris insignibus interesse. » Anastasii *Præfatio in synodum VIII* (Migne, t. CXXIX, p. 17; Coleti, t. X, p. 478). Hæc synodus, quæ œcumenica octava dicitur, inceperat die 5 m. Octobris a. 869 (Migne, ibid., p. 29; Coleti, p. 487).

2. Quæ habita est « pridie kalendarum Martiarum » a. 870 (Migne, ibid., p. 147; Coleti, ibid., p. 629).

3. « Similiter consederunt in dextera parte gloriosissimi principes et apocrisiarii perspicui Ludovici imperatoris Italorum atque Francorum, videlicet Anastasius Deo amabilis bibliothecarius Romæ, Suppo primus concofanariorum (mendose, pro *guntfanariorum*, Italis *gonfaloniere*, Gallis *gonfalonier*, id est, signifer; v. Du Cange, *Glossarium*, a. 1733, t. III, p. 1003) et consobrinus uxoris ejus, et Evrardus præpositus mensæ ipsius. » *Acta concilii VIII*, sess. X (Migne, t. CXXIX, p. 148; Coleti, t. X, p. 630.)

4. Nicolai, in hoc concilio, recitatæ sunt epistolæ quinque (v. Coleti, t. X, p. 529, 535, 539, 548, 572), Hadriani autem epistolæ quattuor (Coleti, p. 489, 520, 591, 592) et tres *allocutiones* in concilio Romano m. Junio a. 869 habitæ (Coleti, p. 593, 596, 597). Has etiam Hadrianeas litteras ab Anastasio saltem ex parte dictatas esse pro certo habendum est (v. supra, p. 112-3); sed quoniam ex his duæ (quæ reperiuntur ap. Coleti, p. 489, 520) mense Junio a. 869

divino consilio accidisse dixerit : « Dei ergo nutu, inquit, actum est ut tanti negotii cum loci servatoribus[1] apostolicæ sedis et ipse fine gauderem, et veniens fructuum in exsultatione portarem manipulos[2]. »

At vero, quantumvis licet Anastasius in hac victoria lætaretur, eum tamen non fallebat Græcorum episcoporum voluntatem, quæ posita erat in imperatoris voluntate, fragilem esse atque caducam, fierique posse ut deinde Photius eorumdem plausu restitueretur a quibus nunc magna expellebatur exsecratione. Quapropter, ne saltem, si id fieret, prioris judicii memoria posset deleri, Anastasius, dum Byzantii moratur, omnem cautionem adhibet. Quæ sane astutiæ cum astutia, bibliothecarii Romani cum Græcis episcopis certatio, singulare præbet spectaculum.

Etenim, perfecto concilio, sedis apostolicæ legati, qui græcis litteris eruditi non erant[3], Anastasio Acta synodalia detulerant diligentissime investiganda, ne in his aliquid

scriptæ sunt (v. Jaffé, n. 2913, 2914), quæritur hoccine tempore jam is bibliothecarius et dictator officium suum recuperavisset. Ego vero epistolam nullam ab Anastasio abjudicare ausim, non solum quia illum arbitror in pristinam fortunam celerius rediisse, sed quod etiam omnes illæ Hadriani litteræ et sententiis et stilo similes inter se videntur.

1. Id est, legatis.

2. Anastasii *Præfatio in synod. VIII* (Migne, t. CXXIX, p. 17 ; Coleti, t. X, p. 478 ; cf. supra, p. 112-3). Haud equidem aliter sentire videtur auctor Vitæ Hadriani II, cujus ex testimonio Anastasius « Constantinopolim, divina, *ut creditur*, dispensatione pervenerat » (Vignoli, t. III, c. XLII, p. 244). Sed velim animadvertas hic scriptor æqualis quantum Anastasii assentationem affectaverit, eum prudentissimum appellans, et eloquentissimum, et disertissimum, et fidelissimi auxilii (ibid., c. XLII, XLV, LX, p. 244, 245, 251) ; cujus rei causam esse suspicor, quod auctor hujus Vitæ, quia ad defendendos sedis apostolicæ legatos (ipse, ut opinor, unus ex his legatis fuerat) Anastasio quædam detrahere debuit quæ iste bibliothecarius Byzantii a se facta gloriosius prædicabat (v. infra, p. 249-253), idcirco magis necessarium duxit potentissimum illum hominem multis laudibus delinire. Ita erat Anastasius apud Romanos magna in auctoritate et timore.

3. V. supra, p. 52-53.

aut esset additum aut amputatum. Quæ cum legeret Anastasius, in epistola quadam Nicolai I animadvertit (idque eo facilius quod illius fuerat scriptor) quodcumque Hadrianus II, Arsenio imminente, in laudem Hludowici imperatoris adscriptum voluerat, Græca conversione esse deletum[1].

Hinc magna indignatio Bibliothecarii, qui quidem hoc parentis sui pro imperatore studium olim notaverat, sed nunc quam maxime poterat æmulabatur. Hinc animum legatorum pontificalium ita accendit, ut ii jam Actis subscribere recusarent, ac prope fuerit ut, ob eam causam, recens utriusque ecclesiæ concordia periret[2].

Post hæc autem Anastasius statim aliam occasionem probandæ diligentiæ nactus est. Libellum enim quemdam græce scriptum episcopus quisque Byzantinæ diœceseos obsignare debuerat[3], in quo se et Photium juste

1. « Denique gestis salubriter omnibus, quæ in decem sessionibus synodi textus complectitur, legati sanctæ Romanæ ecclesiæ textum synodi, ne quid græca levitas falsum in eam congesserit, Anastasio sanctæ sedis apostolicæ bibliothecario, qui tunc temporis pro causa Hludowici serenissimi nostri Augusti cum Suppone archiministro post eos Constantinopolim divina, ut creditur, dispensatione pervenerat, subtiliter inquirendum, antequam subscribant, committunt. A quo, quia in utrisque linguis eloquentissimus existebat, studiosissime perscrutatus, omne quod ad laudem serenissimi nostri Cæsaris sanctissimus domnus Hadrianus pontifex in epistola sui decessoris, Arsenio episcopo imminente, adjecerat, resecatum inveniunt. » *Vita Hadriani II*, c. XLII, p. 243-4. Quæ vero fuerit ea Nicolai epistola, in qua Hadrianus II laudes imperatoris adscribi jusserat, prorsus ignoratur. Nam ne ipse quidem Anastasius, cum deinde Acta concilii œcumenici octavi latine convertit, epistolam ullam Nicolai his laudibus imperatoris auctam retulit, sed eas omnes transcripsit iisdem verbis et forma quibus olim Nicolai nomine scripserat. (Cf. Coleti, t. IX, p. 1299-1408, cum Coleti, t. X, p. 529, 535, 539, 548, 572.)

2. « Quapropter epistolam sedis apostolicæ fraudulenter corrosam summis clamoribus conqueruntur, fatentes se nullo modo synodalibus actionibus subscripturos, nisi totius epistolæ integritas gestis synodicis jungeretur. Hoc modo Romanis certantibus, Græcis vero non esse in synodo de laude imperatoris, sed de solius Dei tractandum altisone respondentibus, nomenque imperiale nostro Cæsari penitus invidentibus. » *Vita Hadriani II*, c. XLIII, p. 244.

3. V. *Acta synodi VIII*, sess. I (Migne, t. CXXIX, p. 36-7; Coleti, t. X, p. 497-8).

condemnatum habere et sedis Romanæ imperio obsequentem esse profitebatur[1]. Sed libelli vix erant traditi in manus legatorum pontificalium, qui eos Romam deferrent, cum episcopos complures facti pœnituit, atque imperatorem, ut hæc scripta repeteret, enixe rogarunt[2]. Quibus precibus obtemperavit Basilius; sed, quoniam hac in re dolus, non vis adhibenda videbatur, ipsi custodes qui libellos tueri ac conservare debuerunt, jussi sunt eos, dum sedis apostolicæ legati domo abessent, furto subdu-

1. Hæc libellorum historia cum in Vita Hadriani II, tum ab Anastasio in Notis ad Acta synodi VIII impositis, conscripta est, sed ea varietate, eo diverso studio ut ex hoc pateat illam Hadriani II Vitam bibliothecario nostro adscribi non posse. Cum enim Anastasius se hac in re omnia fecisse glorietur idque tam prudenter quam feliciter, legatos vero sedis apostolicæ ita imperite aut miserabiliter, ut scripta omnia sibi commissa amitterent, auctor contra Vitæ Hadriani, quanquam bibliothecarium multis effert laudibus eique partem re majorem tribuit, tamen legatos pontificios culpa levitatis liberat, laudat illorum prudentiam, negatque eosdem omnium scriptorum jacturam fecisse. Quapropter quidquid intersit inter utramque narrationem subinde atque ordine proponam, ut vetus illa de Anastasio Vitæ Hadriani II scriptore cantilena tandem aliquando valeat.

2. Hic jam animadvertas scriptorem Vitæ Hadriani et Anastasium non plane consentire; nam ex Vitæ narratione Græci episcopi chirographa sua recuperare voluissent, non solum quia in eis auctoritas sedis Romanæ nimium extolleretur, verum etiam quia legati pontificales Actis concilii subscripserant hac prudenti condicione, si Hadrianus papa ea probata haberet (v. *Vitam Hadriani II*, c. XLIII, p. 244). Quam prudentiam legatorum Anastasius silentio præteriit :

EX VITA HADRIANI II, C. XLIV.

« His expletis, quidam Græcorum imperatorem conveniunt, et Constantinopolitanam ecclesiam per oblatos libellos in potestatem Romanam redactam flebiliter conqueruntur, *ex dubietate subscriptionum*. Omnia quæ in synodo decreta fuerant, revolvenda cunctaque residuis erroribus confundenda fatentur, et nisi libellos reciperent, libertatem pristinam se non posse recipere fingunt. »

(Vignoli, p. 245.)

EX ANASTASII NOTIS IN SYNODUM VIII.

« Verum postquam omnes chirographa sua fecerunt, et testibus roborata tradiderunt, surrexerunt quidam eorum, et ad sanctissimum patriarcham Ignatium atque ad Basilium pium imperatorem accedentes, secreto dixerunt, non bene factum fuisse, quod Ecclesiam Constantinopolitanam tanta subjectione Romanæ subdi Ecclesiæ permiserint, ita ut hanc ei tanquam dominæ ancillam tradiderint. »

(Migne, t. CXXIX, p. 58; Coleti, t. X, p. 498-9).

cere. Quod quidem isti patrarunt, sed ita tamen ut partem tantum libellorum furari potuerint [1].

Ergo legati apostolici, ut rapinam sentiunt, rursus ad Anastasium atque ad Supponem confugiunt [2], quippe quos apud Basilium posse magis putarent. Et vero, si Bibliothecarium audiamus, satis sibi suisque legationis comitibus fuisset imperatorem Byzantinum ad reddendos libellos libere fortiterque admonuisse [3]. Quam admonitionem Basilius et justam et bonam statim agnovisset, nedum ex hac libertate loquendi commoveretur.

At paulo aliter in Vita Hadriani II. Multos, ex hoc testimonio, conatus, multas variasque machinas Hludowici legati duo, Suppo atque Anastasius, ad recipiendos libellos adhibuissent; neque rem vicissent facillime, sed ita instando, obsidendo, ut bilem Basilio ac vehementissimam iram com-

1. Habes hoc loco aliam dissensionem inter Anastasium et scriptorem Vitæ Hadriani. Hic enim asseverat libellos omnes ideo non surreptos esse, quia legati sedis apostolicæ partem eorum et eam præstantiorem prudenti provisione celavissent. Quod Anastasius rursus tacuit, immo vero significavit fures Græcos præ sola multitudine libellorum eos omnes auferre non valuisse :

EX VITA HADRIANI II, C. XLV.

« Et illico quidam libelli a custodibus, quoniam excellentiorum episcoporum libellos legati sanctæ Romanæ ecclesiæ, futurorum præscii, penitus abstulerant, defraudantur. » (Vignoli, p. 245.)

EX ANASTASII NOTIS IN SYNODUM VIII.

« Cum ergo vicarii, Donatus scilicet et Stephanus episcopi, atque Marinus diaconus, ad collocutionem patriarchæ perrexissent, custodes fures facti, penetrantes domum, quamdam partem clanculo ex numerosis illis chirographis abstulere. » (Migne, ibid., p. 38; Coleti, ibid., p. 499.)

2. « ... per hoc incredibiliter consternati, Supponis archiministri et Anastasii disertissimi sedis apostolicæ bibliothecarii fidelissimis auxiliis innituntur. » *Vita Hadriani II*, p. 245. Evrardus autem, tertius Hludowici legatus, nusquam in Vita Hadriani, nescio quo pacto, memoratur.

3. « Nos autem, inquit Anastasius, qui pro causa nuptialis contractus inter utrumque imperatorem efficiendi aderamus, his ei (Basilio) verbis dicta transmisimus : Non decet imperatoriam potestatem antea facere quæ destruenda sunt », etc. Anastasii *Notæ in synodum VIII* (Migne, p. 38; Coleti, p. 499).

moverint[1]. Quod arbitror satis constare cum ipsius Basilii verbis, qui deinde ad Hludowicum scribens[2] ejus legatos questus est superbius ac truculentius egisse, gladium nudantes omni tempore, nec solum homines, sed etiam jumenta ferientes[3].

Quidquid sit, Anastasii non ea fuit agendi ratio quæ Basilium et Græcos Romanis conjunctiores faceret. Nam sedis apostolicæ legati, qui advenientes regio apparatu pompaque splendidissima accepti erant[4], cum discesserunt, nullo comitatu, nulla sollicitudine, ab uno spathario Dyrrachium ducti sunt; ex quo, conscensa nave male ornata, vix aliquot dies Anconam versus navigaverant, cum in manus Slavorum piratarum inciderunt[5].

1. Recognoscas hanc tertiam Anastasii et Vitæ Hadriani dissensionem :

EX VITA HADRIANI II, CAPUT XLV.

« Quibus (Anastasio ejusque comitibus) diverso modo non sine magno laboris periculo imminentibus, libellos quidem vix tandem recipiunt; sed imperatoris iram pro nimia suæ districtione fidei vehementer incurrunt. »

(Vignoli, p. 245.)

EX ANASTASII NOTIS IN SYNODUM VIII.

« At vero imperator, his auditis (id est, Anastasii ejusque comitum admonitione), accersivit vicarios et eis omnia chirographa reddidit, ita ut nec unum saltem deficere pateretur, dicens : Ego quidem ut magistram ecclesiasticorum negotiorum sedem apostolicam per meos legatos adii, et ideo vestram præsentiam præstolatus sum, ut vestro decreto et solertia ecclesia nostra remedia sanitatis reciperet. Ergo chirographa recipite », etc.

(Migne, p. 39; Coleti, p. 499.)

2. Hæ Basilii litteræ jam non exstant, sed ex responso Hludowici notæ sunt. V. *Chronicon Salernitanum* (Pertz, SS., t. III, p. 526).

3. V. *Chronicon Salernitanum* (ibid.).

4. V. *Vitam Hadriani*, c. xxxv, xxxvi, xxxvii, p. 239. In quibus si animadverteris hujus Vitæ scriptor quam subtiliter atque ordine hæc omnia persequatur, quam belle nomina locorum, personarum, rerumque tempora noverit, utque legatos apostolicos omni culpa liberare laboret, ibis fortasse in eam sententiam quam ego nunc primum breviter propono, sed de qua spero me plura deinceps dicturum, hunc videlicet unum esse ex iis qui legationem illam sedis apostolicæ obierunt.

5. V. *Vitam Hadriani II*, p. 251.

Discesserunt etiam Hludowici legati una cum legatis apostolicis [1], sed cum Dyrrachium omnes simul juncti pervenissent, Anastasius Evrardusque et Suppo, quibus primum Hludowicus Beneventi adeundus erat, aliam navem, Sipontum petentes, ingressi sunt [2].

At, priusquam Constantinopoli proficisceretur, sollertissimus ille vir, futuri nescio quo pacto providus, aliam etiam adhibuerat cautionem. Nam, cum Acta recentis concilii transcripta essent in exemplaria quinque, quinque patriarchis majoribus tradenda [3], unum ex his, ut par erat, acceperant sedis apostolicæ legati. Sed Anastasius, utrinque cavere rem bonam existimans, cupiensque illud quasi monumentum victoriæ suæ pervulgare, Acta concilii Byzantini ut sibi liceret in proprium exemplar transcribere atque auferre obtinuit [4]. Et hoc quidem non mala conjectura; nam, dum legati pontificii suis omnibus a Slavis exuebantur, non Romam nisi longo post tempore ac manibus excussis redituri, Anastasius incolumis exemplar a se conservatum summo pontifici ostentabat ovans [5].

1. Paulo post absolutum concilium (v. *Vitam Hadriani*, c. LIX, p. 251), id est, mense Martio a. 870.

2. « ... separati sumus, quia a Dyrrachio navigio venimus Sipontum... missi vero sedis apostolicæ, a Dyrrachio simili modo navim ingressi, Anconam petebant. » Anastasii *Notæ in synodum VIII* (Migne, t. CXXIX, p. 39; Coleti, t. X, p. 499).

3. V. Anastasii *Præfat. in syn. VIII* (Migne, t. CXXIX, p. 23; Coleti, t. X, p. 482). De quibus exemplaribus plura dixi in *Formoso* meo, p. 49-50.

4. « ... diversos hominum eventus considerans, gesta hujus synodi, quæ apostolicæ sedis loci servatores in uno volumine secum portaturi conscripserant, in altero codice transcripta Romam usque deferre proposui. » Anastasii *Præfatio in syn. VIII* (Migne, ibid., p. 18; Coleti, p. 478).

5. Ipse etiam Anastasius Romam attulerat partem illam libellorum quam a Basilio imperatore recuperatam legati apostolici, antequam Byzantio proficiscerentur, Anastasio ferendam commiserant. Quos tamen libellos Bibliothecarius summo pontifici non obtulit, sed regressis legatis reddidit, qui ipsi eos Hadriano II tradiderunt. In hoc quidem consentiunt auctor Vitæ Hadriani et Anastasius; at quarta dissensio ea est quod, ex Vitæ narratione, legati pontificales alteram partem libellorum sibi reservassent, eamque ex manibus

Ergo, servatis Græcorum episcoporum libellis synodique octavæ exemplari, Anastasius id effecerat ut memoria infamati Photii non penitus aboleretur, nec esset Byzantinis mutandæ sententiæ liberior facultas. Quare is bibliothecarius a recentioribus quibusdam historicis extollitur quasi Ecclesiæ universæ magnam utilitatem præbuisset[1]; at id fortasse plus quam satis est. Nec enim multum profuit libellorum conservatio, qui ad id tantum erepti esse videntur e manibus Græcorum ut paulo post exstinguerentur a Romanis[2], neque Acta hujus concilii Byzantini, quanquam ea Anastasius in sermonem latinum traducere festinaverat[3], ulli impedimento fuerunt quominus deinde alterum Byzantinum concilium, auctore Johanne papa VIII, Photio condemnato veniam ac dignitatem patriarchalem largiretur, totaque hujus rei historia apud Latinos, multis sæculis,

Slavorum ereptam summo pontifici cum libro *Actionis Ignatii* obtulissent; cum contra Anastasius non solum hoc reticeat, sed etiam clare nec sine ironia significet legatos sedis apostolicæ quidquid ferebant amisisse :

EX VITA HADRIANI II, C. LX.

« (Legati s. Romanæ ecclesiæ) Romam reversi... librum actionis Ignatii, et libellos, quos a Sclavis recuperaverant, et reliquos libellos, quos Supponi archiministro, et Anastasio prudentissimo bibliothecario s. sedis apostolicæ, cujus præscientiæ sollicitudine exemplar amissæ synodi, quod sibi scribendum impetraverat, ecclesia Romana suscepit, dudum Constantinopoli commendaverant, ostendere potuerunt. »

(Vignoli, p. 251-2.)

EX ANASTASII NOTIS IN SYNODUM VIII.

« Verum ego qui Romanæ bibliothecæ curam gerebam, studium habui a Constantinopoli mecum ipsius synodi codicem deferendi, delatumque summo pontifici præsentavi, ac per hæc factum est ut sedes apostolica, Deo auctore, codicem synodi per nos susciperet, et libellos Missis quidem a nobis redditos, sed per nos salvatos haberet, quos nimirum, si Missi penes se, ut codicem synodi, et cetera scripta haberent, hos procul dubio perderent. »

(Migne, p. 39; Coleti, p. 499. Cf. *Præfat. in syn. VIII*, Migne, p. 18; Coleti, p. 478.)

1. V. Baronii *Annales*, a. 869, n. LXXVIII.
2. Jam enim evanuerant Johannis papæ IX 'temporibus. V. A. Lapôtre, *Le pape Formose*, p. 88-90.
3. V. Anastasii *Præf. in syn. VIII* (Migne, p. 18; Coleti, p 478); et infra in Appendice II.

conturbata remaneret[1]. Immo vero tempus veniet cum ipsum Anastasium Photio tantam infamiam intulisse pœnitebit.

V. Sed demus hoc Anastasii Byzantinum iter multum profuisse, ejus certe reditus nec summo pontifici gloriam, nec pacem Christianitati detulit.

Itaque bibliothecarius Romanus, priusquam Romam regrederetur, Beneventi, ut Hludowico legationem renuntiaret, paulisper consederat[2]. Invenerat autem imperatorem magna districtum sollicitudine, quo pacto avunculos suos ac præsertim Carolum Calvum ab occupando Hlotharii regno reduceret. Is enim, jus hereditatis evocans, quidquid Hlotharius trans Alpes rexisset, sibi deberi putabat, atque ab obitu fratris sui, id est, a mense Augusto anni 869, pro suo perseverabat vindicare. Quod jus quoniam per se non poterat persequi (erat enim bello Sarracenico impeditus), hoc opportune invenerat ut pontificem Romanum in sua consilia adhiberet, et quod ipse violentis armis non poterat, id sedis apostolicæ comminatione armisque spiritualibus obtineret.

Itaque, mense Septembri anni 869, non multis diebus antequam Anastasius Byzantium proficisceretur, legati duo pontificii, quibus se imperatorius legatus junxerat[3], in Franciam cum litteris apostolicis[4] missi sunt, qui regi

1. Quod ostendi tum cum de Formoso papa agerem (v. *Le pape Formose*, p. 66-67). Quanquam non nego Anastasii operam in hoc utilem fuisse. Is enim, præter Acta concilii œcumenici VIII, alia quædam græce scripta ex urbe Byzantina Romam attulit, ut *scholia* in Dionysium Pseudo-Areopagitam et *Passionem* S. Demetrii (v. infra in Appendice II). At nescio an alius legatus minoris quidem sollertiæ, sed sanctitatis majoris, plus utilitatis Ecclesiæ universæ attulisset.

2. « A Dyrrachio navigio venimus Sipontum, deinde terreno itinere Beneventum, posthæc Romam. » Anastasii *Notæ in syn. VIII* (Migne, t. CXXIX, p. 39; Coleti, t. X, p. 499).

3. V. Hincmari *Annales*, a. 869 (Pertz, I, 486).

4. V. Jaffé, n. 2917, 2918, 2919, 2920, 2921; Migne, t. CXXII, ep. 20, 21,

Francorum Occidentalium voluntatem papæ inculcarent[1]. At hæc legatio cum in Villam Gundulphi pervenit, post VII idus Octobres[2], Carolus Calvus, quem nuper complures episcopi in civitate Mettorum sacraverant[3], jam partem Hlothariani regni in ditione sua tenebat. Quam possessionem justam esse dicebat, quod olim a Hludowico patre, consentientibus totius imperii proceribus et episcopis, atque ipso Hlothario jusjurandum ad rei testimonium accommodante, sibi hæc pars regni data fuisset[4]. Nihil igitur aliud legati apostolici potuerant nisi rem factam, ineunte anno 870, Hadriano papæ referre; qui tum absentis Anastasii importunitate calliditateque liber ac per se pacatissimus, prudenter abstinuerat quin se rei tam difficili tamque periculosæ rursus committeret.

Optima igitur opportunitate redibat impulsor ille potentissimus, qui studium pontificis excitaret, aut saltem suas proprias voluntates nomine jussorum papalium tegere posset.

Ut enim Romam rediit recens ille ab imperatoris et Engelbergæ blanditiis, incepit illa sedis apostolicæ cum Carolo Calvo famosissima contentio, quæ multis scriptoribus, quia

22, 23, p. 1291-1297. Cf. Hincmari *Annales*, ibid., et Hincmari *Epist. ad Hadrianum II* (Migne, t. CXXVI, p. 176 A).

1. Jam scriptor pontificius, Anastasius videlicet, Carolum Calvum sic minaciter terrere tentaverat : « Alioquin manum apostolicæ sedis cum eodem piissimo principe (Hludowico imperatore) fortiter esse comperiat, et arma nostra illi munimenta validissima conferentia, summo agonotheta nobis concertante, et beatorum apostolorum intercessione cooperante, præparata sine cunctatione prænoscat. » Hadriani II *Epist. ad proceres regni Caroli Calvi* (Migne, t. CXXII, p. 1292).

2. V. Hincmari *Annales*, a. 869 (Pertz, I, 486).

3. Die 9 mensis Septembris a. 869. Qua in re priores partes habuerunt Adventius Mettensis episcopus atque Hincmarus Remensis. V. *Karoli II coronationem in regno Hlotharii* (Pertz, *Leges*, t. I, p. 512-513), et Hincmari *Annales*, a. 869 (Pertz, *SS.*, t. I, p. 483-485).

4. V. Hincmari *Epist. ad Hadrianum II* (Migne, t. CXXVI, ep. 27, p. 177 A).

quis fuerit dux rei et machinator ignoratur, magnam admirationem commovere solet[1]. Tum etiam inter Anastasium et Hincmarum exarsit acerrimum certamen, huic quidem consimile quod, Nicolai temporibus, propter Wulfadianam litem exstiterat[2], verum in quo Remensis archiepiscopus, quoniam Carolum Calvum non jam infensum, sed quasi belli consortem habebat, bibliothecario Romano graviores plagas referre valuit.

Dicam postea, usus ipsius Hadriani testimonio, qua vi et fraude is pontifex in hoc infelici negotio aut deceptus aut coactus fuerit; nunc facta ipsa prosequamur.

Itaque, nulla mora interposita, quinto kalendas Julias anni 870, complures epistolæ in Gallias Germaniamque ex Hadriani persona et nomine missæ sunt[3], quarum præcipue duæ, una Carolo Calvo, altera Hincmaro archiepiscopo scripta, eo stilo, ea verborum et sententiarum compositione continentur, ut, si Anastasium tum Romam rediisse aliunde non constaret, hoc suppeteret argumentum. Ibi enim eadem refutandi acerbitas quam in litteris Nicolai I sæpe vidimus, ibi eadem ironia, atque ars eadem adversariorum dicta retorquendi[4]. His litteris appellatur Carolus

1. Henricus Schrörs Anastasium bibliothecarium hujus rei participem sagaciter odoratus est, sed nihil certi afferre potuit. V. *Hinkmar*, p. 349.

2. V. supra, p. 189-207.

3. V. Jaffé, n. 2926, 2927, 2928, 2929, 2930, 2931; Migne, t. CXXII, ep. 24, 25, 26, 27, 28, 29, p. 1297-1305. Cf. Hincmari *Annales*, a. 870 (Pertz, I, 490 [25]).

4. Nam, ut unum exemplum de multis afferam, supra describebam illum locum quo Anastasius, ut Hincmarum Remensem confutaret, illius verba et defensionem reponebat, crebro atque acerrime interrogando refellebat, ac tandem sic summa ironia concludebat : « *Ecce quomodo statum eorum concupivisti, ecce quomodo statum quæsisti.* » (V. supra, p. 118.) Nunc vero videas quomodo Carolum Calvum ex ipsius opinionibus et scriptis coarguat, quomodo aspera interrogatione insectetur, quomodo denique simili conclusione atque ironia desinat. « Quod si, ait, nec tibi ista sufficiunt, tunc ad majoris reprehensionis tuæ cumulum tuis te specialibus sententiis convenimus, et ut ad cor tuum redeas, ex oris tui professionibus incitamus. Quando igitur Ludovici,

callidus (calliditatem in aliis iste solet deprehendere), et «scandali seminator», et «tyrannidis executor[1]». Huic minatur Hadrianus, octoginta fere annorum senex, se in Franciam sine ulla cunctatione profecturum, atque injuriarum imperatoris ultorem fore[2].

Nec lenius tractabatur Hincmarus, quem quidem Anastasius haud ita pridem apud Hadrianum II diligentissime commendaverat, sed quia tum archiepiscopus Remensis Caroli Calvi ambitionem maxime fovere putabatur[3], in eum bibliothecarius Romanus omnes dolos irasque convertit. Hoc autem, inter alia, singulari sollertia invenit ut Hincmarus, proposita excommunicatione, juberetur Carolum Calvum de regno Hlotharii relinquendo admonere, eumque contumacem fugere, neque deinde alloqui, nec salute quidem impertire[4], et sic Remensis archiepiscopus in hunc

fratris tui filii, superatus viribus, regnum perdidisti, nunquid non epistolam, quam habemus præ manibus, sedi apostolicæ direxisti? In qua, inter cetera, confessus fuisti dicens : Cum fratribus nostris post Fontanicum bellum in unum convenimus, et, inter nos divisione regnorum facta, pacem fecimus, et jurejurando juravimus, quod nemo nostrum regni alterius metas invaderet. Nunc autem regno meo, juramentis spretis, invaso atque sublato, misereatur vester apostolatus, et ne nomen Christi blasphemetur in gentibus, sine vindicante facinus non relinquatur. *Ecce qualiter aliena tibi concupiscere minime convenit; ecce tibi ostensum est quod juramenta publice facta contempta sunt.* » Hadriani II *Epist. ad Carolum Calvum* (Migne, t. CXXII, p. 1298).

1. Migne, ibid., p. 1298 C.

2. Migne, ibid., p. 1299 C. Quas easdem minas scriptor pontificius sic renovat in litteris ad proceres Caroli regis : « Scitote quia ducti paterno affectu, ferventissimoque zelo justitiæ, statim, Christo opifice, partes illas penetrabimus, et in contemptores dignam dabimus ultionem. » (Migne, ibid., p. 1300. V. etiam ibid., p. 1302 B, 1303 C.)

3. « Tu vero, quia siluisti et contra tale facinus saltem leviter non insurrexisti, non solum consors, sed etiam, quod est deterius, hujus tyrannidis auctor esse videris. » Hadriani II *Epist. ad Hincmarum Remens.* (Migne, t. CXXII, p. 1301).

4. « Jam vero, si in obstinationis suæ perfidia post vestram conventionem persistere maluerit, quam juxta nostra monita resipiscere, ab illius vos communione atque consortio sequestrate, et, secundum Apostolum, nec *Ave* ei dicentes, si nostræ communionis vultis esse participes, præsentiam ejus omnibus modis devitate. » Hadriani II *Epist. ad Hincmarum Remens.* (Migne, t. CXXII,

angustum locum adduceretur, ut in se aut regis odium, aut sedis apostolicæ fulmina contraheret.

At in hoc Anastasius operam atque industriam perdidit. Nam priusquam legatio pontificalis, cui rursus se junxerat imperatoria legatio[1], in Germaniam cum iis litteris pervenisset[2], Carolus Calvus et Hludowicus Germanicus apud Marsnam, data fide et jurejurando, regnum Hlotharii inter se diviserant[3].

Ergo, acceptis illis litteris, Hincmarus eam epistolam ad Hadrianum rescripsit[4], quam fortasse Anastasius summo pontifici fideliter non retulit, sed quæ sane ipsi mentem injecit ut aliam accusandi causam quæreret[5]. Carolus autem Calvus, ut sibi Romanos clementiores faceret, ad alias artes confugit, minoris quidem honestatis, sed quas temporibus illis plus valuisse fateamur necesse est.

Quanquam enim hanc legationem apostolicam rex primum morosius acceperat[6], mox, mutata agendi ratione, ipse Romam legatos mittere decrevit, qui rem præsentes componerent. Ferebant legati illi regii ad S. Petri altare ditissima munera, pannum veste aurea contextum cum

p. 1302). Cf. Hincmari epistolam ad hæc rescriptam (Migne, t. CXXVI, ep. 27, p. 179 A).

1. V. Hincmari *Annales*, ap. Pertz (*SS.*, t. I, p. 490[10]), qui hoc loco lectionem corruptam assumpsit. Cf. Migne, t. CXXII, p. 1299 C, 1300 D, 1302 B.

2. Nam primum legati ad Hludowicum Germanicum adiere; deinde cum Carolo Calvo congressi sunt, die festo S. Dionysii (d. 9 m. Octobris a. 870). V. Hincmari *Annales*, a. 870 (Pertz, I, 490).

3. Die 9 mensis Augusti a. 870. V. Pertz, *Leges*, t. I, p. 516-517; Hincmari *Annales*, a. 870 (Pertz, *SS.*, t. I, 487-490).

4. Quæ exstat adhuc. V. Migne, t. CXXVI, ep. 27, p. 174 sqq.

5. Hincmarus in hoc responso ea quæ Mettis egerat prudenter tacuit, sed professus est se ab eo tempore, exeunte videlicet anno 869, cum litteras apostolicas recepisset, Carolum Calvum de voluntate summi pontificis admonuisse (Migne, t. CXXVI, p. 175-6). Cui ego testificationi, propterea quod Hincmarum impudenter mendacem nondum comperi, immo vero clarissimum illum virum eo pluris facio quo magis habeo cognitum, idcirco fidem abnuere dubito.

6. V. Hincmari *Annales*, a. 870 (Pertz, I, 490).

duabus ex auro factis gemmisque distinctis coronis[1]. Hæc quidem palam, at alia dona data fuisse Romanis quibusdam amplissimis, ex quo numero præcipue erant Nicolai I propinqui, ex ipsius Hadriani testimonio colligere fas est[2].

Quod autem fortasse requiris fueritne Anastasius hujus largitionis particeps, rem sine certa auctoritate solvere non ausim. Ut ut sit, hujus legationis interventus hoc saltem obtinuit ut Anastasius consilia ad tempus compnimeret, seque voluntati Gallorum obsequi dissimularet.

Erant enim tum temporis Carolo Calvo cum Hincmaro, episcopo Laudunensi atque Hincmari Remensis nepote, jam veteres inimicitiæ[3], quas quidem Hincmarus archiepiscopus primum placare tentaverat[4]; sed episcopus Laudunensis, leve atque insanum caput, tanta deinde se gesserat insolentia ut iras cum Caroli Calvi, tum etiam avunculi sui susciperet. Jam sedes apostolica bis se in hanc causam interposuerat, primum quidem anno 868, jubens ut Hincmaro Laudunensi Romam proficiscendi daretur facultas[5],

1. « Carolus... eosdem legatos (apostolicos) absolvit; postea legatos suos, Ansegisilum (*l.* Ansegisum) videlicet presbyterum, monasterii Sancti Michaelis abbatem, et Lotharium laicum, cum epistolis ad domnum apostolicum, sed et pannum ad altare sancti Petri de vestimentis suis aureis compositum, cum duabus coronis aureis et gemmis ornatis misit. » Hincmari *Annales*, a. 870 (Pertz, I, 490.).

2. V. infra, p. 270. Atque non semel Carolus Calvus ita cum Romanis egit. V. infra, p. 276.

3. Id est, ab a. 867. Causas autem dissensionis et longiorem totius rei historiam vide apud H. Schrörs (*Hinkmar*, p. 315 sqq.).

4. V. Hincmari *Annales*, a. 868 (Pertz, I, 480).

5. Qua de re et Carolus Calvus et Hincmarus Remensis litteras apostolicas (quæ exstant adhuc, ap. Migne, t. CXXII, ep. 10 et 11, p. 1272-3; Jaffé, n. 2910, 2911) apud Carisiacum acceperunt, mense Dec. a. 868 (confer Hincmari *Annales* in a. 868, ap. Pertz, t. I, p. 480, cum *Proclamatione Caroli Calvi adversus Hincmarum Laudunensem*, ap. Coleti, t. X, p. 1062 A, et cum Actis concilii Duziacensis, ibid., p. 1136 C). Quas tamen litteras Remensis archiepiscopus, in ea epistola quam exeunte a. 870 ad Hadrianum scripsit, commemoravit dicens : illas sibi missas esse anno præterito (v. Migne, t. CXXVI, p. 185 B); sed in hoc Hincmarus aut memoria deceptus est, aut præcipue atten-

deinde, vergente anno 869 [1], idem imperatum renovans, sed ea verborum acerbitate ut Carolus Calvus nunquam regibus Francorum ejusmodi litteras a pontificibus Romanis scriptas esse dixerit [2].

Quapropter legatis regiis Romam proficiscentibus Hincmarus Remensis quædam de sui nepotis facinoribus scripta ferenda commiserat, sicque præscripserat ut ipsum papam convenire niterentur, eumque ad mutandam in hac re sententiam adducerent [3]. Rem sane difficilem ac moræ longioris; nam id quod olim, Nicolai temporibus, Anastasius cum Hincmari legatis egerat [4], nunc rursus aggreditur, atque aditus ad summum pontificem ita præcludit, ut regii

debat ad alias illas Hadriani litteras quas hoc eodem loco retulit (ibid., p. 185 D), quæque reipsa a. 870 scriptæ sunt (v. notam sequentem).

1. Videlicet per duas epistolas, aliam Hincmaro Remensi, alteram Carolo Calvo scriptam; quæ quidem evanuerunt, sed de priore meminit Hincmarus archiepiscopus, Hadriano circiter mense Novembri a. 870, atque anno 871 scribens (v. Migne, t. CXXVI, p. 185 D; Coleti, t. X, p. 1170 E); de posteriore vehementer questus est Carolus Calvus, in concilio Duziacensi mense Augusto a. 871 habito (v. Coleti, t. X, p. 1363 B), et duabus illis epistolis quas hoc eodem anno 871 et anno sequente ad Hadrianum rescripsit (Migne, t. CXXIV, ep. 7, p. 876 B, 877 C, 878 D, 879 C; ep. 8, p. 882 C, 883 B). Utramque vero Hincmarus Remensis memorat in opusculo XLV Capitulorum (v. Migne, t. CXXVI, p. 315, c. VIII; quæ conferas cum ejusdem ad Hadrianum epistola, ap. Migne, ibid., p. 186 C); quod opusculum ab ineunte a. 870 scriptum est (v. Schrörs, *Hinkmar*, p. 538, n° 282). Bis igitur peccavit P. Ewald, *Regestorum* Jaffeianorum in hac parte novus editor, illam quidem Hadriani II ad Hincmarum Rem. epistolam omittens, aliam vero existimans ad Carolum Calvum missam esse post mensem Aprilem a. 871 (Jaffé, n. 2939), cum constet has ambas litteras ineunte a. 870 in Gallias jam delatas fuisse. Hæc revera scripta sunt a. 869, postquam Anastasius, cum Hludowico imperatore magis faciens, adversus regem Franciæ Occidentalis multa moliri cœpisset. Huc adde quod idem editor hanc Hadriani ad Carolum epistolam breviter complexus, Hincmarum Remensem archiepiscopum pro Hincmaro Laudunensi episcopo scripserit.

2. V. Caroli Calvi *Petitionem proclamationis adversus Hincmarum Laudunensem episc.*, in concilio Duziacensi recitatam (Coleti, t. X, p. 1063 B), et ejusdem *Epist. ad Hadrianum II* (Migne, t. CXXIV, ep. 7, p. 878 D; et ep. 8, p. 882 D).

3. V. Concilii Duziacensis epistolam posteriorem ad Hadrianum II, citatam a Ludovico Cellot (Coleti, t. X, p. 1198 D).

4. V. supra, p. 204.

legati quartum mensem Romæ degerent, quin responsum ab Hadriano papa potuissent accipere [1].

At ex his legatis unus erat Ansegisus, in monasterio S. Michaelis abbas [2], vir sollertis ingenii, qui quidem deinde, cum Senonensis archiepiscopus factus est atque sedis apostolicæ vicarius, non solum cum Hincmaro, verum etiam cum Carolo Calvo simultates exercuit [3], sed qui, temporibus illis, et de Remensi archiepiscopo, metropolitano suo, et de rege bene mereri flagrabat [4]. Cujus tanta fuit instantia et concursatio, ut tandem Anastasius manus dare coactus fuerit, dieque vicesimo quinto mensis Martii duas epistolas Hadriani nomine scripserit, quarum in una eminebat aliquis in Hincmarum Remensem stomachus [5], sed per alteram Hincmarus Laudunensis magna vituperatione reprehendebatur, quod non tam desiderio consulendæ sedis apostolicæ quam declinandæ auctoritatis metropolitani Romam adire velle simu-

1. Hanc diuturnam Romæ commorationem ex hoc colligo quod ex altera parte constat eos legatos ex Francia profectos esse circiter mense Octobri a. 870 (v. Hincmari *Annales*, a. 870, p. 490), ex altera autem epistolas illas apostolicas Roma detulisse quæ datæ sunt d. 25 m. Martii a. 871 (v. Jaffé, n. 2936, 2938; Coleti, t. X, p. 1198 D).

2. V. supra p. 259, n. 1. Cf. Mabillon, *Annales O. S. Benedicti*, t. III, l. XXXVII, p. 164, n. 11; Migne, t. CXLII, p. 829. Duru, *Bibliothèque historique de l'Yonne*, t. I.

3. V. Johannis VIII *Epist. ad Carolum Calvum* (Migne, t. CXXVI, p. 698; cf. A. Lapôtre, *Le pape Formose*, p. 225); Hincmari *Annales*, a. 876 (Pertz, I, 499, 500).

4. Et vero in Franciam regressus, statim mercedem laboris et studii recepit. Nam, mense Junio a. 871, in archiepiscopum Senonensem, faventibus Carolo rege atque Hincmaro archiepiscopo, electus est. V. *Decretum cleri et populi Senonensis* (*Gallia christiana*, t. XII, Instr. IX, p. 11), et Flodoardi *Hist. Remens. eccles.*, l. III, c. XXIII (Pertz, *SS.*, t. XIII, p. 530 [40], 534 [25]).

5. Quæ videlicet ad Hincmarum Remensem inscribitur. Hoc enim illius exordium est : « Fidelium relatione comperimus quod tua fraternitas debitum vigorem in provincia Rhemensi non agitans, multa reprehensione dignissima a tuis comprovincialibus convalescant. Cujus rei gratia negligentiam vestram his apostolicis affatibus excitamus », etc. (Migne, t. CXXII, ep. 31, p. 1306; Jaffé, n. 2936.)

laret. Cui etiam iisdem litteris interdicebatur ne ad sedem apostolicam prius confugeret quam se Hincmari archiepiscopi subjecisset imperio[1].

Hæc igitur Anastasius, dum legati Caroli Calvi Romæ præsentes imminebant. At ubi præsentia illa et importunitate liber evadit, rursus occasionem regi Francorum Occidentalium nocendi aucupatur.

Et hæc quidem occurrit citissime. Mox enim a Carolomanno, Calvi filio, legati Romam venerunt[2], nuntiantes inter hunc filium et ejus patrem luctuosissimam illam querelam, quæ jampridem exstabat, nuper multo gravius exarsisse, ut, jussu Caroli regis, Carolomannus, omnibus beneficiis atque honoribus inhumaniter spoliatus[3] (erat enim iste diaconus et in multis monasteriis abbas), excommunicationis etiam pœnam sibi nunc impendere videret[4].

Suscipere profecto ejusmodi causam, atque deprecatione prudentissima aut moderatione correctionis animum parentis filio reconciliare, ea laus erat præclara atque sedis apostolicæ dignissima. Quod quidem quam esset pulchrum opus intellexerant legati illi pontificales, qui, anno 870, dum in Gallia versabantur, de Carolomanno in pristinam patris gratiam reducendo haud frustra egerant[5].

At vero, si ex hac pace composita grande decus in ecclesiam Romanam redundaret, fovere contra filii rebel-

1. « Metropolitano tuo per omnia, secundum sacros canones, subjectus existas. » Hadriani II *Epist. ad Hincmarum Laudunensem* (Migne, t. CXXII, ep. 32, p. 1306-7).

2. « Carolomannus sedem apostolicam legatis suis, tanquam quibusdam pedum suorum passibus, adiit, et per proprias litteras nos appellat, quin potius interpellat. » Hadriani II *Epist. ad Carolum Calvum* (Migne, t. CXXII, p. 1307).

3. V. Hincmari *Annales*, a. 870 (Pertz, I, 487).

4. Videlicet circiter a mense Februario a. 871. V. Hincmari *Annales*, a. 871 (Pertz, I, 491); Hincmari *Epist. ad Remigium arch.* (Migne, t. CXXVI, p. 277 sqq.); Schrörs, *Hinkmar*, p. 540, 541.

5. V. Hincmari *Annales*, a. 870 (Pertz, I, 490).

lionem atque parentis iram exulcerare, id in commodum Hludowici imperatoris non parum conferebat, cum Carolus Calvus, tantis implicatus negotiis, direptam partem Hlothariani regni retinere difficilius posse videretur. Videamus ergo qua mente Anastasius se in hanc rem projecerit, utrum animorum concordiam famamque sedis apostolicæ, an suum proprium commodum ambitionemque sequeretur.

Itaque, tertio idus Julias anni 871, iste bibliothecarius tres epistolas Hadriani papæ nomine in Franciam misit[1], quas, ut mox constabit, aut extorserat a summo pontifice, aut verius, eodem illo prorsus inscio, confecerat[2].

Ex his autem una erat Carolo Calvo deferenda, qua haud scio an quidquam contumeliosius excogitari potuerit. Nam priusquam curasset quærere annon Carolomannus dignus esset qui severe tractaretur, causa utrinque non audita, totam facti invidiam in parentem rejicit, illum accusans quod bestias feritate antecellat, quod mores struthionis imitetur, quod cumulet scelus scelere, avaritia crudelitatem[3].

Atque his non contentus, ipsos proceres qui sub regno Caroli Calvi erant ad ejus detrectandum imperium per alias litteras adhortatur[4] : « alioquin, ut ipsa verba hujus

1. V. Migne, t. CXXII, ep. 33, 34, 35, p. 1307-1309; Jaffé, n. 2940, 2941, 2942. Has autem litteras primus edidit Baronius (*Annales*, a. 870, n. XXVII-XXXII) sumptas « ex scripto codice pervetusto, quem a P. Christophoro Broverio, Societatis Jesu professore », acceperat (v. *Annales*, a. 862, n. XXII).

2. V. infra, p. 269.

3. « Inter cetera excessuum tuorum, quibus aliena usurpando invasisse credideris, illud quoque nihilominus objicitur, quod etiam bestiarum feritatem excedens, contra propria viscera, id est, contra Carolomannum genitum tuum, sævire minime verearis : ita ut more struthionis, quod ex libro beati Job discimus, obduraveris ad filium tuum, quasi non sit tuus... Ergo ne adjicias peccatum super peccatum, sed et de pristinis invasionis et avaritiæ pravitatibus deprecare. » Hadriani II *Epist. ad Carolum Calvum* (Migne, t. CXXII, p. 1307).

4. Quarum hoc est exordium : « Auditui nostro sonuit quod Carolus rex, etiam belluarum furorem transcendens, contra propria viscera », etc. (Migne, t. CXXII, p. 1308).

scriptoris referam, quisquis eorum contra Carolomannum castra moverit, arma sustulerit, vel læsionis excercitia præparaverit, ac per id ut effundatur fidelium sanguis construxerit, non solum excommunicationis nexibus innodabitur, verum etiam vinculis anathematis obligatus in gehenna cum diabolo deputabitur[1] ».

Tertia denique epistola episcopis ejusdem regni iras sedis apostolicæ minatur, si Carolomannum excommunicatione multaverint[2]; sed jam iste veterator cum viris religiosis pietatem simulans, summum pontificem aiebat regis paternum mærorem dolere, et spiritali affectu prosequi, pacem quidem exteriorem solvere, sed interiorem conservare[3]; quæ verba in tali agendi ratione acerbissimæ facetiæ videbantur.

Cur autem hæ quoque litteræ, ut ceteræ annorum præteritorum, in Franciam per sollemnem legationem delatæ non sint[4], causam fuisse existimo, quod de hoc Anastasius nullum verbum cum summo pontifice fecisset, sed furtim Carolomanni legatis epistolas dedisset ferendas.

Jam vero tres illæ litteræ, cum essent tertio idus Julias anni 871 missæ, veri simile est ut in Gallias ante mensem Septembrem ejusdem anni pervenerint; quanquam Carolus

1. Migne, t. CXXII, p. 1308.

2. V. Hadriani *Epist. ad episcopos in regno Caroli et quondam Hlotharii constitutos* (Migne, t. CXXII, ep. 35, p. 1308-9).

3. « Unde nimirum valde dolemus, et ei (Carolo) affectu spiritali compatimur. Et quamvis exteriorem circa illum pacem solvamus, interiorem tamen integram conservamus. Nam et ideo illum percutimus, ut sanemus », etc. (Migne, ibid., p. 1308 D). Atque in eadem ad episcopos epistola scriptor pontificalis fateri debuit eam crudelitatem qua Carolus Calvus filium suum injuste tractasset, nondum sibi liquere : « Si rei, ait, se ita veritas habet» (Migne, ibid.). Et iste, cum Carolum Calvum aut proceres alloqueretur, rem certam esse fingebat, et certissimas profundebat injurias.

4. Nam neque in his ipsis litteris mentio est cujusvis legationis, neque Hincmarus, qui duas superiores diligenter memoraverat, quidquam tale hoc tempore significavit.

Calvus, sive quia fictas illas existimaverit, sive potius alia de causa nobis incognita, nunquam de illis nominatim apud sedem apostolicam questus est [1]. Verumtamen ex hoc vehementius animo commotus, consilium cepit ut Romanos posthac a sua spernenda potestate deterreret.

Etenim nuperrime episcopi provinciarum decem Gallicarum, Duziaci in synodum congregati [2], Hincmarum Laudunensem, salvo sedis apostolicæ jure, condemnatum episcopali dignitate dejecerant; jamque Actardus, episcopus Namnetensis, iter Romanum cum Actis hujus concilii parabat [3]. His igitur scriptis Carolus Calvus epistolam quamdam suo nomine adjunxit [4], qua, relictis iis quæ ad filium suum aut ad regnum Hlotharii spectarent, sed præcipue ab Hincmari Laudunensis causa sumpta exprobrandi occasione, de litteris pontificalibus gravissime querebatur [5], magnaque asseverabat acrimonia nunquam, se vivo, istum episcopum in sedem Laudunensem fore rediturum [6].

1. Hoc tantum Hadriano II generatim exprobravit : « Sæpe nobis exprobrationum epistolas mittitis et crimina vobis incognita, nisi quantum per malevolorum nostrorum ora auditis, nobis impingitis. » Caroli Calvi *Epist. ad Hadrianum II* (Migne, t. CXXIV, p. 876). Et in alia ad eumdem epistola : « Cogitis nos indecentibus potestati regiæ litteris vestris inhonoratum, inconvenientibus episcopali modestiæ vestræ mandatis gravatum, contumeliis et opprobriis dehonestatum, aliter quam vellemus mente pacifica vobis rescribere. » (Migne, ibid., ep. 8, p. 381.)

2. Id est, mense Augusto a. 871. Cujus concilii Acta primus edidit Ludovicus Cellot (v. Coleti, t. X, p. 1061-1174).

3. V. Hincmari *Annales*, a. 871 (Pertz, I, 492). Actardus autem, præter Acta concilii Duziacensis, duas epistolas ad sedem apostolicam ferendas habebat, unam ab episcopis hujus concilii, alteram ab Hincmaro Remensi scriptam (v. Coleti, t. X, p. 1164-1174), quæ datæ sunt VIII idus Sept. a. 871 (ibid., p. 1168).

4. Quæ exstat adhuc. V. Migne, t. CXXIV, ep. 7, p. 876-881.

5. « Ceterum tales litteras, et vestro ministerio incongruentes, et nostræ regiæ dignitati ac potestati inconvenientes, sicut nobis ex vestro nomine diriguntur, non a vobis neque a sancta Romana ecclesia in omnibus semper discretissima atque cautissima dictatas crediderim. » Caroli Calvi *Epist. ad Hadrianum II* (Migne, ibid., p. 879).

6. Migne, ibid., p. 880 D.

At earum litterarum scriptorumque gerulus, Actardus Namnetensis episcopus, propterea quod olim, cum Romam Hincmari Remensis atque concilii Tricassini nomine venisset, Anastasium cum in se, tum in Hincmarum officiosissimum invenerat[1], idcirco ab isto veteratore non satis diligenter cavit, eoque magis quod ex his rebus quas procurare apud sedem apostolicam debuit, unam illam quæ ipsius intererat maxime (rogabat enim ut, propter Nordmannorum incursus, sibi ab episcopatu Namnetensi in Bituricensem archiepiscopatum transferri liceret[2]) prospere, favente Anastasio, succedere videbat[3].

Hic igitur, accepta causa quod esset Hadrianus magna infirmitate impeditus, Roma discessit exeunte mense Decembri anni 871, quin ipse summum pontificem de re tota certiorem fecisset[4].

Sed duas litteras apostolicas referebat, quæ furorem Caroli Calvi cumularent[5]. His enim litteris, postquam rex Francorum Occidentalium objurgatus erat quod sua recentissima epistola observantiam in sedem apostolicam non servasset, scriptor pontificius, pertinaciam pertinacia

1. V. supra, p. 218, 230.

2. V. Caroli Calvi *Epist. ad Hadrianum II* (Migne, t. CXXIV, p. 880); concilii Duziacensis *Epist. ad Hadrianum II* (Coleti, t. X, p. 1168); Hincmari Remensis *Epist. ad Hadrianum II* (Coleti, ibid., p. 1169).

3. V. Hadriani II *Epist. ad concilium Duziacense* et *Epist. ad Carolum Calvum* (Migne, t. CXXII, ep. 38, 39, p. 1313, 1316-1317).

4. Etenim Actardus, in Franciam regressus, aliis episcopis nuntiavit se, « propter impedimenta summi pontificis », parum Romæ profuisse; quæ impedimenta esse continuas Hadriani II infirmitates ex iis quæ infra dicam colligere licet (v. p. 269; 275, n. 6). Narravit etiam Actardus se invenisse ministros sedis apostolicæ in multis aliis maximisque negotiis occupatissimos. Sic enim episcopi concilii Duziacensis ad Hadrianum rescripserunt : « Coepiscopi nostri (Actardi) relatione impedimenta vestræ sanctitatis, et occupationes ministrorum sedis apostolicæ pro diversis et maximis negotiis audivimus. » (Sirmond, *Concilia Galliæ*, t. III, p. 404.)

5. Id est, Hadriani II *Epist. ad episcopos concilii Duziacensis*, et *Epist. ad Carolum Calvum* (Migne, t. CXXII, ep. 38, 39, p. 1312-1317), quæ datæ sunt VII kal. Januarias, ind. V (26 Dec. 871). Cf. Jaffé, n. 2945, 2946.

retorquens, ipse etiam firmissime asseverabat se nunquam latæ in Hincmarum Laudunensem sententiæ assensurum, nisi prius is episcopus una cum accusatore idoneo Romam, ad causam dicendam, venisset[1].

Altera autem pontificali epistola, episcopi illi Gallicarum decem provinciarum qui Duziaci Hincmarum Laudunensem sacerdotali dignitate amoverant, legem ecclesiasticam in hac re violasse arguebantur. Ad quod probandum Anastasius hoc commentum rursus attulerat, quo, Nicolai temporibus, solitus erat abuti, scilicet, ubi quis reus episcopus se ad sedem apostolicam appellare dixerit, in eum sententiam pronuntiare per antiquos canones non licere[2].

Itaque, acceptis iis litteris, non modo Carolus Calvus, verum etiam, duce Hincmaro, episcopi synodi Duziacensis nuper participes, talium scriptorum papam non conscium fuisse vehementius suspicantes, ita rescribere statuerunt ut huic periculoso ludibrio finis tandem imponeretur.

Tum jubetur Actardus Romam iterum proficisci, binis instructus epistolis, una episcoporum nomine[3], altera

1. « Nos in depositione illius, quandiu vivimus, nullatenùs consentiemus, nisi ad nostram ipso veniente præsentiam, causa ejus depositionis nostro fuerit examine diligenter inquisita atque finita. » Hadriani II *Epist. ad Carolum Calvum* (Migne, t. CXXII, p. 1316).

2. « Primo denique vestræ respondemus charitati, quia cum clamaret in synodo se ad sedem apostolicam velle incunctanter venire, atque in præsentia ejus pro objectis sibi ab adversario criminibus respondere, damnationis in eum non erat proferenda sententia. » Hadriani II *Epist. ad episc. synodi Duziacensis* (Migne, ibid., p. 1314). Hoc etiam diligenter observandum est, Anastasium hac epistola (quod nondum fecerat) falsam quamdam decretalem nominatim citasse : « quoniam, ait, dicente Antero papa in epistola sua », etc. (Migne, ibid., p. 1315 A; cf. Hinschius, *Decretales Pseudo-Isidorianæ*, p. 152, c. II). Nec parum admiror cur Felix Rocquain hunc locum interpolatum esse conjecerit (v. *Journal des savants*, a. 1880, p. 644, n. 3). Nullum enim argumentum attulit, nisi quia ex hoc exemplo corrueret illa opinio quam ipse frustra tentabat confirmare, falsas videlicet decretales in manibus Romanorum tum temporis non fuisse.

3. Exstat quidem, sed non integra, ap. Sirmond (*Concilia Galliæ*, t. III, p. 403-5). Cf. Coleti, t. X, p. 1198 C-D.

quam Hincmarus Remensis Caroli regis nomine et jussu scripsisse probabilitate magna putatur [1].

Erant profecto ea scripta acerbissima, sed, quod notatu dignum est, in eis non summus pontifex, sed maxime *dictator* litterarum pontificalium impugnabatur : « Valde mirati sumus, aiebat Carolus Calvus, ubi hoc dictator epistolæ nobis per Actardum episcopum delatæ scriptum invenerit, esse apostolica auctoritate præcipiendum, ut rex... reum legaliter ac regulariter pro excessibus suis damnatum, sua fretum potentia Romam dirigat [2]. » Et hoc infra : « Satis ergo mirari non possumus, unde scriptor epistolæ nobis ex nomine vestro delatæ, hanc legem apud se auro sculptam produxit, quam Dominus digito suo non scripsit [3]. »

Neque aliter episcopi in scriptis ad Hadrianum litteris, ut ex loco supra citato perspici potest. Rex enim atque episcopi una opinione consentiebant sibi ex pontificali responso liquere eas epistolas, quas Romam novissime miserant, ab Hadriano papa neque visas neque auditas quidem fuisse [4].

1. Ut illam Jacobus Sirmond inter opera Hincmari (t. II, p. 701) ediderit (cf. Migne, t. CXXIV, ep. 8, p. 881 sqq.; cui epistolæ Carolus rex aliam quamdam parvulam quasi appendicem addendam curavit; v. Migne, ibid., ep. 9, p. 896). Atque idem dicendum existimo de litteris quæ anno superiore a Carolo Calvo ad Hadrianum missæ sunt (Migne, ibid., ep. 7, p. 876-881). Quod si Heinricum Schrörs audire velimus (*Hinkmar*, p. 541, n. 316), Hincmarus Remensis hoc eodem tempore ad Anastasium scripsisset epistolam illam quam memorat Flodoardus (*Hist. eccl. Rem.*, l. III, c. LXIII, p. 536 : « item pro beneficiis », etc.); at doctissimus scriptor non animadvertit litteras illas, cujus mentio est apud Flodoardum, easdem prorsus esse quæ exstant adhuc, quæque ab Hincmaro scriptæ sunt a. 867. V. supra, p. 206.

2. Migne, t. CXXIV, p. 886.

3. Migne, ibid. Et famosum illud : « Reges Francorum ex regio genere nati, non episcoporum vicedomini, sed terræ domini hactenus fuimus computati. » (Ibid.)

4. « Tandem, quia vos non legisse vel audisse collegimus ex litteris ab Actardo episcopo nobis delatis, quæ antea per illum paternitati vestræ direximus, iterato scribimus ea quæ tunc scripseramus, deprecantes vos... ut tales inhonorationis nostræ epistolas taliaque mandata, sicut hactenus ex nomine

Jam vero talibus cum mandatis ac litteris, circiter verno tempore anni 872, Romam advenit Actardus, qui, Anastasianam expertus calliditatem, nunc in instando non cessat donec tandem, aditu ad Hadrianum reperto, non solum litteras quas a Carolo Calvo atque ab episcopis Gallis ferebat, sed eas etiam quæ erant in Franciam sedis apostolicæ nomine missæ, ante oculos summi pontificis proposuerit.

Tum apparere Anastasii totum mendacium. Verum apparuit etiam quantum iste apud Romanos valeret, quam esset ipsi etiam pontifici formidandus.

Nam Hadrianus II, ubi litteras sedis apostolicæ nomine ab Anastasio scriptas vidit, alias quidem confessus est sibi, dum ægrotabat, surreptas fuisse, alias prorsus confictas asseveravit [1]. Negavit se unquam ab amicitia Caroli regis defecisse, ab eo videlicet principe quem, ut aiebat, multi boni prædicabant sapientia præcellere, et justum colere, et Deo gloriosos cultus adhibere, in quo inesse ferebatur prudentiam, temperantiam, fortitudinem, nobilitatem atque formam [2].

Quid? profitebatur se in ea mente esse ut, si prius

vestro suscepimus, nobis et regni nostri episcopis ac primoribus de cetero non mandetis. » Caroli Calvi *Epist. ad Hadrianum II* (Migne, t. CXXIV, p. 895). Epistolam vero episcoporum v. supra, p. 103.

1. « A die illa (a. 868), qua vobis per præfatum fratrem nostrum (Actardum) mandavi fideles orationes et certissimas amicitias, nunquam aliorsum declinavi. *Et si quædam litteræ delatæ vobis sunt aliter se habentes in superficie, vel subreptæ, vel a nobis infirmantibus extortæ, vel a qualibet persona confictæ, durius aut acrius mordaciter sonantes.* » Hadriani II *Epist. ad Carolum Calvum* (Migne, t. CXXII, ep. 41, p. 1319). Et revera Hadrianum II temporibus illis sæpe ac graviter ægrotasse confirmatur ex litteris Johannis VIII infra citatis, p. 275, n. 6. Quapropter ipse postea Carolus Calvus ad Johannem papam VIII scribens, de istis Hadriani II litteris sic memorare non dubitavit : « missæ sunt nobis quasi ex apostolicæ hujus sedis auctoritate ac nomine, quas tenoris inconvenientia hanc sanctam et discretissimam sedem non misisse ostendit » (Migne, t. CXXVI, p. 231).

2. Migne, t. CXXII, p. 1319 B, 1320 A.

Hludowicus imperator moreretur, ipse Carolo imperium Romanum daret, etiamsi rex alius multos modios auri ac cumulos obtulisset[1]. Pro qua retributione efflagitabat ut suis propinquis atque amicis idem subsidium, eædem consolationes præstarentur a rege Francorum Occidentalium, quas ab eo Nicolai I propinquitas et affines accipere solebant[2].

Quod autem agebatur de Hincmaro episcopo Laudunensi, in hoc etiam Hadrianus II, quantum fieri poterat, Carolo Calvo morem gessit. Nam, cum Hincmarus ad sedem apostolicam appellasset, huic quidem necesse erat ut Romam veniendi daretur potestas; sed inter hanc papæ voluntatem et ea quæ nuper Anastasius de eadem re præceperat, id intererat quod iste veteres canones, more Pseudo-Isidoriano, aliam in partem traducens, contendebat appellantem Hincmarum ab episcopis judicibus non jure esse condemnatum, atque opus esse ut Romæ ab ipso pontifice Romano sententia diceretur, Hadrianus contra, Sardicensem legem sincerius interpretans, censuit rem in synodo Duziacensi judicatam interea esse servandam, donec appellatus pontifex Romanus, non Romæ, sed in eadem provincia in qua lis exstiterat, per suos legatos aut electos judices de re præjudicata firmissimo judicio statuisset[3]. Ita verum est id quod supra sæpe diximus,

1. « Vobis confitemur devovendo, et notescimus affirmando, salva fidelitate imperatoris nostri, quia si superstes ei fuerit vestra nobilitas, vita nobis comite, si dederit nobis quislibet multorum modiorum auri cumulum, nunquam acquiescemus, exposcemus, aut sponte suscipiemus alium in regnum et imperium Romanum nisi teipsum. » Ibid., p. 1319-1320.

2. « Quem (Carolum) profecto speramus, si nobis superstes fuerit, nostris omnibus propinquis et amicis manum porrigere consolationis, indolem et fidem ejus cernentes in affinitatem propinquorum nostri decessoris. » Ibid., p. 1319 C.

3. « Ideo veniat... tunc electis judicibus, *non tamen eo prius in gradu restituto*, aut ex latere nostro directis legatis, cum auctoritate nostra refricentur quæ gesta sunt, et negotia in qua orta sunt provincia canonice terminentur. » Ibid., p. 1320.

Anastasii operam ad introducendam illam interpretationem plurimum contulisse.

Sic igitur Hadrianus papa II in ea epistola quam, inscio Anastasio, Actardo ferendam tradidit[1], quam etiam fortasse, quia iis qui erant circum se non satis fidebat, ab ipso Actardo conscribi jussit[2]. Et certe tanta erat huic pontifici suspicio ac metus, ut Carolum Calvum rogaverit ut has litteras occultatas nemini nisi fidelissimis viris ostenderet[3].

Augebatur autem Hadriani timor, quod, hoc anno 872, Hludowicus imperator, Anastasii potentissimum præsidium, in Urbem venit magisque dominatus est. Nam, postquam e manibus Adelgisi, Beneventani ducis, parum gloriose evasisset[4], id imperator ad reparandam gloriam excogitaverat, ut rursus a pontifice Romano pompa sollemni coronaretur. Quod revera factum est festo die Pentecostis[5], eodem circiter tempore cum Actardus Romæ moraretur.

Videbat igitur Hadrianus, debilitatus senex, bibliothecarium imperatoris auxilio quasi munitum atque vallatum; videbat mortem sibi proximam, nec mirum est quod

1. Tempore verno aut æstivo a. 871. V. Jaffé, n. 2951.

2. Erat autem, ut diximus, in iis litteris quas Hadrianus sibi extortas esse confessus est, locus quidam quo permittebatur ut Actardus in archiepiscopum Bituricensem eligeretur. Quem locum, cum cetera mutarentur, summus pontifex in hanc posteriorem epistolam ad verbum transcriptum voluit. Cf. Migne, p. 1316 D, et p. 1319 D.

3. « Igitur integra fide et sincera mente, devotaque voluntate, ut sermo sit secretior, et litteræ clandestinæ, nullique nisi fidelissimis publicandæ »; et infra: « confratri nostro communi legato Actardo archiepiscopo vobis in mandatis et alia clandestina commisimus manifestanda ». Migne, ibid., p. 1219 D, 1320 D.

4. V. Erchemperti *Hist. Langob. Benevent.*, § 34 (*Mon. Germ. hist.*, in-4, p. 247); Andreæ Bergom. *Historiam*, § 16 (ibid., p. 228-229). Cujus etiam calamitatis Engelbergæ mala ambitio causa fuisse videtur. V. Hincmari *Annales*, a. 871 (Pertz, I, p. 492-3), et *Chronicon Salernitanum* (Pertz, SS., t. III, p. 527-8).

5. Hincmari *Annales*, a. 872 (Pertz, I, 494); Jaffé, p. 375.

proditionem oblivisci quam se in periculum novæ magnæque contentionis inferre maluerit. Etenim, post aliquot menses, exeunte mense Novembri anni 872, ex hac vita migravit summus ille pontifex[1], quem bonitate animi, modestia, liberalitate ornatum sine dubio laudaremus, si Anastasianam improbitatem audacius excussisset.

1. V. Jaffé, p. 375.

VII

ULTIMÆ ANASTASII PALINODIÆ

I. Johannis papæ VIII ingenium et indoles. — II. Quo pacto Anastasius ex acerrimis cum Carolo Calvo inimicitiis amicissimus ejusdem regis evaserit. — III. Fit ipsius Photii assentator Anastasius. — IV. Quo tempore et qua spe deceptus ex hac vita migraverit. — V. Totius disputationis conclusio.

I. Hadriano II in sedem apostolicam successit Johannes papa VIII[1]; de qua electione quanquam pauca accepimus[2], id tamen certum est huic pontifici magnam fuisse animorum conjunctionem cum Hludowico imperatore ejusque conjuge Engelberga[3]. Quare Anastasius, imperatoris ami-

1. « Adrianus papa moritur, et Johannes archidiaconus Romanæ ecclesiæ, 19 kalendas Januarii, in locum ejus substituitur. » Hincmari *Annales*, a. 872 (Pertz, I, 494). Qui dies cum esset dominicus, Johannem VIII in eo non electum, sed consecratum esse conjecit Franciscus Pagi (v. *Breviarium gestorum Romanorum pontificum*, t. I, p. 139).

2. Nam Vita Johannis VIII in Libro pontificali non relata est, at certe evanuit. V. *Le pape Formose* (p. 204-5), ubi etiam aperui factionem quamdam Romanorum, pro Formoso papa deligendo, adversus Johannem archidiaconum laborasse (p. 203).

3. Ut Hludowicus imperator, mortem prospiciens, Johanni papæ VIII uxoris suæ tutelam ac defensionem mandaverit : « Angelbergam filiam nostram, quam divæ memoriæ Ludovicus rex pater imperatoris (Caroli Crassi), et Ludovicus imperator vir ejus nobis Veronæ commendaverunt, ac postmodum ipsa se sancto Petro tradidit. » Johannis VIII *Epist. ad omnes episcopos Italiæ* (Migne, t. CXXVI, ep. 316, p. 925; cf. ibid., ep. 315, p. 924 C; et *Annales Fuldenses*, a. 874, Pertz, I, 588). Atque hujus pontificis efflagitatu Engelberga ab exsilio in libertatem vindicata est. Cf. Hincmari *Annales*, a. 882 (Pertz, I, 514), cum Johannis VIII *Epist. ad Carolum Crassum* (Migne, t. CXXVI, ep. 355, p. 950). Quanta autem inter Johannem VIII et Hludowici uxorem interfuerit amicitia probant illæ multæ hujus pontificis litteræ, quæ, cum vivo Hludowico, tum eodem mortuo, ad Engelbergam Augustam scriptæ sunt. V. Jaffé, n. 2966, 3006, 3023, 3028, 3030, 3031, 3085, 3124, 3141, 3146, 3159, 3270.

cissimus, hoc papa, et in munere bibliothecarii constitit[1], et eam potestatem qua diu valuerat inter Romanos haud imminutam retinuit, eo tamen discrimine ut, mutato pontificis ingenio atque indole, artes ipse atque agendi rationem paulum immutare debuerit.

Etenim Johanni VIII nec erat eadem illa animi pertinacia qua Nicolaus I in quosdam assentatores simulatamque amicitiam se benigniorem præbuerat, neque Hadriani II naturalis illa humanitas ac liberalitas quam Anastasius in suam propriam ambitionem tentaverat convertere. Fuit profecto hic insignis pontifex, industrius, actuosus, acer in rebus agendis, in excogitandis acutissimus, Italiæ, non Ecclesiæ solum propugnator, arma, naves, exercitus parans atque ducens, rex denique simul et episcopus, at neque ipse in sollertia ita rudis, neque ea compositus moderatione ut decipi impune posset, cujus videlicet iras ii sæpe senserunt, qui ante eumdem habuerant benevolentissimum atque amicissimum[2].

Tali igitur pontifice, cautius agendum erat, nec spem habuit Anastasius fore ut posset auctoritatem gratiamque apud Johannem retinere, nisi ad ejus voluntatem et nutum totum se fingeret et accommodaret, magisque sequi quam præesse videretur. Quod quo pacto ingeniosissimus ille bibliothecarius egerit, quas exinde palinodias cecinerit, nunc pretium operæ est enarrare.

Sed hoc prius admoneo, quanquam veri est simillimum, Anastasium, ut in munere bibliothecarii, sic in scribendis Johannis VIII litteris perseverasse, tamen quia de his Anastasius nihil generatim testatus est, et quia præsertim, cum

1. Hæc ipse Anastasius ad Johannem papam VIII : « ... sacræ bibliothecæ vestræ, cujus minister vestra dignatione consisto. » Anastasii *Præfatio in synodum VII* (Migne, t. CXXIX, p. 196).

2. Spero hæc omnia satis manifesta fecisse in libro quem scripsi de *Formoso papa* (p. 222-241).

de Formoso agerem, multus in eisdem litteris fui [1], jam ex hoc loco nihil me desumpturum, nisi forte in una alterave epistola Anastasiana manus apertius emineat.

II. Primis quidem Johannis VIII temporibus, dum vixit Hludowicus imperator, Anastasio cum papa consentire nec difficile fuit, neque ingratus labor.

Acerrimum enim illud certamen ad quod iste bibliothecarius invitum Hadrianum II pro Hludowico imperatore adversus Carolum Calvum adduxerat, idem ipse Johannes VIII sua sponte renovavit [2]. Hic rursus pontifex, ut regnum Hlotharii ad imperatorem reduceret, omnem curam summamque diligentiam adhibuit; hic legationes [3], epistolas [4], colloquia [5], minas [6], excommunica-

1. *Le pape Formose*, p. 215 sqq.

2. Sic enim scribebat ad Carolum Calvum, exeunte a. 872, aut a. 873 ineunte : « Avidius et ardentius solito, quæ tua non fuerant, surripuisti et tibimet inflectere voluisti, adeo ut regnum piæ recordationis Lotharii quondam christianissimi principis, quod dilectissimo filio nostro piissimo imperatori Ludovico ex paterno vel fraterno jure debeatur, hactenus teneas, et, quasi tocius consanguineæ affectionis oblitus, jus omne sibi competens non jure possideas... Nos qui ejus (Hadriani II) sollicitudinis, divina providentia, sicut sedis facti sumus heredes, te salubribus monendum affatibus ducimus, et a tanta injusticia conpescendum operæ precium arbitramur. » V. Löwenfeld, *Epistolæ pontificum Romanorum ineditæ*, p. 26.

3. V. *Neues Archiv*, t. V, p. 312, n. 44.

4. Quas in codice Londinensi ab Edmundo Bishop repertas atque a Paulo Ewald descriptas (*Neues Archiv*, t. V, p. 310, n. 38; p. 312, n. 43, 44), novissime edidit S. Löwenfeld, op. cit., p. 26, n. 47; p. 32, n. 56.

5. Id est, Veronæ, cum Hludowico Germanico atque Hludowico imperatore. V. *Fuldenses Annales*, a. 874 (Pertz, *SS.*, I, 388).

6. Carolo Calvo ipse etiam Johannes VIII se in Gallias profecturum minatus est, sed hoc satis infeliciter. Nam cum ignoraret (quod etiam ignorasse videtur Anastasius) regem Francorum Occidentalium ab Hadriano II secretas illas litteras accepisse, quibus, ut supra dixi, is pontifex se contra Carolum nihil cogitasse, nihil scripsisse, sed hanc esse aliorum machinationem confirmaverat, Johannes VIII ad eumdem regem hæc scribi voluit : « Nos, auxiliante Domino, quæ fatus dominus et decessor noster sanctæ memoriæ Adrianus papa cepit, nec tamen *propter continuas infirmitates suas* perfecit, totis consummare viribus satagemus. Quin potius et si necessitas imperarit, per nos accedentes, qui in spiritu lenitatis instruentes audiri despicimur, in virga, ut apostolice fatea-

tiones[1], omnia denique tentavit; et hoc aliquando eadem fere forma et verbis, quæ Anastasius, Hadriani II nomine scribens, usurpaverat[2].

At vero, ubi Hludowicus imperator obiit, mense Augusto anni 875, subito rerum facies immutari; Johannes papa se ad Calvum convertere, eum imperatorem exoptare, vocare, ac demum Romæ ritu sollemni coronare[3]. In quo sane non dubito quin summus pontifex de sedis apostolicæ utilitatibus et gloria præcipue cogitaverit; sed Carolus Calvus, ut Romanos sibi conciliaret, ad artes bene notas confugerat, aurum largiendo et munera, atque iis qui circum papam erant quasi vinum honorarium profundendo[4].

mur, venientes auctore Deo supplebimus. » Johannis VIII *Epist. ad Carolum Calvum* (Löwenfeld, op. cit., p. 26). In quibus litteris non mihi dubium est quin Johannis adjutor fuerit Anastasius bibliothecarius.

1. « Qui (Carolus Calvus) cum digna pro factis receperit, et apud nos tantus tirannus et violentus fuerit habitus, justaque percussione punitus, diffamabimus hunc apud Constantinopolitanum et cetera patriarchia et divulgabimus et quam sit sevus et impius nunciabimus, ut scilicet post dampnacionem universalis ecclesiæ toto orbe talis habeatur et teneatur, qualis apud ecclesiam nostram habetur et retinetur. » Johannis VIII *Epist. ad Hludowicum imperat.* (Löwenfeld, *Epist. pont. Rom. ined.*, p. 33). Hoc autem loco Johannem papam non de Græco aliquo principe, ut suspicatur Löwenfeld (op. cit., p. 32), neque de Devigili, ut P. Ewald existimat (Jaffé, nov. ed., n. 3005), sed de Carolo Calvo egisse, probavi in opere quod scripsi de *Formoso* (part. II, c. II).

2. Hadriani II *Epist. ad Hincmarum Rem.* (Migne, t. CXXII, p. 1302 A) et *Epist. ad Carolum Calvum* (Migne, ibid., p. 1297 D - 1298 A) conferas cum Johannis VIII *Epist. ad Engelbergam* (*Neues Archiv*, t. V, p. 312, n. 44 b), atque cum *Epist. ad Hludowicum et Karolum Hludowici filios* (ibid., p. 310, n. 38 a).

3. Die 25 m. Decembris a. 875. V. Hincmari *Annales*, a. 875, 876 (Pertz, I, 498); *Annales Fuldenses*, a. 875 (Pertz, I, 389); Johannis VIII Epistolas 20, 21, 22, 23, ap. Migne, t. CXXVI, p. 664-675. Unde vero Johannes papa, et quo maxime tempore, animum in Carolum regem mutaverit, pro meis viribus, in *Formoso* meo (part. II, c. II) invenire contendi.

4. Harum largitionum tanta, temporibus illis, fama fuit, ut eas plerique rerum scriptores, alii quidem alio studio, memoraverint : « Karolus... quanta potuit velocitate Romam profectus est; omnemque senatum populi Romani pecunia more Jugurthino corrupit sibique sociavit. » (*Fuld. Ann.*, Pertz, I, 389.) « B. Petro multa et pretiosa munera offerens. » (Hincmari *Annales*, a. 876, ibid., p. 498.) « Multisque muneribus honoravit sanctum Petrum et

Quid tum igitur Anastasius? Ut ante Hludowici imperatoris, nunc Calvi fit laudator immodicus assiduusque assentator. Immo vero, ut palinodiam inciperet, ne exspectaverat quidem dum Hludowicus imperator penitus exstingueretur; nam quattuor ante mensibus, mortem illius providens, atque fortunam, ut ita dicam, mox flaturam a Galliis auguratus, Carolo Calvo opus quoddam a se confectum cum litteris omni adulatione refertis mittere occupaverat[1].

Quem igitur regem nuper appellabat tyrannum, avarum, bestiam, nunc eumdem profitetur non tam ad terrena quam ad divina aspirare, neque aurum solum e terra, sed etiam ex libris sapientiæ thesauros effodere[2]. Nunc ait de Calvi virtutibus volare per orbem opinionem odoriferam[3]; miratur illius mores, miratur scientiam; stupet unde ille cum Patres Latinos, tum Græcos perscrutari non desistat[4].

prædictum papam. » (*Annales Vedastini*, a. 876, Pertz, *SS.*, II, 196.) « Karolus rex perrexit ad Romam, et ad ecclesiam beati Petri dona obtulit. » (Andreæ Bergomatis *Historia*, c. XIX, in *Monum. Germ. hist.*, in-4°, p. 230.) « Carolus Romam venit cum donariis multis, ipsoque die natalis Domini in imperatorem electus. » (Folquini *Chartularium Sithiuense*, ap. Migne, *P. L.*, t. CXXXVI, p. 1247.) « Carolus Romam perrexit, et datis apostolico Johanni et Romanis magnis muneribus, imperator creatur. » (Reginonis *Chronicon*, a. 874, Pertz, I, 587.) « Carolus... imperatoris nomen a præsule sedis apostolicæ Johanne ingenti pretio emerat. » (Ibid., a. 877, p. 589.)

1. Id est, *Scholia in Dionysium Areopagitam*, quorum Præfatio ad Carolum Calvum epistolaris ab Anastasio « data est VIII Kal. Aprilis, ind. 8 » (a. 875). Cf. Append. II.

2. « Ecce imperatorum solertissime et christianissime qui effodis et rimaris sapientiam sicut thesaurum, cui nihil sinistrum est, cum utraque nimirum manu pro dextera utaris. Nam sic humana rei publicæ commissa secundum legem Dei gubernacula moderaris, ut divina quæque non deseras, sed præferas. » Anastasii *Epist. ad Carolum imperatorem* (Migne, t. CXXIX, p. 737).

3. « Inter cetera studia quæ tam laudabilis actio quam saluberrima commonitio, quin etiam odorifera volans opinio de virtutum ac morum quantitate tuorum, o dictator inclyte, mortalium mentes excitat », etc. Anastasii *Epist. ad Carolum* (Migne, ibid., p. 739, et t. CXXII, p. 1026).

4. « Illud quoque non mediocriter est admiratione stupendum, quod non solum Latinos Patres, sed et Græcos rimari non cessas, et Romana lingua pollentes Pelasgarum facis rerum non expertes. » Ibid.

Olim ad regem Francorum Occidentalium nunquam suo nomine scripserat; nunc et complures epistolas, et quos libros de Græcis convertisset, Carolo Calvo assentatorie dedicatos semel ac sæpius mittit [1].

Si qui sunt quos apud eum principem multum gratiosos esse noverit, illos summis effert laudibus, quanquam ex hoc etiam illatas ante contumelias recantare debeat. Sic quondam, ad Carolum Calvum Nicolai ex persona scribens, graviter questus erat quod Johannes Scotus eos libros Areopagitæ quos nuper e græco sermone in latinum converterat, non sedi apostolicæ recognoscendos approbandosque permisisset [2], « præsertim cum, aiebat, idem Johannes, licet multæ scientiæ esse prædicetur, olim non sane sapere in quibusdam frequenti rumore diceretur [3] ». Quam etiam obtrectationem ab æmulatione quadam interpretis in interpretem profectam esse arbitror.

1. Videlicet *Passionem Dionysii Areopagitæ* (v. Migne, t. CXXIX, p. 737); *Scholia in Dionysium Areopag.* (ibid., p. 739, et t. CXXII, p. 1026); *Passionem S. Demetrii martyris* (Migne, t. CXXIX, p. 715). Cf. Appendicem II.

2. « Relatum est apostolatui nostro quod opus beati Dionysii Areopagitæ, quod de divinis nominibus, vel cælestibus ordinibus, Græco descripsit eloquio, quidam vir Johannes, genere Scotus, nuper in Latinum transtulerit. Quod, juxta morem, nobis mitti et nostro debuit judicio approbari. » Nicolai I *Epist. ad Carolum Calvum*, quæ ab Ivone Carnotensi sumpta est (v. *Decretum*, part. IV, c. 104; Jaffé, n. 2833; Migne, t. CXIX, ep. 115, p. 1119). Hujus quidem epistolæ exstat aliud exemplar magis, ut videtur, absolutum, quod primus Bulæus edidit (v. *Historiam Universitatis Parisiensis*, t. I, p. 184, et ap. Migne, t. CXXII, p. 1026), sed mihi quoque, ut quibusdam aliis (v. Migne, t. CXXII, p. 18), hæc Bulæiana lectio perfectam fidem non facit. Quare non parum doleo quod neque Ph. Jaffé, neque in posteriore *Regestorum* editione P. Ewald quæstionem de re illa proposuerint, eo magis quod in hoc exemplari de scholis Parisiacis agatur.

3. Migne, t. CXIX, p. 1119. Sunt qui conjiciant Johannem Scotum, ex eis quæ de *prædestinatione* adversus Gothescalcum scripserat, hanc sibi malam opinionem apud sedem apostolicam comparasse (v. Fr. Monnier, *De Gothescalci et Johannis Scoti Erigenæ controversia*, a. 1853, p. 5); alii vero propter ea quæ idem Scotus edidit *de corpore et sanguine Domini* (v. Mabillon, *Acta SS. O. S. B.*, t. VI, *Præf.*, p. LXXI), alii denique propter utrumque (v. *Histoire littéraire de la France*, t. V, p. 424). Ego nihil de hac re comperi.

At, ab anno 875, Anastasius, in gratiam Caroli Calvi, sententiam commutat. Dixerat olim Erigenam in mala esse opinione, nunc fama florere perfectæ sanctitatis asseverat[1]. Suspectum habuerat illius opus, hoc jam opinatur auctore Spiritu sancto atque magistra caritate conscriptum[2].

Nec minus mirum est quam sollerter, ab illo tempore, Anastasius cum Hincmaro Remensi rationem agendi verterit.

Vidimus enim in capite superiore qualem iste sententiam, in causa Hincmari Laudunensis, quasi ex Hadriani persona dixerit, quanta asseveratione affirmaverit nunquam rei ab episcopis judicatæ summum pontificem assensurum, nisi esset Romæ, præsente Hincmaro Laudunensi, tota causa refricata atque renovata.

Sed Johanni papæ VIII non idem placuit. Nam cum Carolus Calvus Romam, ad obtinendum imperium, venisset, per ipsos coronationis festos dies, summus ille pontifex, audita imperatoris narratione, rem liquere pronuntiavit, nec opus esse ut episcopus Laudunensis ipse audiretur, aut causa ante alios judices renovaretur[3].

1. « Mirandum est quoque quomodo vir ille barbarus, qui in finibus mundi positus, quanto ab hominibus conversatione, tanto credi potuit alterius linguæ dictione longinquus, talia intellectu capere in aliamque linguam transferre valuit. Johannem innuo Scotigenam virum, *quem auditu comperi per omnia sanctum,* » Anastasii *Epist. ad Carolum Calvum* (Migne, t. CXXIX, p. 739, et t. CXXII, p. 1027).

2. « Sed hoc operatus est ille artifex Spiritus sanctus, qui hunc ardentem pariter et loquentem fecit,.. Hunc magistra caritas docuit, quod ad multorum instructionem et ædificationem patravit. » (Ibid.) Addit tamen Anastasius, homo sane magnæ modestiæ, Johanni Scoto Spiritum sanctum « ad mensuram » tantum datum esse, ex quo sibi necesse fuerit ampliorem lucem rei admovere. (Ibid.)

3. « Quia tamen carissimus filius noster Carolus invictissimus imperator, a nobis diligentissime percunctatus, circumstantiam judicii a beatitudine tua coepiscopisque suis in Hincmarum dudum Laudunensem episcopum prolati apostolatui nostro retulit, agnovimus justum fuisse omnino judicium. Neque enim tantus princeps nisi veritate fultum quidquam poterat affirmare. Unde

Hincmarum enim juniorem jure meritoque condemnatum atque dignitate dejectum professus est, jussitque ut in sedem Laudunensem alius episcopus sine ulla cunctatione sacraretur [1].

Quod quidem Johannes VIII, qui prioris sententiæ particeps non fuerat, in aliam abierit, hoc nec laudi nec crimini dare volo, quamvis in ea epistola quam papa de hoc scribendam curavit, imperatoris fides effusius laudata videatur [2]. Verum vero, si quis hac in re verecundari debuit, hic erat bibliothecarius qui non ita pridem, ut regi Francorum Occidentalium molestias inferret, occasionem ex eodem illo judicio avidissime rapuerat. Et tamen has apostolicas litteras, quibus Johannis VIII sententia cum summis Calvi laudibus continebatur, ipse Anastasius composuit, at certe ad Hincmarum Remensem ferendas dedit. Nam in ejus epistolæ exemplari quod typis expressum est [3] hæc leguntur : « *Data est Romæ Theodorico, jussu papæ Johannis et domni Caroli novi imperatoris, per manus Anastasii bibliothecarii, in secretario ecclesiæ sancti Petri, anno incarnationis Dominicæ* 876, *Nonis Januarii, indictione IX. Et delata est ab eodem Theodorico in civitate Rhemis Hincmaro Rhemorum archiepiscopo, eodem anno et eadem indictione, V Idus Martii* [4]. »

nefas esse duximus ejus relationi non præbere incunctanter auditum. » Johannis VIII *Epist. ad Hincmarum archiepisc. Remens.* (Migne, t. CXXVI, ep. 17, p. 602).

1. Ibid. Carolus autem imperator, longius progressus quam Johannes papa decreverat, Hincmaro Laudunensi oculos effodi jussit. Cujus facti invidiam recentiores quidam historici, sine ulla auctoritate et argumento, in Hincmarum seniorem ex parte conjiciunt. V. Gorini, *Défense de l'Église*, a. 1866, t. III, p. 123-126.

2. V. *Le pape Formose*, p. 228-9.

3. Exemplar illud edidit Jacobus Sirmond ex codice S. Remigii Remensis. V. *Concilia Galliæ*, t. III, p. 422.

4. V. Sirmond, *Concilia Galliæ*, t. III, p. 423, et Migne, t. CXXVI, ep. 17, p. 683. Carolus Calvus, dum Romæ versabatur, alias litteras a Johanne

Ita Anastasius sperabat fore ut archiepiscopus Remensis, hoc novo devinctus officio, veteres injurias oblivisceretur. Quam spem non frustra omnino fuisse ex hoc colligere licet quod Hincmarus, ab illo tempore, non dico Anastasii moribus (res erat difficilior), sed scientiæ laudes non dubitavit tribuere[1].

III. Hæc annis 876 et 877. At anno sequente Anastasius ultimæ graviorisque palinodiæ spectaculum dedit.

Johannes enim papa VIII, anno 879, ob eas causas quas, de Formoso scribens, multa disputatione proposui[2], Photium in sedem Byzantinam, mortuo Ignatio[3], restitutum appro-

papa pro monasterio S. Medardi Suessionensis obtinuit; quas etiam Anastasius bibliothecarius a se dandas eadem assentatione curavit. V. Johannis VIII *Epist. ad Congregationem S. Medardi* (Migne, t. CXXVI, p. 662 B; Jaffé, n. 3033). Idem dicendum videtur de illo *Privilegio* quod Johannes VIII, Caroli Calvi efflagitatu, monasterio S. Vedasti eodem tempore concessit; cujus in clausula, quam vitiosam eruditi recte existimant (Jaffé, n. 3022), pro « Anastasii primiscrinii » legendum esse opinor « Anastasii bibliothecarii ». (V. Migne, ibid., p. 659 C.)

1. Etenim, a. 876, Hincmarus Carolo Calvo scribens, Vitam Pseudo-Areopagitæ ab Anastasio latine translatam his verbis laudavit : « Lecta beati Dionysii Passione a Methodio Constantinopolim Roma directo Græce dictata, et ab Anastasio utriusque linguæ perito et undecunque doctissimo, apostolicæ sedis bibliothecario translata. » Hincmari *Epist. ad Carolum imperatorem* (Migne, t. CXXVI, ep. 23, p. 153). Atque idem archiepiscopus in suis *Annalibus :* « Constantinopolim... Anastasius, bibliothecarius Romanæ sedis, utriusque linguæ, græcæ et latinæ, peritus, perrexit. » (Pertz, I, 494.) Quæ verba, etsi in annum 872 relata sunt, tamen hoc anno scripta esse dici non potest, cum supra probaverim Hincmaro morem fuisse ut facta non singulis annis, sed multo post aliquando conscriberet; idque de loco quem agimus eo magis constat quod Hincmarus, ad eum componendum, Vitam Hadriani II adhibuisse videtur (cf. Pertz, l. c., et *Vitam Hadriani II*, c. XXXIV, p. 238, et c. XLII, p. 243-4), quam sane Roma arcessere non potuit, nisi post defunctum Hadrianum, atque ab iis, quantum conjectura consequor, qui, a. 875, Carolo Calvo itineris Romani comites fuerunt. Nec enim tum primum Hincmarus Romam proficiscentibus, ut *Gesta* summorum pontificum referrent, mandata dederat. V. Hincmari *Epist. ad Egilonem archiep. Senon.* (Migne, t. CXXVI, ep. 8, p. 68 A).

2. V. *Le pape Formose*, part. II, c. III.

3. Ignatium mortuum esse non anno 878, sed d. 23 m. Nov. anni 877, probavit Hergenröther cardinalis. V. *Photius*, t. II, p. 286 sqq.

bavit. Sed jam mense Aprili anni 878, cum de morte Ignatii Romam fama nondum venisset, iratus pontifex quod senex ille patriarcha, post multas admonitiones minasque gravissimas [1], Græcos clericos ex Bulgaria revocare nollet, ultima paratus experiri, duos legatos Constantinopolim miserat [2], qui jussa sedis apostolicæ extremum denuntiarent, aut Ignatium repugnantem de dignitate patriarchali dejicerent [3].

Hi quidem legati nihil de Photio in locum Ignatii sufficiendo decernere debebant, at omnibus manifestum apparebat instare diem cum id certo fieret.

Jam enim Photio Basilius imperator, mutato consilio, favebat, eumque ab exsilio reducem in ipsa regia collocaverat [4]. Jam Romanos diversis artibus sollicitabat [5]; atque ultro legationem a summo pontifice efflagitaverat [6], sperans, id quod sæpe acciderat, per istos legatos

1. V. Johannis VIII *Epist. ad Domagoi* (*Neues Archiv*, t. V, p. 300, n. 9), et *Epist. ad Basilium imper.* (ibid., p. 309, n. 37).

2. Eugenium videlicet episcopum Ostiensem et Paulum Anconitanum episcopum, qui Byzantium profecti sunt cum litteris apostolicis, datis mense Aprili a. 878. V. Migne, t. CXXVI, ep. 108-113; Jaffé, n. 3130-3135.

3. « Si pertinaciter in hac indisciplinatione atque pervasione permanseris, et episcopos et quotquot illic (in Bulgaria) vel illi vel tu consecrasse videris, foras illinc minus expuleris, omnipotentis Dei judicio et beatorum apostolorum principum auctoritate nostræque mediocritatis sententia, omni patriarchatus esto dignitate, quam favore nostro receperas, alienus et exsors, nullo penitus summi sacerdotii privilegio præditus vel potitus. » Johannis VIII *Epist. ad Ignatium patriarcham* (Migne, t. CXXVI, p. 764).

4. V. Nicetæ *Vitam Ignatii* (Coleti, t. X, p. 757 B).

5. Basilium imperatorem, ut Romanos sibi adjungeret, easdem artes quas Carolus Calvus solitum esse adhibere, id est, aurum et munera amplissimis civibus largiri, ex iis constat quæ, a. 885, Stephanus papa V ad Theodosium episc. Orientanum scripsit : « Fidelium relatu comperimus qualiter antecessor noster papa Adrianus (III) te, apostolica legatione ad pium imperatorem fungentem, Constantinopolim olim direxerit, recipiens ab eo tam et debitas pensiones, quam et alia dona nostræ ecclesiæ *et aliis fidelibus nostris* ab eo directa. Unde quia hoc fideliter te egisse audivimus, gratias sanctitati tuæ referimus. » (*Neues Archiv*, t. V, p. 400, n. 1 ; Jaffé, n. 3405.)

6. Per litteras quæ, ut credibile est, Romam a. 877 allatæ sunt. V. Johannis VIII *Epist. ad Basilium imper.* (Migne, t. CXXVI, ep. 113, p. 766 A).

muneribus aliisque artibus corruptos se ad optatos exitus perventurum[1]. Et hoc succedere posse eo magis videbatur quod tum Johannes papa, qui, a Carolo Calvo defuncto, ex aliis Occidentis regibus defensorem atque imperatorem frustra quæsierat, spem ad Græcos in Italia jam firmiores ac mari præsertim validos inceperat convertere[2].

Rem igitur sensit Anastasius, nec jam tempus esse Photio maledicendi, sed, quantum fieri poterat, blandiendi.

In eo profecto homine qui se jactaverat universum orbem in Photium concitasse, qui Photii damnationem ejectionemque opus suum, suam victoriam appellaverat, qui, ut pauca de multis referam, eumdem esse dixerat « falsarium, perversorum dogmatum cultorem, inventorem malorum, hominem peccati perditionisque filium[3] », qui denique, cum Hadrianus II se benigniorem præstitisset, proditionem clamitaverat violataque sedis apostolicæ decreta, hoc videbatur insignis audaciæ consilium nunc Photianam amicitiam affectare. At iste solitus erat earum injuriarum oblivisci quas aliis intulisset, iisdemque quos percussisset infensa manu amicam porrigere procaciter.

Itaque sua sponte suoque nomine Anastasius ad Photium litteras mittere non erubuit, amicitiam studiumque deferens, seque adjutorem ad fortunam afflicti patriarchæ relevandam professus[4].

At parum felices blanditiæ atque inutile mendacium,

1. Quod ut facilius obtineret, ipse quos vellet legatos nominatim designaverat : « Quia vero Deo amabiles viros, quos nominatim litteris expetitis, quibusdam incommodis impeditos destinare nequivimus, misimus Paulum et Eugenium », etc. Johannis VIII *Epist. ad Michaelem imper.* (Migne, ibid., p. 766).

2. Hoc Johannis papæ VIII consilium, in *Formoso* meo, satis, ut opinor, illustravi (part. II, c. III).

3. V. Anastasii *Præfationem in synodum VIII* (Migne, t. CXXIX, p. 18).

4. Harum litterarum, quæ jam evanuerunt, propositum atque significatio ex responso Photii haud obscure cernitur.

Hæc enim epistola, quam, ut veri est simillimum, Anastasius, mense Aprili a. 878, legatis apostolicis iter Byzantinum ingredientibus commiserat, Constantinopolim serius quam oportuit allata est. Erat tum Photius in dignitatem patriarchalem imperatoris auxilio et favore restitutus[1], ut jam serum Anastasii auxilium mercenariamque amicitiam parvi facere posset.

Rescripsit quidem patriarcha, idque summa verborum lenitate meditatoque temperamento, sed ipse non oblitus quæ olim ab Anastasio passus esset, ita dulci miscuit acerbum ut, dum palam gratias referre videbatur, crimen sollertissime subjiceret, hoc videlicet eleganti ironia inculcans multo melius atque utilius fuisse, si quondam rebus in adversis, non vero postquam visa erat fortuna prospera redire, hæc oblata esset amicitia præstitumque officium. Sic enim respondebat Anastasio[2] : « Illum sero subvenisse, cum jam esset conflicta pugna. Hoc sane consilium non

1. V. *Acta concilii Byzantini* a. 879 (Coleti, t. XI, p. 389, 392, 393); Nicetæ *Vitam Ignatii* (ibid., t. X, p. 753, 756, 757, 760); Styliani *Epist. ad Stephanum papam V* (ibid., t. X, p. 908, 909). Cf. *Le pape Formose*, part. II, c. III.

2. Hæc est Photii ad Anastasium integra epistola :

Ἀναστασίῳ πρεσβυτέρῳ καὶ βιβλιοθηκαρίῳ Ῥώμης.

Ἀφ' ἱερᾶς μέν σοι, τὸ παροιμιῶδες, ὁ ἀγών (Græcum istud proverbium quod latine reddi vix potest, a quodam, ut opinor, calculorum lusu translatum est, cum nempe ii qui ludunt calculos ad lineam sacram quam vocant admovere coguntur, in quo est ultima colludendi ratio ac finis) · ὀψὲ δὲ τῆς χρείας, καὶ τῆς γνώμης οὐ μέμφομαι. Τὸν καιρὸν δ' ὁρῶ παρελάσαντα, καί μοι δοκεῖ τοῦτον οὐκ ἀκόμψως ὁ αἰνιγματιστὴς ἀπεικάζων λόγος, ἔμπροσθεν μὲν ἀκερσεκόμην, ὄπισθεν δὲ κουρίαν ἐν χρῷ, διαγράψασθαι. Ἐπειδὰν γάρ τις ὀπίσω τοῦ χρόνου γένηται, κἂν μυρίαις αὐτὸν ἐπιδιώκῃ τέχναις, οὐκ ἔστιν αὐτοῦ περιδράξασθαι. Ἀλλ' εὖγέ σοι καὶ τῆς διὰ βράδους ἐλθούσης συμπαθοῦς προαιρέσεως. Φίλων γὰρ, οὐχὶ τῇ χρείᾳ τὴν χάριν μετρεῖν, τῇ προθέσει δὲ κρίνειν τὴν εὔνοιαν. (Migne, *P. G.*, t. CII, p. 877.) At vero quoniam complures viri historici quo tempore hæc epistola scripta sit ignorarunt, atque inde de Anastasii conjunctione cum Photio multa falsa narrarunt (v. infra, p. 285, n. 1), hoc primum animadvertendum est, ex hac inscriptione litterarum liquere, Anastasium, cum hæc scriberentur, in munere bibliothecarii atque in dignitate sacerdotali consti-

se reprehendere, sed præteritam occasionem videre, de qua per similitudinem haud inepte dici solet fronte illam esse capillatam, calvam vero occipite, ut si quis eam prætermissam a tergo arripere voluerit, omnem operam, omnes artes perdiderit. Se tamen propter præsentem benevolentiam, quamvis hæc tardo incessu accesserit, Anastasio gratias agere, propterea quod amicorum est (videas ut scriptor finem faciens aculeos quasi in plaga relinquat) gratiam non utilitate metiri, sed animorum caritate. » Ita callidus a callido, bibliothecarius Romanus a Græco patriarcha verecundiam salse meritoque edoctus est[1].

IV. Verumtamen Photianam illam ironiam Anastasium vivum attigisse, certum affirmare non ausim. Nam si verum est id quod probabili conjectura consequor, Photium hanc epistolam Santabareno commisisse[2], famoso illi abbati,

tutum fuisse, id est, Hadriani papæ II aut Johannis VIII temporibus. Sed cum Bibliothecarius ad extremum usque pontificatum Hadriani II Photium infensissimum gravissimis contumeliis onerare perseveraverit (v. Anastasii *Præfat. in synodum VIII*, ap. Migne, t. CXXIX, p. 13), restat ut, Johanne VIII pontifice, hæc mutatio facta sit, cum scilicet, ut diximus, Romani de Photio in sedem Byzantinam reducendo cogitare cœperunt anno circiter 877.

1. Baronius, cui quidem, cum de Photio ageretur, nec erat liber animus, nec judicandi æquabilitas, hanc fabulam ad excusandum Anastasium confinxit : bibliothecarium nempe Romanum non ipsum priorem cum Photio communicasse, sed deceptum esse ab isto patriarcha, qui, ut Baroniana verba referam, « homo callidus et veterator, consuetudine litterarum aliqua cum Anastasio bibliothecario Romanæ sedis contraxit familiaritatem, quem apud Johannem Pontificem plurimum posse sciret ». (*Annales*, a. 878, n. VIII.) Quod Baronii commentum recentiores quidam historici imprudenter secuti sunt (v. Hefele, *Histoire des conciles*, t. VI, p. 8; Jager, *Histoire de Photius*, p. 252), quanquam illæ epistolæ quas fingunt nusquam reperiantur, ex hac autem quæ exstat adhuc Photium non ultro scripsisse, sed rescripsisse pateat. Atque apud eos auctores tanta est hujus historiæ perturbatio, ut Anastasium opinentur amicitiam cum Photio junxisse dum legatus ille Hludowici imperatoris Constantinopoli versabatur (v. Hefele, l. c.). Et nos vidimus ut tum Bibliothecarius Photio condemnato infestus fuerit; ut illius odium, non amicitiam comparandam curaverit!

2. Primus est enim Santabarenus qui, post receptam Anastasii epistolam, Romam a Photio venerit. V. *Le pape Formose*, part. II, c. III.

qui, ut Johannem papam Photio magis magisque conciliaret, Byzantio in Italiam, ineunte anno 879, cum imperatoris legatis profectus est, ex altera parte constat hujus adventu Romam, id est, exeunte mense Maio, aut mense Junio [1], Anastasium aut jam obiisse, aut saltem mortem vidisse proximam. Etenim primis diebus mensis Augusti a. 879 Bibliothecarium jam e vivis excessisse, ex hoc infertur quod eo tempore alius in ejus locum et munus successerat [2]. Hinc est etiam, ut opinor, cur Photius, quanquam, hoc eodem extremo a. 879, ad eos Romanos quos fautores habuerat aut sibi magis volebat placatos, litteras misit [3], nihil tamen scripserit ad Anastasium, quippe quem nuper mortuum accepisset [4].

1. Quod colligo ex iis quæ, die 6 mensis Maii a. 879, Johannes papa VIII ad Gregorium bajulum imperialem scribebat : « Legatos ab urbe Constantinopolitana ad nos directos per Beneventum, deinde per Capuam dirige, quoniam jam habemus præordinatum qualiter, Deo volente, ad nos salvi atque illæsi perveniant. » Johannis VIII *Epist. ad Gregorium primicerium et bajulum* (Migne, t. CXXVI, ep. 220, p. 834). Cf. *Epist. ad Pandenulfum* (ibid., ep. 207, p. 826). Santabarenum autem hujus legationis participem fuisse testis est Nicetas, in *Vita Ignatii* (Coleti, t. X, p. 760-761).

2. V. infra, p. 287, n. 1. Jam a pluribus annis Anastasius de valetudinis confectione querebatur. Sic enim, mense Junio a. 876, ad Carolum Calvum scripserat : « Etiam inter diversos languores positus, arrepto interpretandi conamine, latino eloquio tradidi. » (Migne, t. CXXIX, p. 737.) Et mense Februario a. 875 ad alium nescio quem : « Votis parere tuis etiam languidus malui. » Anastasii *Præfatio in Passionem SS. Cyri et Johannis* (Migne, ibid., p. 705). Quapropter, iisdem fere temporibus, scribens ad Johannem diaconum, ne brevi vita sibi deficeret, vereri videbatur. V. Anastasii *Præfat. in Historiam tripertitam*, ap. Migne, *P. G.*, t. CVIII, p. 1190 B; et ed. de Boor, p. 35.

3. Id est, ad Gaudericum Veliternensem episc., Zachariam Anagninum, et Marinum Cerensem, qui postea papa fuit. V. Hergenröther, *Photius*, t. II, p. 555.

4. Johannes VIII, circiter mense Junio a. 879, ad abbatem quemdam, Anastasium nomine, scripsit, præcipiens ut quam cellulam S. Valentini rapuerat Gauderico episcopo redderet (v. Johannis VIII *Epist. ad Anastasium religiosum abbatem*, Migne, t. CXXVI, ep. 237, p. 849; Jaffé, n. 3266). Hunc quidem existimo eumdem abbatem esse de quo Johannes VIII, a. 878, sic scripserat : « Amalfitani... quædam studio calliditatis astruunt, quia utrique abbates, Johannes videlicet ac Anastasius, quos illuc ex nostra parte direximus, non in

Ergo sic infauste contigit (est enim etiam rerum ironia), ut Anastasius tum vitam opesque relinqueret, cum invisus ille patriarcha, cujus fortunam everterat, rursus ad summum fastigium tolleretur. Atque, ut esset quasi asperior irrisio, in ejus locum bibliothecarius sedis apostolicæ creatus est vetus ille Photii amicus et fautor, in quem ipse quondam Anastasius, Nicolai nomine scribens, graviter invectus erat, episcopus scilicet Anagninus, Zacharias[1].

Hic fuit ejus vitæ finis, quam quidam fortasse præreptam existimabunt (erat enim Anastasius annos tantum natus circiter sexaginta duo), sed quam nos longiorem jure dicamus. Hic ejus fabulæ actus ultimus nec indigna conclusio.

V. Itaque bibliothecarius ille, multum quidem celebratus, sed parum cognitus, qualis revera fuerit nunc possumus, aut ego fallor, exploratius judicare. Cui certe nonnulla bona fuerunt, ingenium, industria, litterarum amor, atque, ut temporibus illis, scientia, quam si probe usurpasset, bene meritus esset de sedis apostolicæ nomine

decem milium tantum mancusorum, sed in duodecim milium plaitasse, quod iidem abbates coram nostra præsentia non se fecisse jurando refellunt » (Johannis VIII *Epist. ad Landolfum episc. Capuanum*, Migne, ibid., ep. 99, p. 749-750; Jaffé, n. 3126); sed eumdem esse atque Anastasium bibliothecarium, quod opinatur Hergenröther cardinalis (*Photius*, t. II, p. 240), nihil est quod confirmare valeamus, eo magis quod parum sit veri simile ut Johannes papa, de bibliothecario sedis apostolicæ sermonem agens ac maxime ad eum scribens, abbatem tantum eum appellaverit. Re quidem vera Anastasii nostri ultima mentio reperitur in illo diplomate quod, d. 29 m. Mai a. 877, Johannes VIII monachis Flaviniensibus concessit, quodque comperimus datum esse « per manum Anastasii bibliothecarii ». V. *Analecta juris pontificii*, a. 1881, p. 134-135; Jaffé, n. 3104.

1. Mense Augusto a. 879, scriptum illud quo Johannes VIII cesserat ut Photius in sedem patriarchalem restitueretur, ecclesia Romana in synodum congregata consignavit. Zacharias autem nomen primus adscripsit hoc modo : « Zacharias episcopus ecclesiæ Anagninæ et bibliothecarius apostolicæ sedis in hoc commonitorio pro receptione Photii sanctissimi patriarchæ propria manu subscripsi. » (Migne, t. CXXVI, p. 869; Jaffé, n. 3276.) De quo commonitorio plura dixi in *Formoso* meo, part. II, c. III.

et dignitate; sed non intellexit res maxime sacras virtute, non mendacio defendi, magisque religioni prodesse simplicem fidem quam artes etiam sollertissimas, cum præsertim, quantumvis depressa fuerit, tandem aliquando emergat veritas.

Quapropter, quanquam initio dicebam in improbitate hominum versari eorumque maxime qui ad rem ecclesiasticam accesserint, magnum mihi atque ingratum opus videri, hanc tamen meam operam, multosque in ea consumptos labores non deflendos existimo. Est enim huic etiam disputationis generi suum momentum, sua utilitas, cum præstet in commentariis historicis tristia vera cognoscere quam grata falso retinere.

Nec me pænitet quod longam navigationem per varios scopulos tenuerim; unus est enim rerum scriptoribus reformidandus scopulus, unum naufragium, ne videlicet in errorem turpiter appellant; quem utinam, ut ex animo ac perseveranter volui, sic reipsa prospereque vitaverim!

APPENDICES DUÆ

APPENDIX PRIOR

MONUMENTA ET NOTAS COMPLECTENS QUÆ NARRATA IN HOC OPERE AUT PROBATA MAGIS ILLUSTRENT AC CONFIRMENT

IN CAPUT II

De prima Anastasii excommunicatione in concilio Romano lata.

Ex Actis concilii Romani, d. 16 m. Dec. a. 850, adversus Anastasium habiti, nihil nunc exstat, nisi hæc epitome (ego *tomum* illum nominavi), quam a Leone papa IV foribus S. Petri, parte dextera, affixam, sed deinde ab Anastasio deletam, Benedictus papa III rursus describi ac proscribi jussit[1] :

Imperantibus dominis nostris, Lothario et Ludovico Augustis, mensis Decembris die decima sexta, indictione 14.

Leo episcopus, servus servorum Dei. Anastasius, presbyter cardinis nostri, quem in titulo beati Marcelli ordinavimus, quique secedens ab eo ad alienas parochias absque nostra pontificali scientia demigratus est, quem per missos et litteras nostras vocavimus, et pro quo dominos imperatores supplicati per missos nostros, ut eum ad suam parochiam redire juberent, qui nunc huc, nunc illuc latitando in ipsa demigratione per biennium moratus est, et ad duo vocatus concilia nostra minime venit, sed neque inventus est ; quia, ut prædiximus, veluti ovis errans extraneis regionibus suadente diabolo occulte inhabitabat, secundum cano-

1. Epitomen cum hujus concilii, tum duorum aliorum Leonis IV temporibus habitorum, atque Hadriani II Decretum ab Hincmaro Remensi accepimus. Nam, cum ipse Hadrianus Anastasium condemnasset, has decessorum suorum epitomatas sententias cui suam sententiam junxerat, uno libro collegit, quem Roma arcessitum Hincmarus in suos Annales retulit. V. Pertz, *SS.*, t. I, p. 477-479.

nica instituta ex Dei omnipotentis et beati Petri apostoli nostraque simul apostolica auctoritate ab hodie sit communione privatus, donec ipse meæ speciali præsentiæ in canonico judicio fuerit præsentatus, et si non venerit, nunquam communicet.

Quibus, in collectaneis Hadriani II jussu compositis, hæc erant adjuncta :

Post Romanum pontificem in hac excommunicatione consenserunt archiepiscopus Ravennatis et Mediolanensis, aliique numero 75.

De secunda Anastasii excommunicatione in synodo Ravennatensi lata.

Neque exstant adhuc Acta synodi Ravennatensis in eumdem Anastasium d. 29 m. Maii a. 853 habitæ, sed hæc tantum epitome quam Leo IV Ravenna Romam regressus, d. 19 m. Junii ejusdem anni, foribus S. Petri, parte sinistra, affigendam curavit, quamque ab Anastasio deletam Benedictus III restituit[1] :

Leo episcopus, servus servorum Dei, omnibus episcopis, presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, et universis clericis cunctoque populo christiano. Quod bene ac pleniter vobiscum simus[2], carissimi fratres, scitis, nunc iterum pro cautela et memoria temporum futurorum dilectioni vestræ cognitum esse volumus, quomodo instigante ac suadente diabolo Anastasius, presbyter cardinis nostri, quem nos in titulo beati Marcelli ordinavimus, contra statuta patrum provinciam ecclesiamque deserens, ecce jam quinquennii tempus in alienas parochias velut ovis errans discurrit, quem etiam auctoritate suffulti canonica apostolicis litteris per tertiam quartamque vicem vocavimus. At ubi redire distulit, duo pro eo episcoporum concilia congregavimus, quorum conventu cum ejus non potuissemus videre vel habere specialem præsentiam, communi eum decreto sancta communione privavimus, volentes siquidem suam per hujus excommunicationis censuram ad gremium sanctæ, a qua discesserat, matris ecclesiæ personam reducere. Sed apostolica monita sanctique concilii pro nihilo ducens, erroris irretitus caligine, redire nullatenus voluit. Proinde, sicut Ravennæ

1. V. Hincmari *Annales*, a. 868, p. 478.
2. Sic in editis, sed rectius « nobiscum simul », ut infra, p. 294, l. 4.

nobis degentibus de eo in ecclesia beati Vitalis martyris mense Maio die 29 indictione prima ore proprio promulgavimus, nunc iterum in ecclesia beati Petri apostoli mense Junio die 19 indictione superius annotata similiter promulgavimus: sit ille a sanctis patribus et a nobis anathema, et omnes qui ei sive in electione, quod absit, aut pontificatus honore adjutorium præstare vel solatium quodcumque voluerint, simili anathemate subjaceant.

Quod renovans Hadrianus papa II sic addidit :

Post Romanum pontificem in hoc anathemate censuerunt Johannes archiepiscopus Ravennatis, Nottingus[1] et Sigilfredus[2], episcopi domni imperatoris, et sex episcopi ad prædictum archiepiscopum pertinentes, quorum notitiam non recolimus, et alii tam ex Romana urbe quam ex aliis numero 56, absque presbyteris et diaconibus sanctæ Romanæ ecclesiæ.

De tertia Anastasii excommunicatione atque depositione in concilio generali Romano pronuntiata.

Concilii vero generalis, Romæ d. 8 m. Dec. a. 853 habiti, Acta ad nos integra pervenerunt[3], ex quibus, quoniam plura alia decreta sunt, ea tantum quæ ad Anastasium pertinent, decerpenda curavi :

Et hoc dicto Theodorus notarius ac scriniarius sanctæ Romanæ ecclesiæ[4] legit :

Imperantibus dominis piissimis perpetuis Augustis, Hlotario a Deo coronato pacifico et magno imperatore anno XXXVII, sed et Hludowico Deo coronato ejus filio novo imperatore anno V, mense Decembrio, die VIII, indictione II, in civitate nova, cujus vocabulum Leoniana est, intra ecclesiam ubi corpus beatissimi Petri apostolorum principis conditum est.

Leo episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus missis sacratissimorum imperatorum filiorum nostrorum, Joseph Eporediensis

1. Episc. Brixiensis, qui etiam concilio generali hoc eodem a. 853 Romæ habito subscripsit. V. Coleti, t. IX, p. 1138 A.

2. Episcopus, ut videtur, Regiensis. V. Pertz, *SS.*, t. I, p. 478, n. 10.

3. Sunt ap. Coleti, *Sacrosancta concilia*, Venetiis, a. 1729, t. IX, p. 1115 sqq. Excerpta quædam hujus concilii Deusdedit cardinalis in suam *Collectionem canonum* transcripsit, libr. II, c. XLVI, p. 192-193.

4. Hic videtur esse Theodorus notarius, Nicolai papæ I pater (v. *Vitam Nicolai*, c. I, ap. Vignoli, t. III, p. 170), de quo est etiam mentio in Leonis IV et Benedicti III litteris. V. Jaffé, n. 2616, 2653, 2663, 2666.

ecclesiæ antistiti, seu Petro Spoletinæ, itemque Petro Arretinæ ecclesiæ episcopis, ac Notingo episcopo Brixiensi, universæque sanctæ synodo hic pariter congregatæ.

Quod bene ac pleniter nobiscum simul, fratres carissimi, scitis, nunc iterum dilectioni vestræ cognitum esse volumus, quomodo instigante ac suadente diabolo Anastasius presbyter cardinis nostri, quem nos in titulo B. Marcelli martyris atque pontificis ordinavimus, contra statuta patrum propriam ecclesiam deserens, ecce jam per quinquennii tempus in alienis parochiis, id est, Aquilejensibus, velut ovis errans degere ac temere inhabitare præsumpsit. Quem etiam auctoritate suffulti apostolica et canonica, apostolicis litteris per tertiam et quartam vicem vocavimus; ac ubi redire distulit, duobus congregatis episcoporum conciliis, cum eum non potuissemus videre vel habere specialem præsentiam, communi eum decreto sancta communione privavimus. Volentes siquidem suam per hujus excommunicationis censuram ad gremium sanctæ, a quo discesserat, matris ecclesiæ personam reducere, juxta illum, in quo omnem necessitatem presbyteris a propria ecclesia discedentibus imponi præcipitur ac promulgatur. Sed apostolica monita sanctique concilii pro nihilo ducens, erroris irretitus caligine redire nullatenus voluit. Postmodum vero Ravennæ, nobis cum piissimo invictoque domino Hludowico imperatore spiritali filio nostro degentibus, ejus clementiam exoravimus ut eumdem presbyterum ad nos suamque ecclesiam reverti juberet, quod omni alacritate nostro repromisit perficere pontificio, diem constituens atque denuncians, in quo eum remeare sanciret. Missos etiam majestatis suæ nobiscum reliquit Notingum scilicet episcopum Brixiensem, et Adelgisum illustrem comitem, qui revertentem illum nostro conspectui præsentarent. Quibus expectantibus illic nobiscum usque ad diem statutum et ultra, præfatus presbyter non advenit; ac iidem missi se illum nobis repræsentare non posse professi sunt. Post transactum autem placitum, dum eum mandatis nostris temere renitentem conspexissemus, ita ut nec jussis apostolicis obedire voluisset, neque sanctioni venerandi concilii conservatorem se, a quo sancta communione privatus existeret, exhibuisset, ac plurimos sua læsione pestifera maculasset, quin et domini Hlotarii præstantissimi imperatoris decreto redire jubenti pertinaciæ suæ intemperantia restitisset; ne ulterius suo exemplo ecclesiasticus ordo confunderetur, et Christianitatis religio profanaretur, anathematis eum vinculo cum sacerdotum nostrorum consensu nodavimus. Ubi etiam præsto fuerunt idem dictus Notingus Brixiensis episcopus, et Adelgisus illustris comes, præfati missi domini Hludowici serenissimi impe-

ratoris. His ita peractis, Ravenna remeantes advenimus Romam; ipseque jam fatus presbyter præventus est Clusium : ad quem tres venerabiles episcopos nostros cum vocationis litteris destinavimus, Nicolaum videlicet, Petronacium et Johannem, monentes eum tam per se quam per epistolas, quas ei per eosdem mandavimus, ut die quinto decimo mensis Novembris hujus secundæ indictionis ad generalem synodum absque omni dilatione vel mora occurrere debuisset. Ille autem, ut semper, ita et nunc in sua inquietudine atque audacia perseverans, venire, ut omnes modo nobiscum cernitis, distulit atque contempsit. Nos autem post tantas vocationes, tantosque labores, quot una vobiscum pro eo habuimus, quid aliud nunc facere vel agere possumus, nisi ut canonum promulgationem, ob illius indisciplinatam mentem, vobiscum venerabilibus et imperialibus missis, carissimis in Christo fratribus nostris, nec non cum ceteris episcopis atque presbyteris hac synodo residentibus atque stantibus diaconibus, ac reliquo clero, in eum communiter inferamus, quæ de talibus in tertio Antiocheni concilii capitulo luce clarius continentur?

Ad hæc omnes episcopi sancta synodo residentes dixerunt : Vestræ sanctitati si placet, veniant in medium venerabiles episcopi, per quos eum vestris apostolicis litteris accersiri decrevistis. Illico surrexerunt, Nicolaus videlicet, Petronacius et Johannes episcopi, et coram omnibus voce clara dixerunt : Nos secundum jussionem beatissimi præsulis nostri præsentialiter verbis et litteris eum vocavimus; quarum exemplaria en, ut cernitis, in manibus; et, si vobis placet, legantur. Sancta synodus dixit : Legantur.

Tunc relecta sunt per Theodorum notarium et scriniarium sanctæ Romanæ ecclesiæ, in quibus continebatur ita.

Leo episcopus, servus servorum Dei, Anastasio presbytero excommunicato.

Cum spiritualibus te nostris procreatum visceribus noscimus, tua deceptione quotidie ingemiscimus, qui sinu matris tuæ progressus, erroris irretitus caligine alienis parochiis vel regionibus immorari, contra præcepta patrum canonumque sanctionem, non dubitas. Revertere igitur, salutisque incedere summopere callem procura, te ne vana spes decipiat, caducæque adulationes subvertant. Sed terrenis mente actibus erigens, ea quæ superna infinitaque permanent, inquiescibili intuitu anhelare memento. Quia salutem semper tuæ cupimus animæ corporisque videre, et ne te diabolicæ insidiæ concludant, omnipotentis domini semper clementiam exoramus. Præterea apostolicis tibi præcipimus litteris ; jam quinquennii tempus huc illucque latitans velut anguis discurris, ad

concilium, quod XV congregaturi sumus die Novembris expectatæ futuræ secundæ indictionis, præsentare te omni deposita occasione procures; ut causam tuam in venerabili cœtu sanctæ valeamus congregationis subtili ventilare intuitu, et humanius tuam conversionem tractare. Si autem neglexeris quod præcipimus, ampliori te vinculo innodamus. Nam et multis modis te reprehendimus, ac reprehensibilem judicamus; quia ad duo pro te congregata concilia occurrere distulisti; sicut hi præsentes Nicolaus, Petronacius atque Johannes venerabiles episcopi nostri, per quos te nunc auctoritate canonica jussimus evocare, ore proprio indicabunt. Si autem constituto tempore ad prædictum concilium venire neglexeris, sub excommunicatione atque anathemate te modis omnibus decernimus esse mansurum.

Sancta synodus interea dixit : Requiratur si sæpe dictus Anastasius presbyter excommunicatus utrum venit, annon requisitus minime est inventus. Tunc sacratissimus papa imperialibus superius jam dictis missis dixit : Cur nobis sanctoque concilio secundum imperialem epistolam jam dictam non præsentatis presbyterum? Ipsi autem affirmantes dixerunt : Nos eum secundum præceptionem domini magnique imperatoris reducere, vobisque præsentare maluimus; sed minime illum invenire potuimus. Mox autem omnibus episcopis ipse insignis et beatissimus præsul dixit : Quid vobis de his videtur? Universus cœtus episcoporum respondit : Imperialis, si vobis placet, epistola relegatur. Et cum relecta fuisset, in ea inter cetera repertum est ita : Vestræ denique serenitatis industria cognoscat de Anastasio presbytero, cur ad vos non pervenit, nostro satis animo displicuisse; quare nunc carissimos missos nostros, Joseph videlicet reverendissimum episcopum, atque dilecti filii nostri Hludowici archicapellanum, necnon et Petrum sanctæ sedis Spoletinæ venerabilem episcopum, et Adelgisum illustrem comitem nostrum præsentialiter vobis mittimus; quidquid canonice et secundum Deum super illo vestra deliberaverit sententia, nihil contradicentes. Tantum sollicite cavere, ac prudenter tractare curate, ne in hoc facto divina voluntas offendatur in aliquo.

Tunc venerabilis ac præcipuus præsul omnibus residentibus episcopis et presbyteris, stantibus quoque diaconibus et omni clero dixit : O beatissimi fratres, quid vestra beatitudo de crebro dicto presbytero, qui tanta ac talia enormiter contra patrum regulas atque statuta peregit? Mox omnes episcopi unanimiter dixere : Quid aliud arbitrari aut proferre valemus nisi ut sancti patres, qui Antiocheno concilio residentes tertio capitulo promulgarunt, et inviolabiliter statuerunt : Si quis presbyter parochiam pro-

priam deserens ad aliam properaverit, vel inde omnino demigrans in aliam parochiam per multa tempora nititur immorari, ulterius ibidem non ministret : maxime si vocanti suo episcopo, et regredi ad propriam parochiam commonenti obedire contempserit; quod si in hac indisciplinatione perdurat, a ministerio modis omnibus removeatur, ita ut nequaquam locum restitutionis inveniat. Quam promulgationem in eum, si vobis placet, presbyterum inferimus, et propriis manibus roboramus.

Præsul summus respondit : Placet. Tunc elevans se ipse præclarus pontifex de sede sua ait : Anastasium jam nuper excommunicatum presbyterum tituli S. Marcelli, qui propriam parochiam relinquens, in aliena per multa tempora nititur immorari, a sacerdotali ministerio modis omnibus removemus, ita ut locum restitutionis nequaquam inveniat. Si quis autem contra hanc diffinitionem nostram quocumque tempore agere præsumpserit, aut eum restituere in sacro officio tentaverit, sit ei a sanctis patribus et a nobis omnibus anathema. Post hæc omnes episcopi eadem synodo residentes, unanimes dixerunt : Et nos sic judicamus sicque irrefragabiliter statuimus. Et subscripsere episcopi numero LXVII.

Cujus etiam concilii generalis exstat *epitome* illa quam Leo IV ad valvas argenteas S. Petri proscribi jussit. Hanc in Hincmari *Annalibus* invenire est[1].

Atque de eodem concilio sic scriptor Vitæ Leonis IV, in *Libro pontificali.*

In hac denique post cetera synodo Anastasius presbyter cardinalis tituli beati Marcelli ab omnibus canonice est depositus, eo quod parochiam suam per annos quinque contra canonum instituta deseruit, et in aliena usque hodie demoratur. Qui cum neque ad duo pro eo congregata concilia venire vellet, neque per apostolicas epistolas, neque per tres vocatus episcopos, Nicolaum videlicet, Petronacium, et Johannem, ideo merito uno consensu, secundum quod de talibus sacris continetur canonibus, eum sancta synodus deposuit, et sacerdotali honore privavit anno, mense, die et indictione superius adnotata[2].

Ex eorum autem numero qui in hoc concilio generali Romano Anastasianæ damnationi subscripsere, duo memorandi sunt,

1. Pertz, I, 478.
2. Vignoli, t. III, p. 128-129.

propterea quod quem tum anathemate multaverant, eumdem postea habuerunt amicissimum, Rhadoaldus nempe episcopus Portuensis[1], atque Nicolaus I, eo tempore diaconus ecclesiæ Romanæ[2], quorum prior Anastasii sedem apostolicam occupantis conscius atque adjutor fuit[3], alter vero, quanquam in eadem conjuratione fuisse dici nullo jure possit, tamen, cum ipse deinde summum obtinuit pontificatum, multum eo presbytero excommunicato usus est[4].

Arsenii Hortensis, Leone papa IV, condicio et fortuna.

Sed hoc maxime est animadvertendum, cum in synodo generali adversus Anastasium habita omnes fere Romanæ diœceseos episcopi adessent, abfuisse tamen Arsenium, quanquam hunc certo constat jam tum episcopum civitatis Hortanæ fuisse. Immo vero, ex *Vita* S. Conwoionis, abbatis Rotonensis, scripta quidem, ut opinatur Joh. Mabillon, sæculo tantum undecimo[5], at antiquioribus monumentis confecta, hoc inferre licet, Arsenium episcopum, ineunte saltem Leonis IV pontificatu, multum valuisse inter Romanos, atque apud sedem apostolicam magnam illam auctoritatem, qua Nicolai I et Hadriani II temporibus fuit, jam tum habuisse. Etenim, cum Conwoion abbas, favente Nomenoe Britanniæ principe, episcopos complures reos simoniæ fecisset, ex utraque parte legati Romam profecti sunt, causam præsentes ante summum pontificem dicturi, ipse videlicet Conwoion, atque Susannus et Felix, hic Corosopitensis, ille Venetensis episcopus. Qui cum Romam pervenerunt, sic res se habuisse in ea *Vita* narratur[6]:

1. V. Coleti, t. IX, p. 1138 B, 1139 C. Nec solum Nicolaus Actis concilii nomen subscripsit, sed ex Leonis IV nomine et persona *admonitionem* quamdam papalem recitavit. V. ibid., p. 1128.
2. V. *Vitam Nicolai*, c. III, ap. Vignoli, t. III, p. 171-172.
3. V. supra, p. 64-5.
4. V. supra, c. IV.
5. Mabillon, *Acta SS. O. S. B.*, t. VI, p. 184.
6. Vix est quod moneam hunc scriptorem studiosum esse Conwoionis.

Tunc tradidit venerabilis vir Conwoion coronam auream[1] beato Leoni Pontifici, dixitque ei petitionem Principis Nomenoe[2]. Congregavit igitur beatus papa Leo synodum episcoporum in urbe Roma ibique discussit causas episcoporum, audiente viro venerabili Conwoione. Objurgatique sunt ab episcopis sanctæ Romanæ ecclesiæ, quomodo præsumsissent dona et munera pro sacris Ordinibus accipere. Illi e contra responderunt : Etsi recipimus, ignoranter fecimus. Tunc Arsenius archiepiscopus dixit : « Nullus sacerdos debet ignorans esse. Hæc excusatio non est satisfactio. » Sanctus papa Leo respondit : « Auctoritas sancti Evangelii excipienda est. Ipse namque Dominus ait : *Si sal evanuerit, in quo condietur?* Id est, si episcopus erraverit, a quo emendabitur? Sed et sancti canones hoc judicant : *Si quis episcopus, presbyter aut diaconus per pecunias fuerit ordinatus, dejiciatur ab ordine suo et ipse, et ordinator ejus.* » Et ita in illa Synodo diffinitum est, ut nullus episcopus audeat munera aut dona ab ullo ordine ecclesiastico accipere. Quod si fecerit, gradum proprium amittat, et alius in loco ejus subrogetur.

Vides ut ex omnibus ecclesiæ Romanæ præsulibus unus Arsenius in memoria legatorum Britannorum insederit, ut unus ille cum summo pontifice sententiam pronuntians inducatur, quem quidem scriptor hujus Vitæ falso archiepiscopum appellavit (nemo enim in provincia Romana erat archiepiscopus), sed ex quo manifestius apparet quantam de se opinionem Arsenius apud Conwoionis studiosos fecisset.

Mirum sane est iste pecuniarum avidus atque thesauri apostolici direptor[3] quam superbe in simoniacos invehatur, quam belle indoctam avaritiam retundat! At fortasse Nomenoe rex non soli summo pontifici munera obtulerat, quibus donatus Arsenius intelligitur quamobrem causam principis et Conwoionis tanto studio secutus sit, unde huic mercenario subitus novusque integritatis amor exstiterit.

1. « Coronam auream cum gemmis pretiosissimis. » *Vita Conwoionis*, ibid., p. 212.

2. Qui videlicet « petebat a beato Leone papa unum ex sanctis corporibus Martyrum, qui Romanam ecclesiam post beatum Petrum apostolum rexerant. » *Vita Conwoionis*, ibid., p. 213.

3. V. supra, p. 90, 95.

De Anastasii exsilio ejusque tum fautoribus et amicis.

Diœcesim Aquilejensem, in qua Anastasius fugitivus refugium propugnaculumque invenit, tum administrabat Theodemarus patriarcha, Hludowico imperatori amicissimus[1]. Qui, anno 850, conventui Ticinensi cum Angilberto Mediolanensi archiepiscopo atque Josepho archicapellano præsedit[2].

Hunc vero ducatum Forojuliensem curabat Evrardus, illustris ille comes et dux de quo supra plura dixi[3], ex affinitate Hludowici II imperatoris atque compater[4], qui cum esset litterarum amantissimus[5], eruditos homines apud se libenti animo retinebat. Atque paulo antequam Anastasius ad Forojulianos confugeret, Evrardus Gothescalcum, famosum illum monachum, fugientem exceperat[6]. Quam autem amicitiam Anastasius in hoc exsilio cum Evrardo duce contraxerat, eam factus deinde sedis apostolicæ bibliothecarius retinuit, ut tum apparuit cum, a. 869, ambo simul cum Suppone legatione Byzantina functi sunt.

Hludowicum, Hlotharii filium atque ab anno 850 in imperio coronatum collegam[7], in fuga Anastasii connivisse, ex hoc etiam intelligitur quod, quamvis Hlotharius Actis concilii generalis Romani post papam subscripserit, Hludowici tamen subscriptio in eisdem non reperitur[8]. Ad quam cum summo pontifice contentionem is imperator, conjugis imperiis obnoxius, jam trahi potuit ab Engelberga, quam nempe anno 850 aut uxorem aut saltem sponsam habuit[9].

1. V. Hludowici imper. II *Diploma pro patriarchatu Aquilejensi* (Ughelli, *Italia sacra*, t. V, p. 39).
2. V. Pertz, *Leges*, t. I, p. 396.
3. In c. VI, p. 245.
4. V. Hludowici II imper. *Diploma* (Ughelli, l. c., p. 40 A).
5. V. supra, p. 245, n. 1.
6. V. Hrabani Mauri *Epist. ad Evrardum ducem*, ap. Sirmond, *Opera varia*, t. II, p. 1019 sqq.
7. V. Jaffé, p. 331.
8. V. Coleti, t. IX, p. 1137 E.
9. V. Muratori, *Antiquitates Italicæ*, t. II, p. 117; *Annali d'Italia*, a. 850, t. VII, p. 569 (edit. Milan., a. 1819).

Hoc eodem tempore cum Anastasius in diœcesi Aquilejensi degeret, Ado Ravennam advenit, monachus ille qui postea archiepiscopus Viennensis in Gallia creatus est. Hic circiter anno 844 [1] Prumense monasterium linquens, quod cum aliis monachis concordissime vivere non posset (erat enim ex Ferrariensi monasterio recens advena [2]), Romam profectus erat; in qua urbe cum annos fere quinque vixisset, Ravennam sese contulit[3]. Quid ibi egerit et quamdiu moratus sit, dici certo non potest, at ei necessitatem aliquam conjunctionemque cum diœcesi Aquilejensi fuisse, ex hoc infero quod postea narrans quomodo martyrologium illud, a quo præcipue famam apud posteros obtinuit, in lucem potuerit edere, hoc ex exemplari quodam eruisse se professus est, quod episcopus Aquilejensis a Romano pontifice accepisset, quodque religiosus quidam frater, id est, monachus, sibi Ravennæ degenti transcribendum commodasset[4]. Quæ cum Ado scriberet, erat Anastasius in monasterio S. Mariæ trans Tiberim abbas, ex quo nemo fortasse mirabitur, si mihi in mentem venerit (conjectura quidem, non certa fiducia), fratrem illum qui exemplar hujus martyrologii Aquileja Ravennam ad Adonem transmisit, eumdem esse atque nostrum exsulem; eo magis

1. V. *Histoire littéraire de la France*, t. V, p. 461, 700.

2. Quod ex Lupo Ferrariensi ad Gerardum ducem scribente accepimus: « Ceterum quod diligenter scrutamini, noveritis monachum et discipulum meum Ad. (Adonem) numquam a nostro monasterio aufugisse: sed ad petitionem beatæ memoriæ Marcwardi abbatis ex Prumia aut Proneam (hæc corrupta videntur) a nobis eum honeste directum, et cum illo aliquamdiu conversatum, quorumdam invidiosorum vitasse insidias. » Lupi *Epist. ad Gerardum ducem ejusque conjugem* (Migne, t. CXIX, ep. 122, p. 595; Mabillon, *Acta SS. O. S. B.*, t. VI, p. 265).

3. V. *Breviaria* infra citata.

4. « Huic operi, ut dies martyrum verissime notarentur, qui confusi in kalendis satis inveniri solent, adjuvit venerabile et perantiquum Martyrologium ab urbe Roma Aquilejam cuidam sancto episcopo a pontifice Romano directum, et mihi postmodum a quodam religioso fratre aliquot diebus præstitum. Quod ego diligenti cura transcriptum, positus apud Ravennam, in capite hujus operis ponendum putavi. » Adonis *Præfatio in Martyrologium Romanum* (Migne, *P.L.*, t. CXXIII, p. 144). Hæc autem Præfatio si non post annum 860, at certe non multo ante scripta est. V. D. Ceillier, *Hist. génér. des auteurs sacrés*, t. XIX, p. 249.

quod infra videbitur quanta fuerit inter Adonem et Anastasium familiaritas, ne dicam propinquitas.

Erat autem Ado, cum in Italiam profectus est, ipse etiam sacerdos consecratus[1], sed annis aliquot quam Anastasius major, cum circiter anno 800 natus esse videatur[2]. De ortu Adonis atque familia quidquid adhuc narratur, id maxime ex Breviario cum Romanensi, tum Viennensi eruitur, quod hoc loco ad rem deinde proponendam utile est describere.

Ex Breviario Viennensi.

1. Tempore Caroli Regis[3], post patrem Ludovicum Imperatorem in Francia regnantis[4], hic sanctus vir *nobili prosapia exortus*[5], dum adhuc infantulus esset, in Monasterium quod Ferrarias ex antiquo vocant[6], a parentibus traditus est.

2. Cumque sub regulari censura degeret, inque illo Cœnobio ceteris arctior tunc temporis habebatur, divinitus inspiratus atque electus, omnes sibi coævos in studiis litterarum præire cœpit. Lasciviam etiam huic ætati amicam ceteraque puerilia usquequaque declinans, senum perfectorumque gravem conversationem sectari sollicitus satagebat.

Ex Breviario Romanensi.

1. Tempore Caroli Regis, post patrem Ludovicum Imperatorem in Francia regnantis, hic sanctus vir *nobili prosapia exortus*, dum adhuc infantulus esset, in Monasterium quod Ferrarias ex antiquo vocant, a parentibus traditus est.

1. V. *Histoire littéraire de la France*, t. V, p. 462.

2. V. Mabillon, *Acta SS. O. S. B.*, t. VI, p. 266, n. 6.

3. Ex quo Carolus Calvus hic falso pro Carolo Magno referatur jam Joh. Mabillon, l. c., exposuit.

4. In quibus Breviariis alia ex antiquis monumentis sumpta, alia amplificando, ut fit, addita videntur.

5. Sic etiam de illo Lupus Ferrariensis : « progenitorum nobilitate ornatur ». Lupi *Epist. ad Gerardum comitem* (Migne, t. CXIX, p. 595; Mabillon, op. cit., p. 266).

6. In diœcesi Senonensi. Hinc Joh. Mabillon conjecturam sumpsit Adonem natum esse in loco vicino Ferrariensi monasterio. V. op. cit., p. 266, n. 7.

3. Verum robore jam juventutis animatus, igne desiderii irrefragabili succensus est, ut domum beati Petri Principis Apostolorum ceteraque Sanctorum loca in Romana urbe extraque constituta, orationis gratia visitaret. Ideoque peregrini habitum adsumens optatum iter aggreditur.

4. Qui domum apostolicam humili habitu, devotus corde ingressus, in oratione continua pervigil, nocturnis excubiis pernoctare crebius usque ad lucem matutinam gaudebat. Sane cum in Romana urbe omnibus pæne notus esset, quinquennio fere exacto Ravennam devenit : ubi quemdam libellum a quodam religioso præstitum transcripsit, ad describendas sanctorum Martyrum passiones[1].

2. Dehinc famosissimam beati Petri Apostolorum principis domum ceteraque Sanctorum loca in Romana urbe constituta, orationis gratia Deo comite visitavit, ibique quinquennio fere sedit. Et regressionis iter arripiens, Ravennam devenit, ubi aliquamdiu remoratus, quemdam etiam libellum a quodam fratre religioso præstitum transcripsit[2], quo ad describendas sanctorum Martyrum passiones sese non modice adjutum fuisse testatur.

URBIS SEDISQUE APOSTOLICÆ OCCUPATIONEM AB ANASTASIO PATRATAM HÆC MONUMENTA ILLUSTRANT.

In *Vita Benedicti III* hæc de Anastasiana illa tyrannide narrantur[3] :

His itaque peractis, clerus et cuncti proceres decretum componentes propriis manibus roboraverunt, et, consuetudo prisca ut poscit, invictissimis Lothario ac Ludovico destinaverunt Augustis. Ipsum autem qui deducebant legati decretum, fuerunt hi, Nicolaus videlicet Anagninæ antistes ecclesiæ, et Mercurius magister militum, Arsenio Egubio[4] (*rectius :* Eugubii) episcopo obviantes ad

1. Hæc ab ipso Adone (in *Præfatione* supra citata, p. 301, n. 4) translata sunt.
2. Ab ipso Adone translatum.
3. Editionem Vignolianam atque Blanchinianam contuli cum lectionibus codicis Vaticani 3764.
4. Sic in cod. Vatic. 3764. V. Vignoli, t. III p. 147, inter variantes lectiones; quod ab editoribus male mutatum est in *Eugubino* (v. supra, p. 62).

invicem confabulari cœperunt; qui callidis eos sermonibus liniens corda eorum mollire cœpit, beatique fidelitatem jam fati declinaverunt electi; cum quibus etiam consilium studuit confirmare, ut depositum anathematizatumque Anastasium, quod divina nullatenus permittebat clementia, pontificatus infula perornarent.

Euntes itaque Ludovico decretum benignissimo Cæsari dantes, duplici quam mentibus gerebant intentione Romam reversi sunt, adventumque missorum nuntiantes imperialium epistolas eidem insigni obtulerunt electo, quibus Augusti continebantur responsa. Qui omni clero ac reipublicæ cœtibus diris machinationibus, consilium quod Eugubio[1], ut prætulimus, cum Arsenio statuerunt, adimplere cupientes dicebant : *Omnes in obviam imperialibus simul nobiscum exire studete legatis, quatenus Augusti jussionibus obedientes existere valeatis.*

Post aliquot quoque dies ipsi quos prænunciaverunt missi Hortam, quæ quadragesimo milliario a Roma distat, properaverunt. Ex quibus in eam Adelbertus, Bernardusque ingressi comites cuidam olim damnato, Arsenio cogente episcopo, se conjunxerunt presbytero nomine Anastasio, qui in sancta Synodo, beatæ præsidente Leone memoriæ præsule, rite secundum sacrorum promulgationes canonum excommunicatus, depositus et anathemate vinctus fuerat; non habentes Deum præ oculis, ipsiusque præcepta confundere, ut tyranni, cupientes, evidenter meditabantur qualiter eumdem ejectum anathematizatumque Anastasium apostolico culmine sublevarent, contra traditionem omniumque sanctiones pontificum virorumque almorum.

Missis quoque, quos jam supra meminimus, qui imperatori nostrum decretum benignissimi de electione Benedicti porrexerant, id est, Nicolaus episcopus et Mercurius magister militum, mentibus cognitum conceptum habentes consilium, cum aliis quibusdam Romam egressi nobilium, id est Gregorio Christoforoque magistris militum, obviam quasi imperatoris legatis profecti sunt, Hortamque properantibus urbem, fidelitatis sacramentum quod fecerant almifico Benedicto parvipendentes obliviscentesque electo, damnato se conjunxerunt depositoque presbytero. Hac sub occasione multi concedentes ab urbe similiter peregerunt, cogitantes consilium, juxta illud prophetæ elogium, quod non potuerunt stabilire. Urbe deinde exeuntes ab Horta, juxta basilicam beati Leucii martyris pervenerunt, insultantes et gloriantes in sua virtute, cum quibus Radualdus Portuensis episcopus, Tudertinæque

1. Ita in cod. Vatic. 3764. *Eugubii,* apud Vignol. et Bianch. Baronius autem : *Eugubino* (v. supra, p. 62-3).

urbis Agatho antistes aderant, qui clam Roma discesserant urbe, et eidem anathematizato tetra irretiti caligine se junxerant, obscurati sensu, mente et anima.

Hoc ipse Dei famulus audiens Benedictus electus, Gregorium Majonemque venerabiles prudentesque et omni scientia plenos episcopos, ipsis imperialibus missis cum aliquibus litteris studuit destinare, quos apprehendentes, Anastasio anathematizato monente presbytero, vinxerunt et custodibus tradiderunt, quod nec barbari gentiles in legatis perfecisse audiuntur. Postmodum autem sæpius dictus Christi minister Benedictus electus Hadrianum insignem secundicerium sanctæ sedis apostolicæ illis, atque Gregorium ducem obviam direxit.

Altera autem die, missione fungentes omni clero cunctoque senatui et universo populo mandaverunt ut obviam illis trans Milvium pontem imperatoris jussionibus irent. Tunc omnes dolum nescientes Romani neque fallaciam acquieverunt, Milviumque trans pontem Urbem egressi unanimiter perrexerunt. Properantibus quidem ad martyris jam fati basilicam, ipsi de quibus jam supra legati meminimus, eidem deposito ac anathematizato presbytero episcopo (*sic*) clerus Romanæ plebis ac proceres obviaverunt, cum quibus pariter equitantes per Neronis campum Urbis jam mœniis properabant. Hadrianum quoque insignem secundicerium, de quo supra retulimus, vallatum custodibus deducebant. Gratianum vero sacri superistam patriarchii atque Theodorum scriniarium [1] apprehendentes reclusos lanceis retinebant et astrictos, quod nullatenus Augustorum jussione præceperant nec eorum voluntate dictaverant, sed hoc infelix depositi præsumptio agebat presbyteri.

Qui virtutibus Leonianam cum ipsis Cæsaris legatis ingrediens Urbem, apostolorum repente quam non debuerat principis introire basilicam, Dei parvipendens judicium audacter invasit, tantaque ac talia infaustæ operationis mala peregit qualia nec Sarracena in ea perficere manus præsumpsit, vel arbitrata est. Imagines enim confregit ignique concremavit, et Synodum, quam supra sanctuarii januas beatæ memoriæ Leo pingi papa jusserat, destruxit, Dominique Jesu Christi ejusque semper Virginis Geni-

1. Quod si, ut veri est simile, hic Theodorus scriniarius idem est qui in duabus Benedicti III epistolis appellatur notarius et scriniarius (Jaffé, n. 2663, 2666), quemque supra vidimus, a. 853, in concilio generali Romano præsentem (p. 293), consequitur ut Nicolai I pater ab Anastasio non steterit. Quid vero senserit filius, an esset presbytero S. Marcelli jam tum benignior, de hoc frustra quæsivi.

tricis iconam bipenni, quod non debuerat, ad ima dejecit, pro quo detestabili opere orthodoxæ cuncti cultores fidei lacrimas fundentes ingemiscebant, et tristitia replebantur ac mœrore.

His itaque peractis, hostili virtute ipse Romam depositus ingreditur presbyter, celeriterque ad Lateranense properavit cum iniquissimis ejus sequacibus, et sæculari potentia patriarchium multisque telorum generibus januas ejus aperiens, tyrannus veluti cruentus, eas introivit, solioque, quod nec manibus debuerat contrectare, resedit, et cuidam Balneoregiensi episcopo, qui vocitabatur nomine Romanus tantum, non opere, cum ferinis obumbratus mentibus cerneretur, præcepit ut beatissimum Benedictum, quem omnis Romana, ut prætulimus, plebs elegerat, pontificali quo residebat ejiceret solio. Qui etiam vestimenta pontificalia quibus indutus erat, ut barbarus, tulit atque exspoliavit, multisque eum injuriis verberibusque replevit.

Tunc ipse depositus Anastasius eumdem benignissimum Benedictum electum, humana, non Dei virtute, custodibus, qui arctius eum constringerent, tradere studuit, Johanni scilicet Hadrianoque dudum presbyteris, qui a Leone præsule pro illorum criminibus damnati fuerant atque depositi ex omni sacerdotali officio. Mox universa Urbs ululatu amplisque repleta est fletibus, et gravi murmure quassata jacebat. Illico quidem omnes episcopi clerusque ac Dei populus sancta sanctorum ingressi, tundentes pectora sua, profusis lacrimis intra vestibulum et altare solo prostrati jacebant, Dei orantes majestatem ut tanti erroris caligine sua eos victrice dextra liberaret. Septimæ tum feriæ cursus peragebatur.

Altera vero die, prædicti episcopi cum universo clero ac populo in Æmilianæ titulo convenerunt, in quo etiam Augusti sæpius dicti legati frementes magnaque tumentes superbia pervenerunt, et impetu facto absidam, in qua episcopi psallentes residebant cum clero, leones veluti ferocissimi, conscenderunt, erectisque jaculis eos conabantur elidere ensibusque punire dicentes : *Acquiescite, et vestro consensu pontificali Anastasius culmini subrogetur*. Illi vero sancto repleti Spiritu affirmabant dicentes : *Nunquam in depositum et anathemate a sancto præsule beataque synodo vinctum consentimus, sed modis omnibus abjicimus et a Dei cœtibus segregamus*. Ipsi denique furibundi verberibus eos tormentisque dicebant se velle eos punire, sed beatissimus Deique omnipotentis antistes, et qui cum ipsis aderant, terrores vel minas eorum parvipendentes, immobiles perstiterunt.

Quorum constantiam jam dicti Franci cernentes ab eis ira discesserunt repleti, et in quoddam cubiculum ipsius basilicæ

sunt ingressi, diversaque consilia meditabantur, in quod etiam Ostiæ et Albani antistites coactos introduxerunt, quos molliori sermone blandisque reducere adulationibus decertabant, et postmodum asperis promissionibus circumdabant, quibus stridula etiam voce dicebant : *Nullatenus vitam possidere potestis, sed capitali subjacebitis sanctioni, nisi consecrationis Anastasio gratiam dederitis.* Illi autem ante se morti tradere proferebant membratimque se laniari, quam deposito, anathemate damnato consecrationis tribuerent benedictionem. Arguebant autem eosdem missos, et universas demonstrabant sacræ responsionis scripturas, qualiter nullatenus eumdem depositum in ordine quem poscebat constituere valuissent. Protinus vero secretius linguam eorum confabulantes, furor qui in eis exuberabat minuit, mentibusque eorum videbatur expulsus.

Tertia vero feria lucescente, omnes episcopi cum clero ac populo in basilica Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, congregati sunt. In qua omnis plebs, ac populi multitudo extensa voce clamavit : *Benedictum beatissimum papam volumus, ipsumque desideramus ;* quod jam fati audientes legati, mirabantur. Videntes itaque quia in Anastasium Christi unitas almaque concordia nullo flectebatur ingenio, in quodam patriarchii cubiculo episcopos convocaverunt, atque alios sacerdotes cum clero ; cum quibus amplum agitare studuerunt conflictum ; sed tam probabilibus missorum audaciam superaverunt sermonibus atque doctrinis, ut infausta illorum mentis cogitatio contemplaretur contrita atque confusa. Hoc cernentes missi venerabilibus dixerunt episcopis : *Accipite vestrum electum, et in quam vultis basilicam eum deducite. Et modo Anastasium, quem depositum dicitis, ab hoc patriarchio ejicimus. Tresque per dies jejunium cum orationibus celebremus, et postmodum quidquid superna clementia demonstraverit impleatur.* Almifici vero episcopi clamaverunt : *Ejiciatur nostra præsentia invasor atque depositus Anastasius, et ab hoc expellatur patriarchio, et tunc facimus quod hortamini.*

Illico prædictus Anastasius magna cum turpitudine de patriarchio ejectus atque expulsus est ; ut omnes multimodas orthodoxæ cultores fidei Domino nostro Jesu Christo persolverent grates. Episcopi quidem cum universo clero ac populo beatissimum accipientes Benedictum ejectum, de basilica in qua clerici commorantur deduxerunt; quia ibidem custodibus a sævissimo fuerat Anastasio collocatus. Qui cum omni alacritate atque exsultatione cum ipso in basilicam Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, descenderunt. De qua exeuntes, eum super equum ovantes, in quo Leo præsul sedere consueverat, posuerunt. Quem etiam,

magna populi præcedente caterva, in basilicam Dei Genitricis, quæ ad Præsepe dicitur, deduxerunt; in qua jejuniis et orationibus tribus diebus noctibusque vacantes, summam majestatem Domini multis cum lacrimis exorabant.

Neque abs re est hoc loco ea referre quæ Hadrianus II, decessorum suorum sententias adversus Anastasium latas renovans, de violenta illa sedis apostolicæ occupatione memoravit :

Post mortem vero jam dicti Leonis, dignæ memoriæ præsulis, ipse anathematizatus atque depositus Anastasius, seculari potentia rediens ab abditis, quibus sicut fur latitaverat, locis, diabolica fraude inretitusque caligine, latronum more hanc, quam non debuerat introire, ecclesiam invasit, velut ethnicus atque barbarus, ad perditionem suæ animæ atque periculum hujus venerandæ synodi (Romanæ generalis a. 853 habitæ), cum suis nequissimis consentaneis atque sequacibus picturam destruxit imaginemque dejecit, quam beatissimus papa Benedictus atque egregius restauravit et lucifluis coloribus decoravit[1].

Quod autem spectat ad Arsenium Hortensem hujus facti participem, Codex Libri pontificalis manu scriptus quem *Regium* appellat Bianchini, eadem quæ Deusdedit cardinalis (v. supra, p. 64), in margine comprehendit :

Nam cum esset electus factione episcoporum Rodoaldi Portuensis et *Arsenii Hortensis*, actum est ut a legatis imperatorum Ludovici et Lotharii, cardinales cogerentur multis injuriis, et comminationibus, et gladiorum se[2] evaginationibus Anastasium, quem quartus Leo deposuerat, sibi promovere pontificem; sed Deo præstante, patientia et unanimitate sua eosdem superaverunt. (Migne, t. CXXVIII, p. 1355).

1. V. Hincmari *Annales*, a. 868, p. 479.
2. Hic locus supplendus est addendo « super », ut apud Deusdedit legitur (v. supra, p. 64).

IN CAPUT V

NICOLAI I AD WENILONEM ARCHIEPISCOPUM SENONENSEM EJUSQUE COEPISCOPOS RESCRIPTA EPISTOLA.

Hanc epistolam primus edidit Johannes Cordesius in Appendice epistolarum Hincmari[1], deinde vero Jac. Sirmond in *Conciliis Galliæ*[2]. Scriptam esse inter a. 858 et 860 eruditi consentiunt[3]. Quod autem spectat ad Herimannum, episcopum Nivernensem, jam mense Aprili a. 853 synodus Suessionensis statuerat ut is, æstivo tempore, quia tum maxime insanire videbatur, ab episcopali ministerio prohiberetur[4]. Quod deinde interdictum, mense Augusto ejusdem anni, in synodo apud Vermeriam habita, sublatum est[5].

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimis ac sanctissimis confratribus nostris, Weniloni Senonensi archiepiscopo, et coepiscopis ejus.

Epistolam sanctitatis vestræ, qua apostolatus nostri super causa Herimanni episcopi non immerito expetere studuistis responsum[6], vel qua more universalis Ecclesiæ auctoritatis nostræ efflagitare instructionem curastis, accepimus. Sed antequam ad consulta vestra mentis oculum inclinemus, parumper in laudibus vestris stilum operæ pretium duximus immorandum; qui quo vobis eundum, quove in rebus dubiis atque in magnis ecclesiasticis negotiis esset accelerandum, serenitatis visibus prævidistis, humilibusque devotionis vestræ passibus cucurristis. Contra illos nimirum, qui beatissimi apostolorum principis Petri ejusque successorum luculentissimam doctrinam sedemque spernentes, quem Dei Filius in sancta Ecclesia sua, tanquam luminare majus in cœlo constituit, veluti quidam scorpiones palantes[7] incedunt in meridie, et cum adhuc

1. *Opuscula et epistolæ Hincmari Remensis archiep., ed. J. Cordesius*, Paris, 1615, in-4°.
2. T. III, p. 187. Cf. Migne, t. CXIX, ep. 1, p. 769. Ego vero addidi lectiones a D. Coustant ex variis codicibus mscr. sumptas. V. *Analecta juris pontificii*, ser. X, t. V, part. 2ª, p. 77.
3. V. Jaffé, n. 2674.
4. V. *Karoli II Synodum Suessionensem*, c. II (Pertz, *Leges*, t. I, p. 416).
5. V. *Karoli II Synodum apud Vermeriam* (Pertz, ibid., p. 421).
6. V. supra, p. 137, in n. 1.
7. *Palpantes*, ap. Coustant (*Analecta*, l. c.).

dies est, occidit eis sol. Revera ii et per scientiam Dei more Balaam apertos habent oculos: cadunt tamen, quia obcæcati instar ipsius avaritia, quo gressum tendere possent justitiæ non aspiciunt: sed per abrupta et avia incedentes, dum caput sequi refugiunt, in vasta præcipitia demerguntur. Vos autem, fratres carissimi, qui sancto utique Spiritu revelante, apostolicæ sedis auctoritatem sensu capere, et ad splendorem luminis ejus jam incedere laudabiliter inchoastis, cum illa usque in finem sapere, cum illa semper ambulare studete, ab illa deviare nefas judicate, ab ejus discrepare sensu ne ad modicum quidem momentum consentiatis. Quos illa recipit et vos quoque recipite, et quos illa respuit abigere ipsi sicut ipsa mementote. Non enim illa respuit nisi membra quæ sibi non hærent, nec a se recidit nisi quos in scandalum multis positos comprehendit. Non, inquam, recidit vel eruit a se nisi membrum quod sanis membris in offensionem et perniciem noscitur exstitisse. Verum ad propositum redeamus [1].

Suggerit sanctitas vestra [2] Herimannum episcopum morbum incurrisse, quo diu impeditus est episcopale recte implere officium. Sensus enim, ut vestra ipsa verba ponamus, aliquoties integritate privatus, quædam insano simillima admittebat [3]. Atque subinfertis quod ad provinciales synodos evocatus venire distulerit [4]. Ubi attente considerandum est, quoniam hoc ipsum quo venitur ad synodum, sacerdotale officium est; et cum dixeritis illum sacerdotale non potuisse implere recte officium [5], sensusque integritatem amisisse, miramur reverentiam vestram eum venire ad synodum coegisse: præsertim cum ipsi testemini insano hunc similem, et in eadem adhuc infirmitate manere; quem si ita gravatur, magis

1. Vides ut sit longum nec sine arte exordium.

2. Etenim Wenilo ab his orsus erat : « Suggerimus mansuetissimæ paternitati vestræ », etc.; unde jam non dubium est quin scriptor pontificius ad hanc Wenilonis epistolam, non ad aliam rescripserit.

3. Dixerat tantum Wenilo, Herimannum esse « mente non integra »; sed scriptor pontificius non tam ipsa verba archiepiscopi Senonensis retulit, quam amplificavit, ut Stephanus Baluze, cui non notum erat quis hæc Nicolai I nomine scripserit, et quorsum astutus ille ita amplificando spectaret, Wenilonis epistolam ad nos non integram pervenisse sibi persuaserit (v. Migne, t. CXIX, p. 607 C), quanquam hæ litteræ suis omnibus membris compositæ nexuque perpetuo continuatæ videntur.

4. Rursus exaggerat Anastasius; nam si Wenilo Herimannum « admonitum, ac diu exspectatum » dixerat, tamen istud « ad provinciales synodos » non usurpaverat.

5. Hoc a Wenilone expressius sumptum est, qui sic revera scripserat : « implere non sufficit ipsum officium ».

convenerat sanctimonium vestrum sublevare, quam pondus ejus ponderi superaddere, caritatemque in eo confirmare potius, quam ei pietatis viscera obserare. Indicatis autem[1] illum super quibusdam excessibus fuisse frequenter accusatum. Pro quibus, quia ex parte ipsius persona deest, nos uni parti ad alterius discrimen credere[2] procul dubio non possumus, quamvis nec usque adhuc qui fuerint illi excessus dixeritis, nec utrum sana erat mente idem antistes, necne, cum ipsos excessus perpetrabat, evidenter ostenderitis[3]; satiusque arbitramur, quamlibet interim infirmitatem ad pœnam peccati, quam ad ipsum pertinere peccatum, cui magis consulendum sit, et compatiendum, quam puniendum, vel aliquo modo feriendum. Admonitio præterea, vel conventio beatitudinis vestræ, quam ei fecisse vos perhibetis, valde placet : si tamen ex caritate non ficta, sed ex simplici mentis oculo prodiit id quod suave et dulce in auribus nostris sonuit, vel si coram summi arbitri[4] oculis ita placuit, quemadmodum ante hominum visus, quod placere sit satis abundeque conspicitur. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere.

Nicolai ad universos Galliarum episcopos epistola[5].

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimis et sanctissimis confratribus nostris archiepiscopis et episcopis apud Gallias constitutis.

Quamvis singularum Ecclesiarum, quæ propter diversitatem terrarum multæ esse dicuntur, cum una sit et unica Sponso suo, sicut ipse in Canticis canticorum dicit : *una est Columba mea*, et per Psalmistam : *Erue de manu canis unicam meam*, pastor et episcopus, ac pontifex Dominus noster Jesus Christus, qui hanc creavit et redemit, existat : ita ut ille veraciter ac principaliter ista sit omnia, juxta quod fidelibus per primum apostolum dicitur : *Conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum*, et juxta

1. Vix ac ne vix quidem indicaverat Wenilo, cum illud « frequenter admonitus » quod dixerat, a scriptore pontificio mutatum sit in « frequenter accusatum ». At ita erat Anastasio ab eo quod quærebatur digrediendi locus.

2. *Cedere*, ap. Coustant.

3. In his omnibus apparet illud refutandi genus atque sollertia, quam propriam fuisse Anastasio monstravimus (p. 115 sqq.).

4. *Arbitris*, ap. Coustant.

5. Migne, t. CXIX, ep. 75, p. 899; Coleti, t. X, p. 280. Cf. Jaffé, n. 2785; *Analecta juris pontificii*, ser. X, t. V, part. 2a, p. 91. Quam epistolam Hincmarus Laudunensis descripsit in *Responso ad LV capita Hincmari Remensis* (Sirmond, *Hincmari opera*, t. II, p. 625 sqq.).

quod egregius prædicator de eo loquens : *Talis*, inquit, *decebat ut nobis esset pontifex*; subiturus tamen ad cælos hanc apostolis commandavit, ac per eos tanquam hæreditario jure successoribus eorum, nobis scilicet quos pastores, episcopos ac pontifices super ipsam constituit, ejus providentiæ curam indulsit, quatenus pro patribus nati filii, et pro eis constituti principes in omnem terram imitatores eorum essemus, sicut et ipsius Christi. Verum et *inter beatissimos apostolos*, sicut et ille magnus Leo scribit [1], *in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio* [2], *uni tamen datum est ut ceteris præemineret. De qua forma episcoporum quoque est orta distinctio*, *et magna dispositione* [3] *provisum est ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia : et rursus quidam in majoribus urbibus constituti, sollicitudinem ejus susciperent ampliorem per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, et nihil unquam a suo capite dissideret.* Quod nisi quidam ex vobis nullo interiori comprehendissent obtutu, nunquam Rothadum episcopum Suessionicæ urbis sine consensu nostro deposuissent, deprædarentur, et in exsilium pulsum monasteriali custodiæ manciparent.

Nam quomodo non omnes vobis omnia vindicatis, qui judicia episcoporum, quæ merito inter majora numerantur negotia, vestræ deliberationi tribuistis? An modicum vobis esse videtur fratres et coepiscopos vestros præter apostolicæ sedis consensum depositioni subjicere? Quod si damnationes episcoporum non inter majora negotia dinumeratis, quorum jam causas inter majora computatis negotia? Quid, rogo, de presbyteris vel de inferioris gradus clericis agitur, quorum apud nos quoque causa Chalcedonensis concilii regulis, cum ratio exigit, audiri jubetur [4]? Si episcopos tanta facilitate deponitis, quomodo, rogo, per vos, quorum vel in singulis provinciis habetur prima sententia, vel qui in majoribus urbibus constituti sollicitudinem suscipitis ampliorem, ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura confluit, qui de majoribus deponendis episcopis [5] nihil ad ejus notitiam deferre curatis? An episcopi de universali Ecclesia non sunt, ut de illis damnandis per vos ali-

1. V. *Collectionem Dionysianam* (Migne, *P. L.*, t. LXVII, p. 295 D); Deusdedit, *Collection. canonum*, p. 98, c. CXXXI. Hunc locum prætermisit Hincmarus Laudunensis (l. c., p. 626).

2. *Devotio*, ap. Coustant (*Anal. jur. pontif.*, l. c.).

3. *Ordinatione*, ap. Coustant et Deusdedit (l. c.).

4. Anastasius qua verborum cavillatione canonem nonum Chalcedonensem ad hanc significationem contorserit, ostendi supra, p. 179-183.

5. Rothadus sane non erat e majoribus episcopis.

quid ad unam Petri sedem deferri non curetur? Vel quomodo nil usquam a suo capite dissidet, cum de adjudicandis præcipuis membris Ecclesiæ, id est, episcopis [1], a capite, id est, sede apostolica, dissentitis? An sedes apostolica caput non est? Frustra ergo, ut multa prætercam, concilium Sardicense ad Julium episcopum inter cetera dixit: *Optimum et valde congruentissimum esse videtur, si ad caput, id est ad Petri apostoli sedem, de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes* [2]. Ecce sedem Petri caput appellatam, cui de singulis provinciis Domini referre sacerdotes debent. E contra vos adeo hanc despicitis, ut ad eam nihil de majoribus Ecclesiæ negotiis referre curetis, ac episcopum inconsulta et contempta illa deponere præsumatis, et præcipue sedem apostolicam appellantem.

Nimis namque absurdum est quod dicitis, Rothadum, qui ad judicium sedis apostolicæ provocavit, iterum mutata voce, vestra judicia postulasse. Quod etiamsi ita fuisset, a vestra fuerat fraternitate corrigendus, et quia a majori ad minoris auctoritatis provocasset judicium [3] emendandus. Licet certis non patere possit ullis indiciis a nostro illum ad vestra cucurrisse judicia, quem constat in ipso articulo contra se proferendæ sententiæ sedem apostolicam appellasse, et quod [4] se ab illa judicari posceret [5] coram omnibus exclamasse. Æquum non foret, si ad vestra se judicia convertisset, quamvis, etsi sedem apostolicam nullatenus appellasset, contra tot tamen et tanta vos decretalia efferri statuta et episcopum inconsultis nobis deponere nullo modo debuistis. Quod tamen vos, ut servata vobiscum medullitus caritate dicam, postposuisse dolemus, et diversorum sedis apostolicæ præsulum decreta in hoc vos contempsisse negotio, non immerito reprehendimus. Absit enim ut cujuscunque, usque ad ultimum vitæ suæ diem qui in fide catholica perseveraverit, vel decretalia constituta, vel de ecclesiastica disciplina quælibet exposita, debito cultu et cum summa discretione non amplectamur opuscula, quæ duntaxat et antiquitus sancta Romana Ecclesia conservans, nobis quoque custodienda mandavit, et penes se in suis archivis et vetustis rite monumentis recondita veneratur. Absit ut scripta eorum quoquo modo parvipendenda dica-

1. Distinguere saltem potuit scriptor pontificius episcopos et metropolitanos aliosque primates.

2. V. Sardicensis syn. ad Julium epistolam, ap. Coustant, *Epistolæ Romanorum pontificum*, p. 395 B.

3. Hæc est cavillatio, cum revera a majore ad minorem non provocetur, nisi quando *judicatus* aliquis a majore ad minorem appellat.

4. *Qui*, ap. Coustant (*Anal. jur. pont.*, l. c.).

5. *Poposcerat*, ap. Coustant (ibid.).

mus, quorum videmus Deo auctore sanctam Ecclesiam, aut roseo cruore floridam, aut rorifluis sudoribus et salubribus eloquiis adornatam. Si enim ipsorum decreto ceterorum opuscula tractatorum approbantur vel reprobantur, ita ut quod sedes apostolica probat hodie teneatur acceptum, et quod illa repulit hactenus inefficax habeatur; et quanto potius quæ ipsa pro catholica fide, pro profanis dogmatibus repellendis, pro variis et multifariis Ecclesiæ necessitatibus et fidelium moribus diverso tempore scripsit, omni debent honore præferri, et ab omnibus prorsus in quibuslibet opportunitatibus discretione vel dispensatione magistra reverenter assumi? Quanquam quidam vestrum scripserint haud illa decretalia priscorum pontificum in toto codicis canonum corpore contineri descripta, cum ipsi, ubi suæ intentioni hæc suffragari conspiciunt, illis indifferenter utantur, et solum nunc ad imminutionem potestatis sedis apostolicæ et ad suorum augmentum privilegiorum minus accepta esse perhibeant. Nam nonnulla eorum scripta penes nos habentur, quæ non solum quorumcunque Romanorum pontificum, verum etiam priorum decreta in suis causis præferre noscuntur. At nunc, ubi suis animis resultare, et privilegia[1] tanto nos, ut in sui status incolumitate persistant, elaborare non cessamus, quanto universæ Ecclesiæ profuisse, prodesse ac profutura semper esse probantur. Dignum ergo est ut ubi universa fabricæ moles innititur, ibi firmum validumque habeatur in omnibus fundamentum. Porro si ideo non esse decretales epistolas priscorum pontificum Romanorum[2] admittendas dicunt, quia in codice canonum non habentur ascriptæ[3], ergo nec Gregorii sancti, nec ullius alterius qui ante vel post ipsum fuit, est aliquod institutum vel scriptum recipiendum, eo quod in codice canonum non habeatur ascriptum. Ergo doctrinam eorum et sanctiones de codicibus suis eradant; ut quid vel membranas occupant, postquam non habentur acceptæ? Sed quare multum immoremur, cum nec ipsas divinas Scripturas Novi et Veteris Testamenti jam recipimus, si istos duxerimus audiendos? Etenim neutrum horum in codice ecclesiasticorum canonum habetur insertum. Sed responsuri sunt isti, qui non ad obediendum potius quam ad resistendum semper pa-

1. Hoc loco deest aliquid, quod mihi ex Hincmaro Laudunensi restituere licet. Nam apud illum post vocem *privilegia* sic continuatur oratio: « Romanæ sedis ab his defendi conspiciunt, repudiare illa festinant. Quæ videlicet privilegia tanto nos », etc. (Sirmond, *Hincmari opera*, t. II, p. 627.)

2. Vides ut constanter agantur decretales priscorum paparum.

3. Non hæc erat omnino Gallorum Hincmarique excusatio, sed eam Anastasius, quo facilius refelleret, aliquantum immutare non dubitavit.

rati sunt, dicentes quod inter canones inveniatur capitulum sancti papæ Innocentii, cujus auctoritate doceatur a nobis utrumque Testamentum esse recipiendum, quanquam in ipsis paternis canonibus nullum eorum contineatur ex toto insertum[1]. Quibus ad hæc asserendum est, quoniam si Vetus Novumque Testamentum recipienda sunt, non quod codici canonum ex toto habeantur annexa, sed quod de his recipiendis sancti papæ Innocentii prolata videtur esse sententia, restat nimirum quod decretates epistolæ Romanorum pontificum sunt recipiendæ, etiamsi non sunt canonum codici compaginatæ, quoniam inter ipsos canones unum B. Leonis capitulum constat esse permistum, quo ita omnia decretalia constituta sedis apostolicæ custodiri mandantur, ut si quis in illa commiserit, noverit sibi veniam negari. Ait enim capitulo v suorum Decretalium[2]: *Ne quid vero sit quod prætermissum a nobis forte credatur, omnia decretalia constituta tam beatæ recordationis Innocentii quam omnium decessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita vestræ dilectioni custodiri mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari.* Dicendo vero « omnia decretalia constituta », nullum de decretalibus constitutis prætermisit quod non mandaverit esse custodiendum. Et rursus asserendo « omnium decessorum nostrorum », nullum pontificum Romanorum qui ante se fuerit excepit, cujus ita non præceperit decretalia constituta ab omnibus custodiri, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. Itaque nihil interest utrum sint omnia decretalia sedis apostolicæ constituta inter canones conciliorum immista, cum omnia in uno corpore compaginari non possint, et illa eis intersint quæ firmitatem his quæ desunt et vigorem suum assignent; præsertim cum synodalia gesta inter quæ ipsi canones statuti sunt, in codice canonum non habeantur, sed a nobis omni cultu debito venerentur. Consonat autem huic beatissimo papæ Leoni sanctus et facundissimus in decretis suis papa Gelasius, ita[3] inquiens : *Decretales epistolas, quas beatissimi papæ diversis temporibus de urbe Roma pro diversorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendas decernimus*[4].

1. Innocentius I Exsuperio Tolosano episc. scribens, Canonem Sacrarum Scripturarum promulgaverat (Migne, t. LXVII, p. 248, c. XXVII), quem hoc loco Anastasius significat.

2. Hæc etiam a Collectione Canonum Dionysiana sumuntur. V. Migne, t. LXVII, p. 280, c. v.

3. *Item*, ap. Coustant (l. c.).

4. V. Gelasii *Decretalem de recipiendis et non recipiendis libris*, c. III (A. Thiel, *Epistolæ Romanorum pontificum a S. Hilaro ad Pelagium II*, p. 458).

In quo notandum quia non dixit decretales epistolas quæ inter canones habentur, nec tantum, quas moderni pontifices ediderunt, sed quas beatissimi papæ diversis temporibus ab urbe Roma dederunt. Dictis autem diversis temporibus, etiam illa tempora vir sanctus comprehendit quæ, crebrescentibus paganorum persecutionibus, ad sedem apostolicam deferri causas episcoporum difficillime permittebant.

PARS ALTERA.

His ita divina favente gratia prælibatis, ostendimus[1] nullam differentiam esse inter ea decreta quæ in codice canonum habentur sedis apostolicæ præsulum, et ea quæ præ multitudine vix per singula voluminum corpora reperiuntur, cum omnia et omnium decessorum suorum decretalia constituta, atque decretales epistolas, quas beatissimi papæ diversis temporibus ab urbe Roma dederunt, venerabiliter esse suscipiendas et custodiendas eximios præsules, Leonem scilicet et Gelasium, mandasse probavimus. Quamvis et hoc quod sæpe commemoratus B. Leo apostolicæ sedis antistes ad Anastasium Thessalonicensem archiepiscopum scribit, quorumdam vestrorum præsumptionem potentissime ferit, et quod talia negotia nobis inconsultis diffinire minime debeatis, manifeste denuntiat. Ait enim : *Nam cum majora negotia et difficiliores causarum exitus liberum tibi esset sub nostræ sententiæ exspectatione suspendere, nec ratio tibi, nec necessitas fuit, in id quod mensuram tuam excederet deviandi.* Et item deinceps : *Præsertim,* inquit, *cum etiam si quid tale aliquid mereretur, exspectandum tibi fuerit quid ad tua consulta rescriberem.* Et paulo post : *Sed etiamsi quid grave intolerandumque committeret, nostra erat exspectanda censura, ut nihil esse prius decerneres quam quid nobis placeret agnosceres*[2]. Quod nos quoque de Rothado vobis non irrationabilius dicere possumus, quia dum octo fere annos ventilaveritis, nec ratio vobis, nec necessitas fuit in id quod mensuram vestram excederet deviandi. Sed etiamsi quid grave intolerandumque committeret, nostra erat exspectanda censura, ut nihil prius decerneretis quam quid nobis placeret agnosceretis. Sed dicitis judicia episcoporum non esse majora negotia, nec difficiliores causarum exitus. At nos horum merito judicia majora negotia dicimus, et difficiliores causarum exitus judicamus, qui quanto gradus sunt præcipui et in Ecclesia Christi sublimiores, tanto, cum de horum statu vel casu agitur,

1. *Ostendamus,* ap. Coustant (*Anal. jur. pont.,* l. c.).
2. V. *Collect. Dionys.* (Migne, t. LXVII, p. 291, 292). Sed Leo papa loquebatur de causa Attici, antistitis metropolitani (ibid., p. 292).

majora negotia et difficiliores causarum exitus agitari vel haberi creduntur [1]. Ipsi quippe primi in Ecclesia, ipsi arundinem tenentes metiuntur sanctam Jerusalem, ipsi fabricæ Dei præsunt, ipsi speculatores civitatis Dei sunt, ipsi arietes, ipsi pastores gregis Dominici, ipsi columnæ domus summi regis existunt. An majora negotia causas inferiorum clericorum esse conjicitis, ut horum causas nobis, et episcoporum vobis negotia tribuatis? Quamvis et inferioris gradus clericorum causas apud nos, cum tempus vel res exegerit, esse finiendas, e diverso procul dubio colligamus, sicut beatus papa dicit Innocentius : *Si quæ autem causæ vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis quam inferioris etiam fuerint exortæ, ut secundum synodum Nicænam congregatis ejusdem provinciæ episcopis jurgium terminetur, nec alicui liceat, sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, relictis his sacerdotibus qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias* [2]. An majora negotia metropolitanorum tantum esse fatemini? Sed audite rursus quid de episcopis sanctus asseveret Leo : *Quibus*, inquiens, *etsi dignitas communis non est, ordo tamen generalis est* [3]; et revera unus de septem Ecclesiæ gradibus est, metropolitanorum scilicet et reliquorum episcoporum ordo. Et quod dicit Apostolus : *oportet episcopum irreprehensibilem esse*, non video minus metropolitanis quam ceteris episcopis convenire. Nisi forte episcopatu se privet quisquis metropolitanorum ad se hoc Apostoli dictum non æstimet pertinere. Unde nos non minoris numeri nec alterius famæ accusatores, testes vel judices quærimus in negotiis episcoporum, quam exigimus in causis metropolitanorum. Unde tam illorum quam istorum negotiorum nobis exitus reservari merito volumus et jure [4] decrevimus [5]. Totius enim Ecclesiæ, Deo auctore, generaliter sollicitudinem gerimus, et omnium utique qui Ecclesiam faciunt cura constringimur, atque omnium quorum nos maxima cura exspectat nostrum præcipue debent promereri judicium, sicut Innocentius ad Alexandrum scribens Antiochenum, non scilicet solum metropolitanorum, sed et omnium omnino

1. Probe sane, at quæstio non erat quid ipse Nicolaus tunc decerneret, sed quid antea ab aliis pontificibus esset statutum.

2. V. *Collect. Dionys.* (Migne, t. LXVII, p. 241). Hæc autem Innocentii epistola quam astute mutilata hoc loco proponatur, satis supra demonstravi, p. 172-174.

3. *Epist. ad Anastasium* (Migne, ibid., p. 295 D).

4. Jure quidem, sed nove, neque antiqua decreta revocando, sed immutando, ut post hanc Nicolai epistolam, synodis provincialibus de nullo episcopo præjudicare non jam liceret, antea vero licuerit.

5. *Decernimus*, ap. Coustant (l. c.).

sacerdotum, quinimmo universorum qui se de ovibus principaliter divinitus Petro commendatis esse non nesciunt: id est non solum cunctorum qui de illorum numero sunt de quibus Dominus principi apostolorum dixit : *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, sed etiam qui de his piscibus sunt, qui intra rete, quod ab ipso ad litus trahi specialiter jussum esse se recognoscunt. Adhuc tamen percontari propter contentiosos libet quænam judicia, vel quorum esse majora negotia prædicatis, si episcorum causas non inter præcipua computatis negotia? An laicorum et vulgarium populorum judicia inter majora negotia ponitis, quos pæne quotidie cum vestris et sine vestris epistolis ad discutiendos et judicandos suscipimus, et discussos, vel judicatos, vel absolutos dimittimus[1]? Denique aut sæcularium judicia inter majora, et episcoporum inter minora negotia collocabitis, et vobis episcoporum, nobis laicorum judicia reservabitis : aut certe, si episcoporum judicia sunt majora negotia, juxta Leonem liberum vobis esse debuit hæc sub nostræ sententiæ exspectatione suspendere, aut si persona judicandi tale aliquid mereretur, exspectandum vobis fuerat quid ad vestra consulta rescriberem. Absurdum est enim ut laicos quosque et minimos qui sunt in ecclesiis vestrís, nostro mittatis judicandos et addatis quotidiano labori, et episcoporum, qui præcipua Ecclesiæ membra sunt, vestræ subdatis deliberationis arbitrio[2].

His vero tandem omissis, Deo duce, scitote nos, quod temeritate magistra perperam a vobis commissum est, et quod inconsultis nobis in Rothado fratre et coepiscopo nostro præpropere perpetrastis (etiamsi nunquam sedem apostolicam appellasset), Dei auctoritate, et beatissimorum Petri ac Pauli principum apostolorum, seu omnium decessorum meorum, nec non et sanctorum trecentorum decem et octo Patrum qui apud Nicæam sub Constantino pio principe convenerunt[3], penitus evacuantes et in irritum ducentes, præfatum Rothadum pristino gradui, pristinæ dignitati, pristino reddidisse prorsus honori; ita ut divina mysteria conficiendi priorem facultatem adeptus, omnique sacerdotali restitutus officio, sine cujuslibet contradictione, propriæ receptæ libere præsit Ecclesiæ, a qua inconsultis nobis expulsus est. Denique cum ante biennium scriptis et verbis instanter egissemus ut idem

1. Quod tamen non omnibus episcopis placuit. V. Liutberti Mogunt. archiep. *Epist. ad Hadrianum II* (Jaffé, *Bibliotheca rer. German.*, t. III, p. 333).

2. Hic novum exemplum videmus Anastasianæ illius artis, qua adversariorum dicta aut facta in ipsos convertere solebat.

3. Nicæni canones à Pseudo-Isidoro conficti hoc loco significantur. V. supra, p. 148.

Rothadus aut propriæ redderetur Ecclesiæ, aut certe Romam cum vicariis vestris et ipsius accusatoribus ad examinandum et judicandum nobis destinaretis, et nihil apud vos impetrare potuissemus, dum modo hoc, modo illud ad excusandas excusationes in peccatis objiceretis, tandem aliquando, Deo inspirante et Nicænæ nobis synodi decreto suffragante, quo inter cetera præcipitur ut suis privilegia serventur Ecclesiis [1], ratum duximus jam fatum Rothadum, memores scilicet privilegiorum apostolicæ sedis, a vinculis quibus illum, ne uteretur officio nec suæ præesset Ecclesiæ, colligastis, quia nos non censuimus, absolvendum. Neque enim tam stolidus tamve poterit traditionis tramite devius inveniri, qui ceteris Ecclesiis privilegia servari et soli Romanæ Ecclesiæ adimi debere perhibeat, quæ omnium Ecclesiarum magistra, mater et caput est, etc.

Hincmari Remensis ad Anastasium epistola.

Hanc epistolam primus edidit Jac. Sirmond [2] ex codice ms. noni sæculi, qui exstat adhuc in bibliotheca civitatis Laudunensis [3], quemque D. Mathey, Laudunensis bibliothecarius, mihi morem singulari studio ac benevolentia gerens, rursus legendum curavit. Quam etiam epistolam Flodoardus sic summatim descripsit : « Item pro beneficiis sibi ab eo (Anastasio) collatis, et ut suggestionem suam domno papæ acceptabilem faciat, et de memoria benedictionis (i. e. munerum) quam dirigebat ei [4]. »

Hincmarus Rhemorum episcopus, sanctissimo et fidissimo fratri Anastasio religioso abbati plurimam in Salvatore salutem.

Multis infirmitatibus et anxietatibus pressus pauca scribo cui

1. Nunc ad verum Nicæni concilii canonem quintum appellatur.

2. V. *Hincmari opera*, t. II, p. 824, et Migne, t. CXXVI, ep. 38, p. 257.

3. Sub num. 407. V. *Catalogue général des mscr. des bibliothèques des départements*, t. I, p. 210, nº 35, ubi Hincmari epistola sic falso inscripta est : « Hincmari epistola clericorum ad abbatem Anastasium. » Quæ quidem inscriptio in codice non reperitur, sed hæc tantum eademque a recentiore sæculi XVII[i] scriptore in margine addita : « Epistola Hincmari scripta et commissa Anastasio sanctæ sedis apostolicæ bibliothecario super his quæ de Ebonis et Wulfadi collegarumque ejus restitutione dicta sunt. »

4. Flodoardi *Hist. Rem. eccles.*, l. III, c. XXIII (Pertz, *Mon. Germ.*, SS., t. XIII, p. 536.) Hanc esse brevem complexionem hujus epistolæ a. 867 scriptæ H. Schrörs non vidit, atque aliam excogitavit, quam Hincmarus scripsisset m. Sept. a. 871. V. Schrörs, *Hinkmar*, Registrum, p. 541, n. 316.

multa debeo, et quem multum diligo ac de quo multum confido. Ceterum epistolæ domni apostolici per Egilonem venerabilem archiepiscopum nobis directæ, ad nostra scripta respondentes, in quibusdam aliter sonuerunt, quam nos suæ sanctitati et auctoritati scripserimus. Sed certus sum[1] quia non aliter ipse nobis rescripsit, nisi ut in scriptis ex nostra parte sibi porrectis invenit. Nos tamen vera exemplaria eorumdem scriptorum a nobis missorum habentes, de quibusdam causis non ita scripsimus, sicut habere scriptis ejus relegimus. Unde si et in his scriptis de synodo apud Trecas[2] sub sigillis quinque episcoporum consensu omnium qui interfuerunt directis, aliter, quod futurum non credimus, a quocunque fuerit missum, vel contra ea transmissum, hic venerabilis frater et coepiscopus noster Actardus vera exemplaria scriptorum ejusdem synodi ex authenticis accepit, quæ domno apostolico monstrare, si fuerit necesse, valebit. Quæ forte collata his quæ Leoni papæ ab episcopis provinciarum Cisalpinarum, et a Lothario imperatore, sed et a rege Carolo directa fuerunt, de quorum exemplariorum sensu hæc missa episcopi collegerunt, ut autumo, non discordare intellectu invenientur, quanquam mitius quædam scripserint qui gestis non interfuerunt, quam illi qui ea quæ gesserunt Sergio papæ mittenda et Leoni missa scripserunt. Et de restitutione Ebonis per edictum Lotharii imperatoris in scriptis suis ideo non miserunt, quoniam ipsi episcopi, quorum ibidem nomina sine illorum subscriptionibus sunt adnotata, eidem qualicunque restitutioni se non interfuisse dixerunt, sicut et Rothadus modo in synodo apud Trecas dixit. Est etiam, quoniam et a Sergio post eamdem restitutionem damnationis sententiam in eum prolatam legerunt, sicut Codex episcopalis[3] et litteræ domni apostolici per Egilonem nobis missæ demonstrant[4]. Sed et de charta transmigrationis ad aliam parochiam a Gregorio papa præfato Eboni facta, nihil in prædictis eorum scriptis habetur, quoniam in istis nostris regionibus antea visa non fuit, nisi modo, cum dilectus frater noster Vulfadus apud Trecas eam nobis ostendit; quæ utrum a Gregorio, cui successit Sergius, data fuerit annon, ex scrinio sanctæ sedis Romanæ, ut credimus, sciri valebit[5].

1. Hoc prudentius quam sincerius dictum esse suspicor.

2. Nuperrime habita, id est, VIII kal. Nov. a. 867. V. Hincmari *Annales* (Pertz, I, 475).

3. Id est, Liber pontificalis, in *Vita Sergii II* (Vignoli, t. III, p. 47-48).

4. V. Migne, t. CXIX, ep. 107, p. 1101 A.

5. Hanc epistolam ab Ebonis fautoribus Gregorii IV nomine confictam recentiores critici jure opinantur. V. Jaffé, n. 2583.

Ordinatores quoque mei Rhemensis provinciæ suffraganei episcopi, sæpe passim, sed et in synodo professi fuerunt eidem Eboni non communicasse in his unde fuerat excommunicatus, nisi modo frater Rothadus, ut quidam putant, causa erga me zeli, qui eumdem Ebonem damnavit, et me elegit, ac cum ceteris episcopis ordinavit, et qui dicitur dicere quod quidam episcopi a sæpe dicto Ebone annulos et baculos acceperint, cum quædam synodus Gallicana, quæ Toletana vocatur, dicat : *Episcopus, presbyter, aut diaconus, si a gradu suo injuste dejectus, in secunda synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat, quoniam* (leg. *recipiat*) *coram altario de manu episcoporum, si episcopus est, orarium, annulum et baculum;* et sic demum de reliquis persequitur gradibus [1]. Unde constat quia isdem Ebo dejectus, secundum hanc constitutionem, ab episcopis annulum et baculum accipere, et non episcopis dare debuerat. Et quia Scriptura dicit : *A filiis tuis cave, et a domesticis tuis attende*, et unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam, et *inimici hominis domestici ejus*, ego per missum meum exemplaria scriptorum nuper in synodo apud Trecas factorum mitterem, ne forte ab amicis meis, quorum infestationem patior, aliqua fortassis erga me in eis compilentur, si solide, propter quorumdam principum [2] erga me commotionem, quibus ad sua vota placere non audeo, sicut hic præfatus venerabilis et consacerdos noster vobis viva voce dicere potest, valerem. De quo carissimo et fidissimo fratre et venerabili ac prudenti episcopo, vestram peto indubiam caritatem, ut domno apostolico, et patri nostro [3] Arsenio et ceteris familiaribus vestris eum commendetis, et ejus necessitatibus atque rationabilibus petitionibus pro viribus concurratis. Et quoniam, quando ad synodum apud Trecas veni, non putavi eum cum legatione synodali ex ipsa synodo Romam iturum, talia vel ita condigna exenia mecum non attuli, ut domno apostolico, et carissimo patri nostro [4] Arsenio, ac vobis condigne mittere possem; et post synodum ad civitatem nostram infirmus remanens in

1. V. Concilii Toletani c. XXVII (Hinschius, *Decretales Pseudo-Isidorianæ*, p. 368-9).

2. Carolum Calvum caute significat.

3. Ita in codice Laudunensi. Hergenröther card., etsi Anastasianam familiam non plane perspectam habuit, tamen hoc loco legendum esse « patri vestro », non « patri nostro », dubie quidem proposuit (*Photius*, t. II, p. 235, n. 46); quod certe et ad veritatem accommodatur, et bene quadrat cum iis « et ceteris familiaribus vestris » quæ sequuntur; cum præsertim episcopi de episcopis loquentes, non eos « patres », sed « fratres » appellare solerent.

4. V. notam superiorem.

quadam Ecclesiæ nostræ villula, redire ante profectionem illius non potui, ne in totum vos quantulacunque benedictiuncula visitare dimitterem, pro nostræ exiguitatis memoria mitto vobis per eum crusnam de pellibus variis, cum panno coloribus vario qua[1]...

IN CAPUT VI

ANASTASII AD ADONEM ARCHIEPISCOPUM VIENNENSEM EPISTOLA.

Hanc epistolam edidit Ph. Labbe in tomo VIII Conciliorum (Coleti, t. IX, p. 1587; Migne, t. CXXIX, p. 741), at ex quo codice manu scripto, incertum est. Hoc unum constat in eo exemplari multa menda scripturæ, multas rimas fuisse. Quarum etiam litterarum aliud exemplar in codice Autisiodorensi monasterii Sancti Mariani Johannes Mabillon vidit, in modum formalis epistolæ atque sine nomine Anastasii compositum[2]. Quod, quia codices monasterii S. Mariani alii alio dilapsi sunt, reperire non valui. Itaque edita sine emendatione retuli, hoc satis habens, si quæ correctio evidentior apparebat, eam adnotare, sed maxime de certo quodam loco ad Adonis propinquitatem pertinente, probabiles, ut opinor, conjecturas proponere.

Domino sancto Patri Adoni venerando mihi et valde diligendo[3] archiepiscopo, ego Anastasius sanctæ Romanæ Ecclesiæ bibliothecarius plurimam opto salutem.

Triste tibi nuntium, proh dolor! nimium tristis et gemens

1. Cetera in codice mscr. desiderantur.

2. Ita Joh. Mabillon : « ... epistola Anastasii bibliothecarii ad Adonem de morte Nicolai papæ : quam epistolam aliis etiam Galliarum episcopis directam fuisse intellexi ex ms. codice Autisiodorensi monasterii Sancti Mariani, in quo hæc epistola sic inscribitur : *Venerando mihi et valde diligendo ill. archiepiscopo ill. plurimam salutem. Triste tibi nuntium, etc.* » (*Acta SS. O. S. B.*, t. VI, p. 268-269). Et quidem, cum Anastasius his ipsis litteris Adonem rogasset ut ad alios metropolitanos episcopos de eadem re scriberet, hæc formalis epistola novo fortasse argumento esse potest quod Viennensis archiepiscopus Anastasianæ voluntati paruerit.

3. Attendas ad istud « valde diligendo », quod a sacerdote ad archiepiscopum scriptum singulare videtur, eo magis quod idem Anastasius, ad alios episcopos eosdemque Italos ac sibi bene notos scribens, hos tantum appellare soleret venerandos, aut sanctissimos, aut beatissimos, aut egregios atque celeberrimos (v. Migne, t. CXXIX, p. 586, 729, 743).

transmitto. Venerabilis quippe recordationis Pater et Papa noster Nicolaus ab hac misera vita idibus Novembris ad cælestem beatitudinem, ut credimus, ductus nos miseros et valde desolatos reliquit. Intrant enim post discessum ejus lupi rapaces non parcentes Dominico gregi, quibus obsecro et per Deum contestor, ut fortis minas[1], resiste[2], simulque deprecor ut orationes pro illo Domino sedulas dirigatis. Eheu! quam sero talem virum Ecclesia meruit, quam cito reliquit! Vera fateor, expedierat ut sol radios suos absconderet magis quam illa[3] os vel oculos divideret[4], quos usque ad punctum decessus sui ad divinum obsequium aperuit, et ad Ecclesiæ profectus intentos semper exhibuit. Verum nunc congregatio omnis[5], quos ille vel pro diverso adulterii genere, vel pro aliis criminibus redarguit, ad hoc exarserunt, ut universa ejus opera destruere, et cuncta scripta delere meditari non metuant. Quorum conatus idcirco creditur ad effectum venire, quia imperatoris cum his manus esse, falso ut credimus, dicitur. Hæc ergo cunctis fratribus nuntiate, et in quibus prodesse posse confiditis, laborare pro domo Dei curate. Nam si tanti pontificis acta cassantur, vestra, quæso, ubi parebunt? Verum scio quia, licet apud nos paucos, apud vos tamen reliquit sibi Dominus plurimos qui non curvaverant genua ante Baal. Habemus autem præsulem Adrianum nomine, virum per omnia, quantum ad bonos mores pertinet, valde strenuum et industrium. De quo adhuc utrum ecclesiastica negotia omnia, an partem curare velit, ignoramus. Pendet autem anima ejus ex anima avunculi mei, vestri vero[6]... Arsenii[7], quamvis idem eo quod inimicitias multas obeuntis præsulis pertulerit, ac per hoc imperatori faveat, a studio ecclesiasticæ correctionis paululum refriguisset[8]. Quem cito, quæso, vestris sacris monitis rursus

1. Inepte transcriptum, pro « ut fortis miles ». Cf. Hadriani Epistolam illam qua de Adone dicitur : « ut fortis propugnator sollicitaris ». Migne, t. CXXII, p. 1275 A.

2. Rectius « resistite », ut infra « dirigatis, nuntiate, curate », etc.

3. Mendose, pro « illa », id est, Nicolaus.

4. Illud « divideret » nihil significat; « clauderet » legendum esse arbitror, cui postea respondet illud « aperuisti ».

5. Deest fortasse « eorum ».

6. Sic in editis, at duorum saltem illorum pronominum ordinem inversum suspicor, atque ita esse legendum : « avunculi vestri, mei vero ». V. *Animadversionem* paulo inferius.

7. Ante « Arsenii » aliquid deesse patet, id est, fortasse « patris » vel « parentis »; ut hic locus ita legi rectius possit : « avunculi vestri, mei vero patris Arsenii ». V. ibid.

8. Barbare, pro « refrixisset ».

inflectite, ne diebus suis, dum valet apud suum imperatorem et summum pontificem, Ecclesia Christi, at maxime prima[1]... Taliter merear vestra de prosperitate semper gaudere.

EMBOLIUM.

Adjuro autem ut omnibus metropolitis Galliarum intimetis ne, si hic factum fuerit concilium, sic quasi recuperationem sui status assequantur, ut in derogationem defuncti præsulis prosiliant. Præcipue vero cum hunc nullus redarguerit, et modo qui objectis respondeat non supersit, quamvis ille nec eo[2]... publicam gesserit, nec hæresi unquam, ut fingunt, annuerit, sed zelo Dei quod operatur...[3]. Unde etiam scribo vobis et per Deum contestor ne consentiatis neque approbetis, immo resistatis iis quæ contra Nicolaum papam agi tentantur, quoniam auctoritas hujus Ecclesiæ mox dissolvitur, si presul e[4]... addicitur.

ANIMADVERSIO

IN ILLUD « AVUNCULI MEI, VESTRI VERO... ARSENII » MENDOSE IN SUPERIORE EPISTOLA DESCRIPTUM

Hunc quoque locum, ut alios plures, corruptum esse nemo non videt, cum saltem ante « Arsenii » aliquid deesse pateat. Præterea cum ex gravissimo Hincmari testimonio (nunc enim omnibus, credo, satis est manifestum quam bene Remensis ille archiepiscopus cum Anastasium, tum Arsenium notum habuerit), atque ex universa, ut ita dicam, hujus historiæ compositione, hoc sit pro certo habendum Anastasio bibliothecario patrem Arsenium fuisse, hinc necesse est colligamus scribam hujus exemplaris aut nomen « avunculum » allucinando legisse, aut pronomen « mei » loco oscitanter demovisse. Cui posteriori conjecturæ cur ego potius assentiar, atque existimem hujus exemplaris scriptorem in hoc peccasse quod pronomen « mei » alteri pronomini « vestri » transcribendo præposuerit, hæ sunt causæ duæ; primum, quia sic scribæ culpa facilius intelligitur, cum sit imprudenti lectori

1. Plura desiderantur.
2. Deest aliquid.
3. Manca est periodus.
4. Deest aliquid.

(et hic certe fuit) verba continuata ac parum inter se dissimilia facillimum invertere. Deinde ex hoc sequitur ut Adonis Viennensis Arsenius avunculus dici debeat, id est, ut hujus soror mater illius fuerit; quod iis quæ de Adonis familia et ortu feruntur adhuc, non solum non adversatur, sed magis lucem admovet. Nec enim adversatur : nam, quanquam Ado ex illustri prosapia, in regione fortasse Senonensi, natus esse dicitur[1], eo tamen tempore natus est[2], cum Francorum complures nobiles, qui circum erant Pippinum regem, ex Gallia in Italiam transirent, ibique morarentur[3]; ex quo quid mirum si Adonis pater, unus certe ex optimatibus, Pippinum regem aliquando comitatus sit, atque uxorem Italam sibi matrimonio junxerit? Et vero, si Adonem Arsenii Anastasiique, nobilissimæ etiam familiæ, propinquum esse agnoverimus, multa quæ ad hoc tempus obscuritatem aliquam habebant, jam clariora fient. Ita nunc melius intelligitur cur Ado, ex monasterio Prumensi profugus, in Italiam Romamque in ipsam urbem apud propinquos confugerit, atque ibi domicilium plures annos habuerit; cur, Anastasio Roma fugiente, Ado pari tractu abierit, Ravennæque considens cum diœcesi Aquilejensi, in qua Anastasius consobrinus latebat, consuetudines usumque habuerit; cur deinde, cum Anastasius atque Arsenius apud Nicolaum I magna auctoritate floruerunt, ipse Ado, tum factus Viennensis archiepiscopus, ejusdem pontificis gratiam sit consecutus; cur, mortuo Nicolao, ad hunc defendendum pontificem adversus etiam Hadrianum II pactionem quamdam societatemque cum Anastasio conflaverit, cur denique ei fuerit nomen illud Ado, quod in hac Anastasii familia aliis etiam impositum esse accepimus[4]. Quibus addere possim, non sane ad probandum,

1. V. supra, p. 302, n. 6.

2. Vidimus supra Adonem natum esse circiter a. 800. V. p. 302.

3. V. *Annales Laureshamenses* (Pertz, I, 35); *Annales Guelferbytanorum*, a. 792 (ibid., p. 45); *Annales Laurissenses*, a. 797, 800 (ibid., p. 182, 188); *Annales Einhardi*, a. 797, 800, 807, 809, 810 (ibid., p. 183, 189, 194, 196, 197).

4. V. supra, p. 39, 241.

sed solum ad notandum, Adonem Viennensem, etsi non nego sanctum merito a Gallis esse appellatum, in ingenio tamen atque indole aliquam significationem Anastasianæ familiæ retulisse, cum videlicet, dum erat ille juvenis, non ita quieto animo vixisse videatur[1], atque deinde episcopus consecratus, superbius quam par erat cum Hadriano summo pontifice egerit[2]. Quapropter hanc de cognatione Adonis opinionem, quam nunc conjectura tantum ac dubie prospicio, non despero fore ut posthac ex aliqua auctoritate reperta comprobetur. Verumtamen si quis maluerit in aliam abire sententiam, atque in hoc exemplari illud « avunculi », pro « amici » aut aliquo ejusmodi vocabulo per errorem descriptum esse existimaverit, controversiam in hac re non facio neque conjecturam duco incredibilem; id tantum fatearis velim ex hoc loco incerto certum Hincmari testimonium, atque idem multis et variis argumentis confirmatum infirmari nullo modo posse.

Ex Annalibus Hincmarianis excerpta quædam ad Eleutherii scelus spectantia[3].

Quarta autem feria post initium quadragesimæ[4], factione Arsenii filius ejus, Eleutherius, filiam Adriani papæ ab alio desponsatam dolo decepit et rapuit, sibique conjunxit; unde idem papa nimium est contristatus. Arsenius, ad Hludowicum imperatorem pergens in Beneventum, infirmitate corripitur, et thesaurum suum in manus Ingelbergæ imperatricis committens, et, ut dicebatur, cum dæmonibus confabulans, sine communione abiit in locum suum. Quo mortuo, Adrianus papa apud imperatorem missos obtinuit, qui præfatum Eleutherium secundum leges Romanas judicarent. Isdem vero Eleutherius, consilio, ut fertur, fratris sui Anastasii, quem bibliothecarium Romanæ ecclesiæ in exordio ordinationis suæ Adrianus constituerat, Stephaniam, uxorem ipsius pontificis, et ejus filiam quam sibi rapuit, interfecit, et isdem Eleutherius a missis imperatoris occisus est. Adrianus vero papa

1. V. supra, p. 301.
2. Ibid., p. 232-5.
3. Pertz, I, 477.
4. Quæ, hoc anno, die 7 mensis Martii incepit. V. *L'art de vérifier les dates*, in-8°, t. I, p. 166-167.

congregans synodum, supra dictum Anastasium hoc modo, sicut subsequitur, post damnationes latas iterum condemnavit.

HADRIANI II DECRETUM ADVERSUS ANASTASIUM, IV IDUS OCTOBRES A. 868, APUD S. PRAXEDEM RECITATUM [1].

Adrianus episcopus, servus servorum Dei. Omni Dei ecclesiæ notum est quid Anastasius tempore prædecessorum nostrorum pontificum gesserit, sed et qualiter ob id de illo sanctæ recordationis Leo et Benedictus, eximii præsules, instituerint, palam est cunctis. Quorum unus eum deposuit, excommunicavit et anathematizavit, alter vero sacerdotalibus exspolians vestimentis, inter laicos in communione recepit. Decessor itaque noster sanctissimus papa Nicolaus eum postea, si fideliter erga sanctam Romanam Ecclesiam incederet, in gremio pari modo recepisset ecclesiæ [2]; sed infidelitas ejus nunc in tantum apparuit, ut post deprædationem patriarchii nostri ablationemque synodalium scripturarum, quas tam super se quam super hujusmodi a sanctissimis præsulibus diversis temporibus decretas repererat, institutionem quoque venerandæ synodi ab ipsis sanctis pontificibus factam atque sub interpositione anathematis retactam violari nobis subripiendo fecerit, et homines ad seminandum inter piissimos principes et ecclesiam Dei discordias per muros hujus civitatis more furis exire coegerit, quemdamque Adalgrimum ad ecclesiam confugium facientem oculis et lingua privari suggesserit. Modo vero, sicut multi vestrum mecum a quodam presbytero consanguineo ejus, nomine Adone, audistis, et aliis modis nobis revelatum est, beneficiorum quoque nostrorum immemor hominem ad Eleutherium misit exhortans homicidia [3] perpetrari, quæ, sicut scitis, proh dolor! facta sunt. Et ideo pro his omnibus et pro aliis multis, quibus ecclesiam Domini perculit atque læsit, quam etiam subdolis machinationibus hactenus tundere non desistit, auctoritate Dei omnipotentis omniumque sanctorum patrum ac venerandorum conciliorum prædictorumque pontificum, simul et judicii nostri sententia sancimus illum eumdem Anastasium esse tenendum, quemadmodum de eo iidem domni pontifices Leo et Benedictus solemniter et synodice statuerunt, nihil in ejus anathemate vel causa penitus adjungentes vel minuentes, nisi ut omni communione ecclesiastica privatus existat, donec de omnibus qui-

1. V. Hincmari *Annales*, a. 868 (Pertz, I, 479).
2. Id est, in ordinem sacerdotum restituisset.
3. Uxoris videlicet atque filiæ pontificis.

bus impetitur nobis coram synodo rationem ponat; et qui cum eo in locutione, cibo vel potu communicaverit, pari excommunicatione cum eo teneatur annexus, quia pro eo quod altiora se[1] petens, quod sibi totiens interdictum fuerat, temere usurpavit, ac vetitum locum conscendit, satis nostra ecclesia murmuravit et murmurat. Sane si vel ab urbe Roma quantisper discesserit, vel sacerdotium vel clericalem aliquem ordinem sive ministerium quodlibet repetere aut recipire præsumpserit, quia contra statuta præfatorum præsulum contraque jusjurandum quod pollicitus est, numquam se ab urbe plus 40 milibus abscessurum, nec sacerdotium vel gradum clericalis esse ministerii petiturum, facere videbitur, cum omnibus factoribus consentaneis et sequacibus suis anathemati perenni subjaceat. Prolata in conspectu totius sanctæ Romanæ ecclesiæ ante hunc eumdem Anastasium apud Sanctam Praxedem positum, anno pontificatus domni Adriani summi pontificis et universalis papæ primo, per IV idus Octobris, indictione II.

1. Illud « altiora se » conferas cum iis quæ Anastasius bibliothecarius de se ipse confessus est in *Præfatione ad Vitam S. Johannis Eleemosynarii* (v. supra, p. 25).

APPENDIX ALTERA

QUA ANASTASII BIBLIOTHECARII OPERA VARIA RECENSENTUR

I. — DE GRÆCO CONVERSA OPERA[1].

1. *Vita S. Johannis Eleemosynarii*, cum *Præfatione ad dominum Nicolaum papam*, incepta fortasse Benedicti III temporibus (v. supra, p. 67). De qua quidem sic Sigebertus Gemblacensis : «Anastasius, jubente Nicolao, transtulit in latinum Vitam Johannis Eleemosynarii, scriptam a Leontio episcopo » (*De scriptoribus ecclesiasticis*, c. CIII, in Miræi *Bibliotheca ecclesiastica*, ed. 2ª cur. J.-A. Fabricio, p. 105). Quod idem jam antea dixerat Flodoardus, hæc de Nicolao I scribens in poemate *De Christi triumphis apud Italiam*, libr. XII :

> Mirifici Patris, cui fert eleemosyna nomen,
> Indivisa comes vitæ patrata Johannis,
> Auribus archivo ex Graio resonare Latinis
> Præstat, *Anastasio jussis parente ministro.*
> (Migne, *P. L.*, t. CXXXV, p. 822.)

At vero hi scriptores sæculi decimi atque undecimi, quos recentiores critici imprudenter secuti sunt[2], Præfatione hujus Vitæ Nicolao I inscripta decepti esse videntur, quanquam in hac ipsa Præfatione Anastasius diserte significaverit se non summi pontificis, sed aliorum strenuorum virorum efflagitatu ad hoc opus accessisse (v. supra, p. 67). Anastasianam illam translationem edidit Rosweyde in *Vitis Patrum* (t. I, p. 179 sqq.), et in *Actis Sanctorum* (23 Jan., t. II, p. 495 sqq.). Repetita est ap. Migne, *P. L.*, t. LXXIII, p. 338 sqq.

1. Multa de his J.-A. Fabricius (*Bibliotheca Græca*, ed. nov. cur. Harles, Hamburgi, 1807, t. X, p. 604-606; t. VII, p. 462 sqq.; t. VIII, p. 85), at nonnullis erroribus implicatur, quos ego, quantum potui, emendavi.

2. V. Bähr, *Geschichte der römischen Literatur*, t. III, p. 265; D. Ceillier, *Hist. génér. des auteurs sacrés*, t. XIX, p. 416.

2. *Miracula S. Basilii episc. Cæsariensis*, cum *Prologo ad Ursum E. R. subdiaconum atque Nicolai I medicum;* quæ Anastasius, Nicolao papa I, de Græcis transtulit. *Prologum* primus edidit J. Mabillon, in *Museo italico* (t. I, part. II, p. 82); *Miracula* vero illa Basilii, quæ jam antea vulgaverat Rosweyde in *Vitis Patrum* (ap. Migne, t. LXXIII, p. 284 sqq.), hanc esse Anastasianam translationem credibile est. Nuper Casinenses monachi alia Basilii Miracula et Vitam ediderunt in *Bibliotheca Casinensi* (t. III, *Florilegium*, p. 205 sqq.), quæ ab Urso conversa nulla probabilitate conjiciunt (v. supra, p. 49-52).

3. *Acta synodi œcumenicæ octavæ*, a. 869-870 habitæ Constantinopoli, cum *Præfatione ad Hadrianum papam II;* quæ Anastasius inter a. 871 et a. 872 latine reddidit, hoc etiam sollerter curans ut, *Notis* quibusdam additis cum historiam synodi, tum suas in ea partes clariores faceret. Edita sunt *Acta* simul et *Notæ* in variis Conciliorum collectaneis, id est, Binii t. III, Labbei t. VIII, Harduini t. V, Coleti t. X, et ap. Migne, *P. L.*, t. CXXIX. Codicem autem manu scriptum ex quo edita sunt, sic indicavit Baronius : « Vidimus in Columnensi bibliotheca ipsius Anastasii membraneum codicem autographum versionis octavæ synodi cum ipsius scholiis in margine affixis : quæ non sine magno labore legi possunt, ob nimiam codicis vetustatem, habitum ex monasterio Avellano »; et paulo post : « codex Columnensis, qui fuit dignæ memoriæ cardinalis Sirleti ». *Annales eccles.*, a. 869, n. LXXIX et LXXX.

4. *Acta synodi œcumenicæ septimæ, sive Nicænæ secundæ*, a. 787 celebratæ, cum *Præfatione ad Johannem papam VIII*, cujus ineunte, ut videtur, pontificatu, hæc ab Anastasio translata sunt. Edita reperiuntur in Conciliorum t. III Binii, t. VII Labbei, t. IV Harduini, t. VIII Coleti, et ap. Migne, t. CXXIX.

5. *Sermo S. Theodori Studitæ de S. Bartholomæo apostolo*, cum *Præfatione epistolari ad Ajonem episc. Beneventanum*, in qua Anastasius se ipse sanctæ sedis apostolicæ bibliothecarium appellavit. Hic igitur *Sermo*, Hadriani II quidem aut Johannis VIII temporibus, at incerto anno, de Græcis conversus est. Cui Anastasius narratiunculam quamdam marte proprio confectam addidit. Hæc typis mandarunt Lucas d'Achery (*Spicilegium*, t. II, ed. nov., p. 123), Franciscus Combefis in *Bibliotheca Patrum concionatoria*, t. VII, et, nostra ætate, Migne, *P. L.*, t. CXXIX, p. 729-738. Quam conversionem sic ipse Anastasius in Præfatione epistolari laudavit : « Qui (sermo)

ad Latinitatis notitiam fideliter translatus, ut scrupulum omnem de nutantium pectoribus auferat, et improbas invidorum ac detrahentium linguas comprimat, atque ignorantiam instruat insciorum, consequenter legendus est. » (Migne, ibid., p. 730.)

6. *Chronographia tripertita ex Nicephoro, Georgio et Theophane*, cum *Præfatione ad Johannem diaconum*. Hæc dum scribebantur, Ignatius in sedem Byzantinam restitutus vivebat[1], sed tum *Collectanea ad controversiam et historiam Monothelitarum spectantia*, quæ post a. 874 perfecta sunt, Anastasius nondum divulgaverat (v. infra, p. 332, n. 8). Quapropter *Chronographiam tripertitam*, Johannis papæ VIII primis temporibus, ab Anastasio translatam esse opinor. Quam quidem apparuisse ante a. 872 recentiores quidam critici asseverant, at falsa ea opinione ducti, quod Johannem diaconum cui *Chronographia* inscribitur, eumdem esse existimant qui a. 872 Johannes papa VIII factus est[2]. Nam, ut alia omittam, tantum abest ut ex his duobus unus merito efficiatur, ut Johannes diaconus opus quod scripsit de *Vita Gregorii M.* ad Johannem papam VIII composuerit (v. Johannis diaconi *Carmen ad Johannem papam VIII*, ap. Migne, t. LXXV, p. 59). Ceterum, in Epistola *Chronographiæ tripertitæ* præfixa, Anastasius mortem prospiciens sic Johannem diaconum alloquebatur : « Si decessus mei debito præventus propositum opus ego minus ad calcem perduxero, tu tamen id deperire minime patere, sed in quantum est, qualiter et ubi libuerit, utere » (ed. de Boor, t. II, p. 34, et Migne, *P. G.*, t. CVIII, p. 1190). Anastasii *Historia tripertita* cum notis Caroli Annibalis Fabrotti prodiit inter *Scriptores historiæ Byzantinæ*, Parisiis, a. 1649 (ap. Migne, *P. G.*, t. CVIII, p. 1187), atque eamdem nuperrime nova cura magnoque eruditionis apparatu edidit Carolus de Boor, Lipsiæ, a. 1885, in *Theophanis Chronographia*, t. II, p. 31 sqq.

7. *Gesta S. Martini papæ*, cum *Præfatione ad Martinum Narniensem episcopum*, quæ scripta est « indictione VIII (Sept. 874-Sept. 875), tempore Johannis VIII papæ » (Migne, *P. L.*, t. CXXIX, p. 586 C). *Gesta* illa Anastasius Collectaneis ad historiam Monothelitarum interposuit, sed jam antea separatim ediderat (v. *Præ-*

1. Sic enim Anastasius in *Præfatione* : « ... Ignatii, qui adhuc superest, habenas Constantinopolitanæ tenens ecclesiæ » (ed. Carolus de Boor, t. II, p. 33; Migne, *P. G.*, t. CVIII, p. 1189).

2. J.-A. Fabricius, *Bibliotheca Græca*, t. X, p. 604; Bähr, *Gesch. d. röm. Litt.*, t. III, p. 264.

fationem Collectaneorum, ap. Migne, t. CXXIX, p. 562 B). Typis autem mandata sunt cum iisdem Collectaneis (v. infra, n. 8). Neque Anastasio horum *Gestorum* tota translatio tribuenda est. Sic enim ille in *Præfatione* : « Verum hujus operis media in aliis implicitus ipse non transtuli, sed ab alio petitu meo interpretata, postmodum in quibusdam correxi » (Migne, ibid., p. 585).

8. *Collectanea ad controversiam et historiam Monothelitarum spectantia*, cum *Præfatione epistolari ad Johannem diaconum*; quæ Anastasius, Gestis S. Martini jam translatis, id est, post a. 874, perfecit. Atque tum etiam absoluta erat *Chronographia tripertita*, de qua Anastasius in *Præfatione* Collectaneorum : « Igitur, post Chronographiam tripertitam, quam te hortante transtulimus », etc. (Migne, t. CXXIX, p. 558 D). Prodierunt, Jacobo Sirmond curante, in ejus Opusculis variis, t. I, Parisiis, a. 1620 (ap. Migne, t. CXXIX, p. 557-714).

9. *Passio SS. Cyri et Johannis a Sophronio Hierosolymitano postea episcopo scripta*, cum *Præfatione* ad aliquem ignoti nominis, quæ « data est IV Kalendas Februarii, indictione VIII, anno vero (tertio) domini nostri (Johannis) octavi papæ » (Migne, t. CXXIX, p. 706 A). Hanc latine redditam *Passionem* cum *Præfatione*, sed sine nomine Anastasii, J. Mabillon in « vitioso atque ex situ corrupto exemplari » invenit, nec sine causa maxime probabili bibliothecario nostro adscripsit[1] (v. *Museum Italicum*, t. I, part. II, p. 84). Cujus tamen nihil nisi prima verba atque *Præfationem* typis mandavit (op. cit., p. 83-4; ap. Migne, t. CXXIX, p. 703-6), ut *Passio* ipsa adhuc inedita videatur. Aliam vero eorumdem Sanctorum *Passionem* edidit Otho Zylius in *Actis Sanctorum*, d. 31 m. Januarii; quam quidam ab Anastasio translatam arbitrantur (v. Migne, t. CXXIX, p. 706 C).

10. S. *Maximi et Johannis Scythopolitani Scholia in Dionysium Areopagitam*, cum *Præfatione epistolari ad Carolum Calvum*, « data VIII Kal. Aprilis, indictione VIII », id est, 28 Apr. a. 875 (Migne, t. CXXIX, p. 741). Hæc *Scholiorum* Anastasiana translatio nondum, ut opinor, typis mandata est, sed epistolam illis præfixam vulgavit Jac. Usserius in *Sylloge veterum Hibernicarum epistolarum*,

1. In concilio œcumenico VII ex hac *Passione SS. Cyri et Johannis* recitatus erat locus quidam, quem Anastasius cum ceteris Actis ejusdem synodi de Græcis convertit. V. Coleti, t. VIII, p. 898-9.

p. 45 (ap. Migne, t. CXXIX, p. 739), et, nostra ætate, ex variis codicibus J. Floss (Migne, t. CXXII, p. xiv, et p. 1026). In qua *Præfatione* Anastasius de suo itinere Byzantino commemoravit in hunc modum : « Scholia in eum, quæ Constantinopoli positus videram » (Migne, t. CXXIX, p. 740 B; t. CXXII, p. 1027).

11. *Vita Dionysii Areopagitæ*, cum *Præfatione epistolari ad Carolum Calvum imper.*, quæ scripta est « mense Junio, ind. nona, anno pontificatus viri beatissimi nostri Johannis octavi papæ quarto, imperii vero clementissimi Caroli semper Augusti primo », id est, m. Junio a. 876 (v. Migne, t. CXXIX, p. 738 D). Hæc quidem *Præfatio*, a Surio edita (*De probatis Sanctorum historiis*, ad IX Octobr.), rursus excusa est ap. Migne (t. CXXIX, p. 737); sed ipsam *Vitam* prelo subjectam esse non comperi, quanquam eadem illa in codicibus manu scriptis inventa est (v. Fabricius, *Bibl. Græc.*, t. X, p. 605; Pertz, *Archiv*, t. XI, p. 269). Anastasianam illam translationem Hincmarus Remensis et novit et probavit (v. Hincmari *Epist. ad Carolum Calvum*, ap. Migne, t. CXXVI, p. 153). Erat autem Anastasio talia scribenti hoc propositum, ut eos confutaret qui Dionysium Parisiensem ab Areopagita distinguerent. « Cesset ergo, ait, jam quorumdam opinio perhibentium non esse Areopagitam Dionysium eum, qui prope Parisium corpore ac virtutibus redolet. » (*Præfat. ad Carolum imp.*, Migne, ibid., p. 737). In quo fortasse Anastasius non tam rei veritatem quam Caroli imperatoris gratiam sequebatur. Fatetur enim ipse se a Carolo ad hoc opus fuisse excitatum : « Passionem sancti hieromartyris Dionysii quondam Areopagitæ... secundum jussionem vestram diu quæsitam, tandemque in maximo cœnobiorum Romæ sitorum repertam, etiam inter diversos languores positus, arrepto interpretandi certamine, latino eloquio tradidi. » (Migne, ibid.)

12. *Passio S. Demetrii martyris*, cum *Præfatione ad Carolum Calvum imperatorem* (Migne, t. CXXIX, p. 715); quæ igitur ab Anastasio scripta sunt a. 876, vel. a. 877. Utrumque vulgavit J. Mabillon in t. I *Veterum Analectorum*, p. 65, atque iterum excudit Migne (t. CXXIX, p. 715). Cf. *Acta Sanctorum*, VIII Oct., t. IV, p. 87-9.

13. *Vita S. Petri martyris atque Alexandriæ civitatis episcopi*, quam se Anastasius, Petro Gabinensi episcopo rogante, transtulisse professus est (v. *Præfationem in Passionem MCCCCLXXX Sanctorum martyrum*, ap. Migne, t. CXXIX, p. 743 A). Quo autem

anno id effecerit, incertum est, at certe ante *Passionem MCCCCLXXX martyrum*, quæ ipsa ante a. 876 edita est (v. infra, n. 14). *Vitam S. Petri*, quam Anastasianam esse conjectura putabat, vulgavit Maii card. in t. III *Spicilegii Romani*, p. 67 (ap. Migne, t. CXXIX, p. 690 sqq.); cui obloquuntur Casinenses monachi in *Bibliotheca Casinensi*, t. III, part. I, p. 256.

14. *Passio Sanctorum MCCCCLXXX* (al. decem milium) *martyrum*, cum *Prologo ad Petrum Gabinensem episcopum*. *Prologum* atque initium *Passionis* ex codice mscr. quem Romæ in bibliotheca S. Crucis in Jerusalem invenerat, vulgavit J. Mabillon, in *Museo Italico* (t. II, part. II, p. 80-81; ap. Migne, t. CXXIX, p. 743). *Passionem* vero integram cum *Prologo* Bollandistæ ex alio mscr. typis mandarunt in *Actis Sanctorum*, d. 22 m. Junii (t. IV, p. 182-8). Hæc vertit Anastasius, dum munere bibliothecarii fungebatur, Hadriani scilicet II aut Johannis VIII temporibus, ante tamen a. 876, cum hoc anno Petrus Gabinensis episc., cujus efflagitatu susceptum erat illud opus, cuique inscribitur, jam fato functus esset. V. Hincmari *Annales*, a. 876 (Pertz, I, p. 500), et Gams (*Series episcoporum*, p. XIX).

15. *Vita S. Donati episc. apud Euriam in Syria*, cum *Prologo ad Anastasiam Dei famulam*. Hæc ab Anastasio bibliothecario translata esse probabilitate conjecit Mabillon, quamvis in codice manu scripto Casinensi ex quo id eruerat hujus nomen desideretur (v. *Museum Ital.*, t. I, part. II, p. 86). Quo vero tempore Anastasius in hoc opus incubuerit, dici certo non potest. Solum *Prologum* atque initium *Vitæ* idem doctissimus vir typis mandavit (ibid., 85-86); nam *Vita* integra jam prodierat in *Sanctuario* Mombritii, ad d. 30 m. Aprilis. Novissime quidem Casinenses monachi et *Prologum ad Anastasiam* et *Passionem S. Donati* ediderunt (v. *Bibliothecam Casinensem*, t. III, *Florilegium*, p. 375-377); sed neque *Prologus* integer est, nec *Passio* quadrare videtur iis quæ vulgavit J. Mabillon.

Alia quædam ex græco versa Anastasii nomine seorsum feruntur; sed hæc revera ex Actis concilii œcumenici VII ab eodem translatis excerpta sunt, ut *Narratio miraculi Berytensis* de imagine Christi a Judæis transfixa, quæ hujus concilii in Actione IV recitata est (v. Coleti, t. VIII, p. 865; Fabricius, *Bibl. Græca*, t. X, p. 607; Pertz, *Archiv*, t. IX, p. 631). Atque *Epistolam S. Cyrilli Alex. ad Gennadium*, quam ego quidem non novi, ab Anastasio bibliothecario

conversam esse contendebat olim Hendreichius in *Pandectis Brandenburg.*, p. 163; at fortasse hæc agitur *Epistola Cyrilli Alex. ad Acacium*, quæ etiam in concilio œcum. VII recitata est (Coleti, t. VIII, p. 851). *Passio* vero *S. Acathii* (al. Acacii et Achatii) *ejusque sociorum*, cujus conversio Anastasio bibliothecario tribuitur a Petro Guillelmo (v. *Vitam Johannis VIII*, ap. Vignoli, t. III, p. 258, de qua plura dixi in *Formoso* meo, p. 204-5), quamque recentiores quidam (ex. gr., Fabricius, in *Bibl. Græca*, t. X, p. 605, et Bähr, in *Gesch. d. röm. Litt.*, t. III, p. 265) separatim referunt, nihil aliud est quam *Passio MCCCCLXXX martyrum* supra memorata.

Jam vero Anastasius in his omnibus translationibus se Græcis fideliter adhæsisse, nec quidquam addidisse aut abstulisse gloriatus est. Etenim, ne plura, sic ille in Præfatione *Chronographiæ tripertitæ*: « nihil meum in hoc prorsus insertum prænosce » (ed. de Boor, t. II, p. 35). In quo sane iste, cui saltem hæc non mala ambitio fuit ut græcarum litterarum peritissimus putaretur, verius quam in multis aliis videtur dixisse (v. de Boor, op. cit., t. II, p. 406 sqq.); potius notandus esset, quod obscure aliquando ac barbare græca converterit. Huic igitur, si ad hoc solum genus operis incubuisset, laudes et gratias sine magna vituperatione egissemus, quanquam ex iis quæ Anastasius de Græcis in latinam linguam transtulit nonnulla sunt fabulosa, nec tam ad illustrandam quam ad obscurandam historiam idonea.

II. — ANASTASII OPERA LATINA ORATIONE CONDITA.

Præter *Prologos* vel *Præfationes epistolares* de quibus supra diximus, Anastasii nihil exstat aliud latine compositum nisi :

1° *Epistola ad Adonem archiepiscopum Viennensem*, de qua multa dixi in hoc opere;

2° Epistolæ illæ, quas Anastasius, ut supra probavi, ex nomine ac persona Nicolai I, Hadriani II, atque, ut de certis quibusdam vix dubitari potest, Johannis VIII conscripsit.

III. — OPERA ILLA QUÆ ANASTASIO BIBLIOTHECARIO AUT FALSO AUT SINE RATIONE IDONEA ADSCRIBUNTUR.

1. *Vitæ Romanorum Pontificum*, sive *Liber pontificalis*, a S. Petro ad Hadrianum II; de quibus eas quæ ad Nicolai I decessores pertinent, ab Anastasio non esse compositas nec collectas quidem jam

satis liquet. Atque eidem bibliothecario denegandam esse *Vitam Hadriani II*, supra (p. 249-253), aut ego fallor, manifestum feci. *Vita* vero *Nicolai I*, etsi non attuli certas causas cur ab Anastasio abjudicetur, tamen nulla est auctoritas, nulla ratio quod ei tribuatur. Immo vero nonnulla sunt indicia quæ scriptorem *Vitæ Nicolai I* eumdem esse denuntient qui scripsit *Hadriani II Vitam*. Utinam igitur viri docti, cum Libro pontificali, ad probandum præsertim, utuntur, Anastasium bibliothecarium appellare tandem desinant ! (V. Longnon, *Atlas historique de la France*, Paris, 1884, texte explicatif, 1re livr., p. 57-58.)

2. *Epistola altera ad Adonem Viennensem*, quam quidam recentiores, alius alium inconsiderate secutus, ab Anastasio de Hadriani II electione scriptam esse finxerunt (v. Fabricius, *Bibl. Græc.*, t. X, p. 606; *Bibl. Lat. med. et inf. ætatis*, t. I, p. 89; Bähr, *Gesch. d. röm. Litt.*, t. III, p. 265). Nam, præter illam epistolam quam sæpe in hoc libro memoravimus, Anastasii ad Adonem nulla alia inventa est epistola.

3. *Epistola ad Hincmarum Remensem archiep.*, quam, quorumdam recentiorum opinione, Anastasius scripsisset mense Januario a. 876 (v. D. Ceillier, *Hist. génér. des auteurs sacrés*, t. XIX, p. 418; Fabricius, *Bibl. Græc.*, t. X, p. 606; *Bibl. Lat.*, t. I, p. 89; Bähr, op. cit., p. 265). At hæc est Johannis VIII epistola, de qua supra diximus (v. p. 279), quæ quidem « per manus Anastasii data est », ejusque stilo, ut videtur, elaborata, sed quam tamen iste non scripsit ex suo nomine atque persona.

4. Neque ratio est, ut Fabricius (*Bibl. Græc.*, t. X, p. 606) et Bähr opinantur (op. cit., p. 265), cur Anastasio adscribamus eam *Epistolam de translatione S. Stephani protomartyris*, quæ reperitur in Appendice operum S. Augustini, ed. Parisiaca, t. VI, p. 11.

5. *Epitome Chronicorum Casinensium*, opus multis fabulis refertum, quod jam olim Mabillon (*Acta SS. O. S. B.*, t. II, p. 337) et Muratori (*Rer. Ital. script.*, t. II, p. 347-9) Anastasio sedis apostolicæ bibliothecario tribui non posse probaverunt. Et hoc sane cuilibet inspicienti manifestum est.

6. *Acta Sanctæ Crispinæ virginis et martyris*, quæ quidem Mabillon in t. III *Veterum Analectorum* ex codice mscr. cœnobii S. Theodorici prope Remos sine nomine scriptoris edidit; sed quæ, apud Migne (*P. L.*, t. CXXIX, p. 727), Anastasio bibliothecario nescio qua allucinatione adscripta sunt.

7. *Historia de Josaphat et Barlaam*, quæ ex græco versa legitur in scriptis Johannis Damasceni. Hanc translationem Anastasio bibliothecario tribuit Caspar Barthius in *Notis ad Hermæ Pastorem*, p. 910; sed hoc non probabili conjectura. V. Fabricius, *Bibl. Græc.*, t. X, p. 606.

8. *Dionysii Areopagitæ De cælesti hierarchia*, quam, teste Petro Guillelmo (v. *Vitam Johannis VIII*, ap. Vignoli, t. III, p. 258), Anastasius bibliothecarius de Græcis convertisset. Sed monacho sæculi duodecimi fides hac in re haberi non potest, cum præsertim ipse Anastasius in illa epistola quam Carolo Calvo, a. 875, scripsit, se *Scholia* in Dionysium, non Dionysii opera latine reddidisse significaverit (v. supra, p. 332). Præbuit fortasse errorem Guillelmo quod in nonnullis codicibus mscr. hæc Anastasii ad Carolum Calvum epistola cum Dionysii *Hierarchia* legebatur. V. Fabricius, *Bibl. Græc.*, t. X, p. 605; Pertz, *Archiv*, t. XII, p. 219; Migne, *P. G.*, t. III, p. 55 C.

9. *Acta concilii œcumenici VI*, quorum conversio Anastasio bibliothecario adscribitur (v. Fabricius, *Bibl. Græc.*, t. X, p. 604; Bähr, *Gesch. d. röm. Litt.*, t. III, p. 264), quin afferatur ulla auctoritas aut causa probabilis.

10. Solent etiam Anastasio bibliothecario tribuere (v. Fabricius, *Bibl. Græc.*, t. X, p. 604; Bähr, op. cit., p. 263) translationem illam *Chronologiæ Nicephori*, quæ sæpe edita atque notis Antonii Contii illustrata, ap. Migne tandem repetita legitur (*P. L.*, t. CXXIX, p. 511-554). At vero tantum abest ut hic interpres idem fuerit atque Anastasius, ut ipse quodam suæ translationis loco Anastasianam translationem ejusdem Nicephori *Chronographiæ tripertitæ* præfixam nominatim citaverit, suamque ab illa discrepare professus sit. Sic enim in c. IV part. I : « Alienigenæ, seu, *ut habet Anastasius*, Philistiim annis octo » (Migne, t. CXXIX, p. 517); quod revera ita est apud Anastasium (v. *Chron. tripert.*, ed. de Boor, p. 38). Accedit ut scriptor hujus translationis catalogum patriarcharum Byzantinorum usque ad Constantinopolim a Gallis atque Venetis captam produxerit. Sic enim postquam meminit Dosithei patriarchæ : « Paulo post hæc tempora, capta a Gallis et Venetis urbe Constantinopolitana, et electo Veneto patriarcha, aperte nimium desciverunt Græci a communione sedis apostolicæ; proinde in describendo illo patriarcharum catalogo ultra progredi nolui. » (V. Migne, ibid., p. 551.) Ceterum hoc opus, sive editoris, sive

scriptoris culpa, tam multis tamque ineptis scatet erroribus et mendis ut parum utile videatur. Sic enim in eo legitur « Leo Philippus » pro : « Leo Philosophus », « Antonius Catuleas » pro : « Antonius Cauleas », « hasce res inferas reliquisset » pro : « sacras infulas reliquisset » (Migne, ibid., p. 548), et sexcenta ejusmodi.

EMENDANDA ET SUPPLENDA

Pag. 2, lin. 3, legas « sæculi », loco « seculi », et ita quotiescumque illud occurrerit.

P. 3, l. 5 sqq. Postquam hæc scripsi, ea inveni argumenta, quæ manifestum faciant Anastasio bibliothecario, si non Nicolai I, at certe Hadriani II Vitam adscribi nullo modo posse. V. cap. VI, p. 249-253, et Append. II, p. 335-6.

P. 3, l. 8, leg. « necdum », loco « neque hactenus ».

P. 6, l. 2, leg. « multavit », loco « mulctavit », et ita quotiescumque illud occurrerit.

P. 10, l. 5 in nota 4, leg. « immo », loco « imo » ; et in not. 5, pro « c. VII », leg. « c. VI ».

P. 17, in not. 2, leg. « caput V, p. 195 ».

P. 22, l. 7, pro « tum in ea causa », leg. « cum », etc.; et lin. 8, leg. « soleret », non « solebat ».

P. 23, l. 19, leg. « congruant », loco « congruunt ».

P. 23, l. 3 in not. 2, leg. « putaverint », non « putaverunt ». Neque hoc loco debui tam præcise asseverare Anastasii nomen in exemplaribus *Capitulorum* ad episcopos missis ab ipsis archiepiscopis condemnatis esse deletum, cum, ut dixi postea (p. 224, n. 1), id alia de causa accidere potuerit.

P. 25, l. 1, pro « reddidit », leg. « edidit », et vide infra, p. 67, 329.

P. 25, l. 14. « Altiora te ne quæsieris »; quorum verborum ut vis tota intelligatur, cum illis conferenda sunt ea simillima quæ Hadrianus II de Anastasio S. Marcelli olim presbytero pronuntiavit. V. p. 328.

P. 26, l. 24. Inter « illa » et « auctorem », hæc addas : « multorum opinione ».

P. 30, l. 1 in not. 1, leg. « Appendicem I, p. 324-6 ».

P. 31, l. 16, pro « hactenus », leg. « ad hoc tempus ».

P. 33, l. 5, in Summario, leg. « pæne », non « pene ».

P. 34, l. 1, deleas « hactenus ».

P. 36, l. 5, leg. « ipsi », pro « ei »; et in nota 2, lin. 1, « Sollemne », pro « Solenne ». Cujus etiam notæ ad exitum hæc addas : « Cf. Anastasii *Præfationem in Chronographiam tripertitam* (Migne, *P. G.*, t. CVIII, p. 1187). »

P. 37, l. 11, post hæc : « sermo latinus », addas illud : « plus minusve depravatus ».

P. 38, l. 4. Quod de Hadriano II postea dixi (p. 236), idem hoc loco de Arsenio dicendum videtur, fieri potuisse ut is, cum esset clericus inferioris ordinis, non laicus, uxorem duxerit. Atque in extrema nota 3 ejusdem paginæ, hæc addas : « Quin etiam ex *Vita Conwoionis abbatis*, quæ citatur infra, p. 299, hoc saltem constat Arsenium, ineunte Leonis IV pontificatu, jam fuisse consecratum episcopum multumque apud Romanos valuisse. »

P. 39, l. 2, leg. « scelerumque pœnas », non « suorumque ».

P. 40, l. 10, deleatur « adhuc ».

P. 42, l. 8, del. « deinceps ».

P. 43, l. 2, post « educabatur », hoc supplendum : « id est, mense Novembri a. 826 ». Atque in extrema linea notæ 1, hæc etiam addas : « V. *Capitula regum Francorum*, part. II, p. 376, ed. Boretius in *Monum. Germ. hist.*, in-4° ».

P. 44, l. 35, hæc adde : « Iis scriptoribus qui Johannem diaconum Casinensem monachum finxerunt jam oblocutus est G. Paris, in *Bibliothèque de l'École des hautes études*, 35e fasc., p. 277, n. 3. Neque hic Johannes, cognomine Hymmonides, qui, præter Gregorii M. Vitam, de vita etiam Clementis papæ opus illud a Gauderico deinde perfectum scribere inceperat (v. Gauderici *Præfationem ad Johannem VIII*, ap. Mabillon, *Museum Italicum*, t. I, part. II, p. 79), idem faciendus est atque Johannes diaconus Neapolitanus, qui composuit *Gesta episcoporum Neapolitanorum*. V. *Script. rer. Lang.*, p. 399, in *Mon. Germ. hist.*, in-4°. »

P. 49, l. 2 in not. 3, adde : « Hunc Prologum rursus excuderunt Casinenses monachi, in *Bibliotheca Casinen i* (t. III, *Florilegium*, p. 205). »

P. 54, l. 1. Romani juvenes, si qui ea ætate ad honores ecclesiasticos essent reservati, alii in Schola cantorum erudiebantur, ut Sergius II

(v. *Vitam Sergii II*, Vignoli, t. III, p. 36), alii domi a præceptoribus aut a parentibus doctis, ut Valentinus papa (v. *Vitam Valentini*, ibid., p. 4), et Stephanus V (v. *Vit. Stephani V*, ibid., p. 261), alii denique in monasteriis, ut Leo IV (v. *Vit. Leonis IV*, ibid., p. 65).

P. 56, l. 2 in not. 1, leg. « Tomum conc. Rom. a. 850 », loco « Ravenn. a. 853 ». Quæ monumenta, ut cetera ad eamdem rem spectantia, in Append. I transcripsi. Et in nota 3, l. 3, post « inventa », adde : « ab Edmundo Bishop, descripta », etc.

P. 57, l. 2, loco « in Istria », leg. « in ducatu Forojuliensi »; et v. Append. I, p. 300.

P. 62, l. 19. Fieri potuit ut ipse scriptor Vitæ Benedicti III « Egubio » scripserit, ablativo pro genitivo usus; sed hoc nostræ sententiæ non modo non obest, sed etiam prodest.

P. 64, in not. 1, addas : « v. Append. I, p. 308 ».

P. 68, l. 13, leg. « sollemnis », non « solennis ».

P. 73, l. 5, leg. « deligeretur », non « delegeretur ».

P. 82, l. 16 in not. 3, post : « p. 67 », add. : « Idem Anastasius in *Præfatione ad synodum VIII*, Migne, ibid., p. 14 C. »

P. 84, notæ 2 hæc addas de Theognosti apud Nicolaum contentione : « ... Theognisto patriarchali eugumeno, qui Romæ apud sanctissimum papam Nicolaum pro restituendo Ignatio sedulus intercessor exstiterat. » *Vita Hadriani II* (Vignoli, t. III, p. 239).

P. 94, l. 12, loco « seculi noni », leg. « sæculi decimi ».

P. 102, l. 6, leg. « septimo », non « sexto ».

P. 104, l. 23, leg. « pro suo arbitrio ».

P. 120, l. 2 in not. 2, leg. « 860 », non « 862 »; et cf. Schrörs, *Hinkmar*, p. 528.

P. 123, l. 3, pro « tractamus », leg. « tractabimus ».

P. 133, notæ 1 hæc suppleas : « Ex variis Canonum Collectaneis quæ Hincmarus Remensis diversis temporibus edidit, ea quæ anno 852 divulgata feruntur, falsam decretalem Stephani ad Hilarium citatam exhibent (cf. Migne, *P. L.*, t. CXXV, p. 775 D, et Hinschius, *Decretales Pseudo-Isidorianæ*, p. 183). Ex quo colligitur opus Pseudo-Isidorianum jam esse confectum a. 852. »

P. 137, ad exitum notæ 1, hæc adde : « Falluntur igitur recentiores illi critici, qui Lupum Ferrariensem falsarum decretalium auctorem fingunt. V. *Bulletin critique*, juin 1885, p. 214, n. 1. »

P. 145, l. 16, leg. « concluserit », non « concluderit ».

P. 149, notæ 2 addas : « V. quæ de Nicæni concilii canonibus

disputata sint inter Hincmarum Remensem et Hincmarum Laudunensem (Migne, t. CXXIV, p. 1047); et Pseudo-Isidori *Præfationem* (Hinschius, op. cit., p. 19). »

P. 165, l. 17, deleatur « sua ».

P. 166, l. 10 : « Ante annum 856 editis. » Hæc de secunda parte Capitulorum Hincmari; nam prima pars in qua etiam citatur Pseudo-Stephanus (Migne, t. CXXV, p. 775 D), edita est anno 852.

P. 266, notæ 1 hæc adde : « Illæ litteræ quibus tum Hadrianus II Actardo usum pallii concessit, datæ sunt « per manus Anastasii « bibliothecarii sanctæ summæ sedis apostolicæ » (Migne, t. CXXII, p. 1273 C). »

P. 278, in not. 3 hæc sunt supplenda : « Nec paret id quod proposuit J. Floss (Migne, *P. L.*, t. CXXII, Præf., p. XXII-XXIII), Scotum hac Nicolai epistola notari quod Græcorum partibus et commentis favisset. »

P. 286, l. 9, post « successerat », sic addas : « Atque mense Martio ejusdem anni, die vicesimo nono, Anastasium jam mortuum esse, ex hoc inferri potest quod eo tempore bibliothecarii munus ad alium erat delatum. V. Johannis VIII *Privilegium pro monasterio Placentino*, quod datum est « in mense Martio, indictione duodecima, IV kal. Aprilis, per manum Zachariæ, episcopi sanctæ ecclesiæ Anagninæ, et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ ». Migne, t. CXXVI, p. 821; Jaffé, n. 3230. »



